PHILOSOPHIA JURIS VERA AD DUO HAEC DE POTESTATE AC OBLIGATIONE, UT SUMMA AC PRIMA, ...

Franciscus Julius Chopius


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
19 B
59



PHILOSOPHIA JURIS
VERA
AD DUO HÆC
DE
POTESTATE
AC
OBLIGATIONE,
ut summa ac prima, qvæ definire
intendit omnis
JURISPRUDENTIA,
CAPITA,
universum hujus systhema
referens:





Pertentata
à
FRANCISCO JULIO CHOPIO.





FRANCOFURTI AD MOENUM,
Apud JOHANN. SIMON. FICKIUM.
ANNO M. DC. LXXI.



ILLUSTRISSIMIS & CELSISSIMIS PRINCIPIBUS ac DOMINIS

DN. FRANCISCO ERDMANNO DN. FRANCISCO WILHELMO, DN. ERDMANNO FRANCISCO,

AGNATIS PATRUEL. ac ILLIS FRATRIBUS GERMANIS,

DUCIBUS SAXONIÆ, ANGRIÆ & WESTFALIÆ.

Dominis meis Clementissimis

VITAM

ac

FELICITATEM.



ANte hoc decennium ILLUSTRISSIMI PRINCIPES, ubi fortè primũ aliquod tyrociniũ noviter tum mihi inchoati Jurisprudentiæ ſtudii, in Academiâ Roſtochienſi publico Examini proponendũ mihi erat: verſabatur ante oculos floridus, Illuſtrisſimus Celſiſſimusq; Princeps ac Dominus, Domi-

Dominus JOHANNES ADOLPHUS beatiss. memor. Optimi Principis, Patris patriæ nostræ, Domini AUGUSTI Filius. Non permittebat autem affectus, & verus erga patriæ Principem amor, quin vel tum leviores ac nimis juveniles studii mei primitias, ipsius statim Venerationi darem ac dedicarem. Ast hunc quidem, ut singularis ac egregiæ indolis, ita Maximæ spei Principem, interea excepit beatissima sedes cœlestium: me usq; huc vivos inter terricolas jactat malignior fortuna. Ubi vero nunc Vos estis CELSISSIMI PRINCIPES, qvi juxta Illustrissimos Seniores, Parentes ac Patruos vestros, soli modò efflorescitis novella mascula propago, inclytæ per tot secula stirpis, Ducum Saxoniæ, Angriæ & Westfaliæ: Vos igitur estis quoque, in quos, Clementissimi Principes, verus amor nunc debuit descendere subditi vestri. Scio, uti Illustrissimorũ Agnatorum ac Parentum Vestrorum, ita juxtà Vestro me quoq; vivere obsequio, Vestro honori. Ut a. debita vobis præstarẽ servitia, hactenus occasio quidem non tulit; quod vero animum erga vos genuini ac fidelis subditi nunquam non gerã, hoc est, quod clemẽtiam Vestram obtestatũ enixè cupiam. Unde etiam non potuit admittere idem iste intensior in proprios Principes amor; quin, donec aliò modò non liceret, forsan autem hoc quod hic cer-

nitis opusculum, proximè sub manibus enatum esset, id ipsum Vestro Celsissimo Nomini consecrarē. Dicatum a. atq; consecratum id nunc qvidem Vobis, Celsissimi Principes, penitùs, Deo propitiante, volo. Deum ex intimô corde veneror, ut salvos, sospites, felices, florentes cum omni Illustrissima Saxonica Principali Domo, in annos qvàm plurimos, Vosmet conservare velit. Dabam Lipsiæ, Mense Septembris, anno à nato Mundi Servatore M. DC. L.

VESTRAR. ILLUSTR.
CELSITUD.

subjectissimus

Franc. Julius Chop.

AD Lectorem benevolum.

JUris civilis scientiam, amice lector, plurimi & maximi viri professi sunt: ita memorante jam olim in suo de Origine Juris & omnium Magistratuum & successione prudentum, singulari historico Enchiridio, JCto Pomponio. Adde; & ita qvidem, qvi maximæ dignationis ex his fuêre, professi sunt, ut non tantum passim ac particulatim, per negotia hominum, id qvod justum videbatur, suis Qvæstionum, Definitionum, Responsorum, Epistolarum, Disputationum, aut etiam cujuscunq; particularis argumenti, compositis libris qværerent, definirent, responderent, disputarent, commentarentur; sed etiam, ut generalius, & collevatis magisqve ad momenta sæpius circumjectis per universitatem rerum oculis, in universale aliqvod ac scientificum systhema, universam justi notitiam erigerent, Templa ac sacerdotia justitiæ constituerent, inq; his omnibus habitibus mentis impensis, divinarum atq; humanarum rerum Notitiam; justi atq; injusti Scientiam; Jurisprudentiam; æqvi & boni Artem; civilem Sapientiam; veram deniq; & non simulatam Philosophiam profiterentur. unde natos ipsis cernas libros Digestorum, Pandectarum: & quando compendiosius multa complecti volebant, Regularum, Epitomarum, Institutionum ac titulorum similium volumina. Imitata est ac hodieq; imitatur utrumq; institutum & sacra seqvioris ævi Themis; etiam non illius modo generis particularis tra-

ctationes opera omni tempore producens, sed & hujus; syntagmata videl. Isagogas, Epitomas juris & multis sub nominibus aliis paris argumenti codices, imò Jurisprudentias ipsas. Ego qvidem ut suspecto semper ac magni facio labores istos; tanquam id agentes, ne quid vel scrupuli genuinæ justitiæ relinquatur, quod non ex abdito in apricum protrahatur: ita nunc quidem horum intentioni me particulatim applicui; facilè cernens, cũ hisce, & omnis veteris politioris ævi veræ civilis atq; practicæ sapientiæ studiosis, quanti sit, alicujus scibilis objecti systhema methodò extare: quâ & objectũ ipsum verum & ejus partes ac species ordine proponantur ac disponantur. affectiones atq; accidentia propria & cõmunia, tum illius tum harum quærantur, positisq; veris atq; genuinis principiis demonstrentur. Eoq; periculum nunc quidem facere institui, an unà & juxta cæteros, qui huc negotii animum hactenus advorterunt, aliquam mihi concipere possem rationem, quâ illa tantæ inter disciplinas omnes elevatæ celebritatis, honoris, atq; utilitatis, Jurisprudentia; specimen aliquod in modum veræ, atq; accuratioris tractationis, philosophiæ, exhibere velle, videri possit. Eâ quidem ratione, ut ad fundum usq; descendatur & Potentia agendi hominis, subjectum primum ostendatur, in quod Lex operetur, eam permissiva sua virtute in Potestatem commutando; imperante verò necessitatem sive obligationem faciendi & non faciendi eidem imprimendo: effectu, ut justa

sta

sta agantur, & ut omne judicium de justitia actionum, inde haurire necesse sit; utrum quis lege possit aut debeat, (potuerit debuerit) potestatem habeat aut obligatus sit, fuerit aut futurus sit, agere aut non agere qvicquam. Deinde ut duo isti primarii juris effectus, ut summa capita, ad qvæ omnis legitima dispositio ac legisperitorum disqvisitio tendit & qvoad communia affectionum, & in genere & in speciebus atq; specierum differentiis singula, qvò res ac usus pati potest, ordine, pertractata præbeantur. atq; hæc qvidem omnia ita, ut in hisce illa cuncta, qvæ vel divina naturalis, vel civilis ars æqvi elaboratissima (Romanam imprimis civilem sapientiam appello) complectitur, compendiô, imò fere ordine, qvô hæc, exhibeantur ac referantur. Philosophiam juris verã, bone lector, opellam hancce meã, vides me appellare, non simpliciter qvidem, sed eam modò pertentatam; neq; enim perfectionem, qvam etiam humana ignorant, imo ne perfectiora quidem meæ tenuitati ausim arrogare: tentare autem aliqvid in propriis, (qvippe cum pluribus aliis & mihi hanc non simulatam juris Philosophiam natura commendavit) forte liberũ fuit: imo ejus libertatis; uti ad censuram & sub oculis, magnæ peritiæ, magniq; & de publico alias & de ipsa nostra. Jurisprudentia meriti, quos Amplissima Lipsiensium Academia celebres habet, JCtorum, disputatoriæ disqvisitioni, ad intimationem publicam, hoc quicquid est opusculi committere licuerit: distributum per partes

decem

decem, qvas sibi more nostro Academico Respondentes vindicârunt, Nobilissimi, Præstantissimi atq; Doctissimi Viri-Juvenes hoc qvo positi seqvuntur ordine hi:

JOACHIMUS CHRISTOPHORUS Beutemeister; *primam: De potentia ac Lege.*

HERMANNUS BÖSCHEN; *Secundam: De potestate in genere.*

PAULUS JEREMIAS NÆVIUS; *Tertiam: De potestate per familiam.*

PETRUS JACOBUS à MERCIER; *IV. De potestate per vitam socialem imperante.*

CHRISTIANUS LEWIUS; *V. De potestate crediti: itemq; officiosa; limitata; Vicaria, ac dependente reliqva.*

JOHANNES BERNHARDUS LEO; *VI. De Domino rerum & potestate ejus acqvirendi.*

DAVID Schwemler; *VII. De Jure in re.*


DAVID JOHANNES Pitzsch; *VIII. De obligatione, ejusdemq; causis Beneficio, ac delicto.*

ADAM SAMUEL Freystein; *IX. De Conventione.*

DAVID Schmid; *X. De communione; boni praecellentiâ; occupatione, ac lege arbitrii. Itemq; de intensione per incrementum ac concurrentiam causarum obligandi, ac de solutione, obligationis.*

In exemplaribus, ubi inserta hæc nomina aut hâc forma tituli non sunt, rei indicium faciunt qvibusdam capitibus subjectæ rariores summariorum lineæ. Non possum qvin, benevole lector, unum te rogem. Ut nempe pro humanitate tua humanitati condonare velis, si fortè qvandoq; termini ab usu paulò remotiores per opusculum hæc occurrant: veluti, si dicatur qvædam virtus legis conformativa, ostensiva ac similia: aut etiam si aliàs hic alibi res dictione non concinnâ satis exprimi tibi videatur: vel deniq; si in ipsa confectione & totius & partium plurima desiderare fortè qveas. Et si vis, hæc & qvæ hujusmodi occurrere possunt, vel in insolentem rei exprimendæ generalitatem, vel in festinationem calami; qvâ magna pars jam poscenti typo fuit properè ex aranda ac exhibenda; vel in materiæ amplitudinem, conferas: qvin non perfectam sed pertentatam magni operis rem cogites. Vale.

FRAN-



FRANCISCI JULII CHOPII
DE
POTESTATE & OBLIGATIONE
Libri Tres:

LIBER I.
De
POTENTIA ET LEGE,
Causis universalibus illâ matrice, hâc præconformatrice omnis in vita justi.

CAPUT I.
De duplici actionum humanarum rectitudine.

I. Duplex agentium finis duplex actioni causatur rectum.
II. Finis nempe arbitrii rectum arbitrarium sive solertia:
III. Communis sive socialis illud qvod est justitia.
IV. Finis socialis est id qvod cuiq; suum est.
V. Actio qvæ ex eo, qvod ad hunc dirigitur, recta est, eadem est qvæ & justa.
VI. Actio vel utrâq; potest procedere rectitudine vel alterutrâ, vel neutrâ.
VII. Rectum justitiæ præstantius eô est, qvod est solertiæ.

I.

RECtane sit, an recta minus omnis humana actio, cùm plurimùm ad vitam interest, plurimùm homines solent disqvirere. Qvia autē rectū in qvavis re propriè id dicitur qvod rectà, h.e. qvàm proximè æqvaliter & citra flexum à termino ad terminum, à capite protendit ad finem, non rectum verò qvod non ita dirigitur; recta qvoq; erit dicenda actio, qvæ prout naturæ ejus convenit, qvam proximè, æqvabiliter & citra incongruos flexus in adæqvatum sibi finem, qvi, demonstrante Philosopho, 1. Nicomach. bonum qvodvis in vita est, protendit, & ab homine unde usq; caput & ortum suum trahit, dirigitur; non recta vero, qvæ contra se habet. Qvoniam autem ex eô, qvòd, qvi vivunt homines, & arbitrariam simul degant vitam & sociam, duplicem contingit humanis actionibus propositum dari finem, arbitrarium videlicet atq; socialem. Socialem dico, qvi, cui vivit homo, societati communis & idem, opinor, est, qvod cuivis ex ea societate competens bonum, à supereminente per societatem authoritate præfinitum extra singulorum arbitrium positum; arbitrarium, qvem pro libertate arbitrii qvisqve actioni suæ particulariter destinat, modò collimantē ad priorem, modò etiam divaricantem ab eo; seqvi hinc igitur videtur, duplex qvoqve dari rectarum actionum genus, duplicem in humanis actionibus recti rationem, itidemq; duplicem, qva ab alterutro finium ei declinare accidit, rationem non recti.

II. Dari autem duplicem ejusmodi, cujus gratiâ homines agunt, finem, facile unicuivis ad res humanas attendenti liqvebit, spectaturo primum, singulos hominum, itemq; junctim qvandoq; plures, plurima sibi solere tum conseqvenda tum perficienda liberè deligere, puta divitias alii, alii honores, jucunditates, habitus, opera, facta, & ejusmodi infinita alia, idq; vel respicientes vel etiam non respicientes imò multoties obversantes societatis in qva degunt ac sociorum competenti bono, sicuti faciunt qvi per monopolia vetita ad opes aspirant, per furta & rapinas lucra sectantur,

sup-

suppressis dignioribus ad honores machinantur ascendere, victoriâ cum injuria partis sociæ frui satagunt. Cum tamen intereà omnes hi omniũ & judicio & sermone id præconii obtinere solent, sepositô videl. respectu socii læsi, qvod, qvatenus dextrè & artificiosâ qvadam solertia ad finem suum pervenerint, rectè egisse, remq; solerter expedivisse; qvatenus verò minus dextrè scopum, ad qvem collimabant pertigerint, minus rectè sese gessisse dicantur, eorumqve actio hactenus recta vel non recta reputetur prout obtinendo isti fini fuerit accommoda. Qvia autem hoc rectè expediendarum actionum genus, una cum fine, qvi per hoc intenditur, ex delectu particularis arbitrii fluit; qvia itẽ penè semper illud aliqvâ, sæpius etiam plurimâ tum naturali tum habituali peragitur solertiâ ac prudentiâ, præter generalem verò recti denominationem, qvod omnibus ejus speciebus commodum sit, nomen non invenerit, rectum id particulare, arbitrarium, solertiæ aut prudentiæ qvis appellaret; similiqve modo actionem rectam actus rectitudinem hâc, horumqve contraria contrariâ sermonis specie exprimeret.

III. Deinde verò finem qvendã alterũ ab eminentiori arbitrio omnibus ac singulis agentiũ propositũ, facilè qvoq; animadvertet, qvicunq; modo cernit omnẽ societatẽ cõmunẽ aliqvẽ intueri finẽ, cõmune aliqvod bonũ. (a) Omnem autem humanam vitam socialem esse, putà non eorum tantum hominum qvi in societatibus ex humano instituto enatis degunt; sed & qvorumvis, licet accidat iis extra has consistere. Idq; non tantum propter ingenitam hominibus ad societatem inclinationem, qvomodo aliàs Philosopho (b) (ostensuro, omnem etiam civilem, qvæ reliqvarum perfectissima & compræhensiva omnium est, societatem, naturalem sive ex naturæ instinctu esse.) homo natura sociabilis, πολιτικὸν ζῶον, dicitur, sed & qvatenus vel actu omnis homo in communissima illa aliqva societate qvæ totius est humani generis constitutus est; Id qvod ducti rationis lumine sensere etiam gentiles tum Philosophi, tum JCti, dum rerum qvandam communionem, cognationem, jus mutuum, amicitiam mutuam, à natura nobis constituta esse asseverant: (c) Cicero (d) disertè *convictum humanum & societatem com-*

(a) Aristot. 1. polit. cap. 1.

(b) ibid. cap. 2

(c) l. 3. ff. de J. & J. l. 2. de R. D. l. 7. de serv. export. Aristot. lib. 8. Eth. c. 11.

(d) lib. 3. off.

munem, eam quæ maximè secundum naturam est humani generis societatem, appellat. Omnium autem clarissimè nobis id constat fidelibus, divinitus divinæ revelatæ veritatis consciis, qvi communem creatorem, communem Dominum, Patrem, Salvatorem communem edocti sumus, qvi communem ex communi stirpe sangvinem, qvi conservitium, fraternitatem, deniqve tam arctum inter nos amoris & beneficæ communicationis vinculum novimus, qvam qvo nobismet ipsi constringimur: qvibus præterea compertum est, qvomodo alterius Dominicâ, Regiâ, Paternâ, Fraternâ Societate cum DEO ter Opt. Max. ejusq; filio juncti simus, qvomodo unum cum sanctis angelis, & nos qvi hic vivimus cum piè defunctorum animis, unum sustineamus πολίτευμα: Qvod si igitur, ratione reliqvarum societatum omnium ab hominibus, ordinatarum, familiaris scil. civilis, commercialis & aliarum pro hominum placito variè coeuntium, socii finem seu bonum communiter curandum participandumq; habent propositum, qvis dubitabit congruum qvoqve esse societati, diviniore ab æthere natæ, illi scil. qvæ universo humano generi communis est, finem qvoqve talem communem habere; & per conseqvens sociorum h. e. omnium hominum operationes ad eum finem dirigi, & si qvidem probè dirigantur rectas inde dici oportere. Ne dicam nunc & reliqvas societates verum bonum propositum habentes ab eodem diviniori instinctu, mediatè licet, confieri; qvid autem pulchri deesse magis potest ei qvod immediatè à divino procedit robore, qvàm qvod interveniente labili conficitur manu? Tametsi forsan negari non debeat, videri ipsam illam communiorem humani generis societatem humanâ licitâ qvadam consociatione intercedente magis in arctum coire, bonumq; illud sociale simul ac rectum actionis per specialiores istiusmodi societates magis magisq; ad specialiorem qvoq; restringi arctioremq; figuram. Prout constat bonum hoc rectumqve communionemqve peculiaria, ac stricta magis esse inter homines, fidei veræ, & ad æternalem communionem simul luctantes socios, qvam inter hos, & eos, qvi hinc in diversa abeunt; limatiora alios atq; alios, intercedere diversi generis domesticarum societatum conjunctos, porrò inter hos ipsos qvam, qvi civili

con-

conjunctione nexi,& rursum hos inter, qvam qvi, nec hac, nec peculiari aliqva alia societate juncti vivunt. Qvicqvid autem, horum sit, de toto genere humanarum actionum, qvia non ex arbitrio tantùm,sed & in societate viventium hæ sunt,pronunciandum existimem, præter eam qvæ solertiæ ac propriæ destinationis est, qvandam etiam alteram rectitudinem has propositam habere,qvæ finem respiciat socialem, nec dubitari oportere,qvin magis,ex hac qvam ex qvali illa rectitudine actiones hominum, rectæ possint ac debeant dici; utpote cum illô modô facta actio per finem vagum ac varium ex arbitrio scilicet acturi dependentem, vagam, atq; variam, habeat normam,hôc autem propter finem certæ determinationis statam certamqve; imo illô sæpiùs malam & iniqvam, hoc autem verè bonam, ac æqvam. Qvod autem mensuram statæ perpetuæq; rectitudinis, & ejus qvæ per excellentiam recta dicitur, cujusmodi est mensura æqvi, habet; juxtaq; eam sumptum formatumq; est, potiori utiqve ordine rectum videtur appellandum, qvàm qvod ad regulam Lesbiæ instar figuratur.

IV. Sed erit ut opinor de rectitudine medii eo rectius faciendum judicium, qvo finis ad qvem dirigitur est perspectior; intueretur, igitur qvis, hoc agens, paulò accuratiùs dictum illum socialem finem, animadversurus, in qvo propriè is consistat, an in omni societate bonum is sit, æqvaliter omnibus ac singulis sociorum commune, an inæqvaliter de eo hi participent,an verò ex parte æqvaliter ex parte inæqvaliter eô ipsis frui competat. Omissis, qvæ de priorum casuum contingentia proferri possent; ubi, vel omnimoda sociorum omnium ex natura societatis ipsis competens æqvalitas, æqvalia singulis deposcat, uti mercatoribus, qvi æqvaliter contulerunt, in lucro, & damno, & fratribus qvi nullâ prærogativa alteri præ alteris gaudent in paternæ hæreditatis emolumentis, atq; oneribus accidit; vel inæqvalitas inæqvalia exigat; puta si aut collatione distingvantur, aut privilegio sociali alio. Tertium genus competentis ex societate participationis, plurimùm in re, & in ipsis qvidem perfectioribus societatum speciebus maxime spectatur: Ita nempe æqvale bonum familiaribus est, communiri contra vim aeris injuriamqve ferarum, claudi tectô septoqve, su-

stentari necessariis ad vitam victu amictuqve: Ita civili societate coalitis æqvalia ferè sunt, corporis, ac vitæ adversus vim hostilem tuitio, libertas, ab dominio herili, templorum, aqvarum, fori, viarum similiumqve rerum communium par usus: Sic omnibus simul hominibus communia tribuunt Juris Civilis authores (a) aerem, aqvam perfluentem mare, ac per hoc littora maris. Verùm non absolvitur his ac hujusmodi, vel hominum, vel civium, vel familiarium omnium qva tales sunt, ex societate competens felicitas; Neqve enim beata satis videri potest illa civitas, in qva, qvi virtute, industriâ, nobilitate generis, aut, per alia etiam fortunæ merita provecti, facultatibus, honoribus, potentiâ aliisqve vitæ commoditatibus, atqve ornamentis præpollent aliis, illa non æqvè salva habent intemerataqve, atqve qvilibet ex plebe tenuem suam libertatem, hortulum, pullum, pultemqve, & si qvid possideri ab hoc hominum genere possit vilius: non erit felix familia, ubi non Imperii jus patrem, honestior, atq; liberalior educatio liberos manet: non benè culta censebitur humanitas, ubi æqvaliter probus, atqve improbus, opis abundans, atqve indigens acceptetur: de minori accepto lucro expostulabunt, qvi cum iis, qvibus plus in commune contulerunt, æqvale ferunt, similis est in cæteris ratio. Restare igitur videtur, ut hoc dicatur: Id qvod salutem populi, familiæ humanæ, aut cujuscunq; alius societatis *bonum* commune dicimus, si universos, partes, & singulos, prout fieri decet, (ex his enim universi constant,) respicias, non in merâ æqvalitate participandi, sed in proportionali qvadam competentia, qvatenus ejus qvid, pro societatis cujusq; naturâ, vel ad omnes pariter, vel ad qvosdam, vel ad hos illosve singulos, pertinet, breviter, in eo qvod *cuiq; suum, sive competens est* consistere: Sive Imperium illud sit, sive honos, munus, facultas, libertas, vita deniqve ipsa, sive bona fortunæ, onera etiam, & afflictiones, & qvæcunqve alia sint, qvæ ad homines, vel communiter, vel sigillatim pertinere solent. Intelligi autem velim, competens hoc, sive sui competentiam istham plenè, ita ut complectatur in sese, qvid, cui, qvando, qvomodo, à qvo &c. competat, qva de re forsan alibi plenius.

(a) l. 2. de R. D. §. 1. J. eod.

V. Ex his autem nunc porrò videtur colligere esse, qvod si ex

ex fine qvatenus, vel vagus ille, ac electitius, vel certus, & ab eminentiori auctoritate determinatus est, per maximam qvam hæc res in vita diversitatem habet, distingvere liceat rectitudinem humanarum actionum: & siqvidem præterea congruum videatur rectum ad finem particularem, & arbitrarium tendens ab ipsa ejusdem qvalitate dignoscere, & particulare, arbitrarium, solertiæ &c. denominare; conveniens utiqve fore, & rectum, rectitudinem, actionemq; rectam ad hunc finem communem, socialem, certum, proportionalem, qvi, & id qvod cuiq; suum, competensve est, ab eodem dijudicari, ac insigniri: ita ut actio recta nihil aliud hîc sit ac dicatur, qvam qvæ ad finem hunc, ad modum proportionis, adeoqve, & ipsa proportionalis tendit, qvâve id qvod, cuiqve suum, competensve est, unicuiqve confertur tribuiturve: v. g. honor, cui, à qvo qvalis &c. honor; obseqvium cui obseqvium, tutela cui hæc; res cui & illa competit; puta Deo, angelo, homini, eidemq; civi, peregrino, magistratui, patri, domino, uxori, filio, æqvali, sibi deniq; ipsi, etsi qvæcunqve sint alia, qvæ qvodam qvasi simulacro sociali ad nos accedunt juxta ejusdam analogiam; qvomodo sane, & bovi tuo trituranti minus à te competens est, ut os ei obtures, animali juxta Talmudicorum observationem, ut viventi membrum tollas: imo forte solem, aut lunam, cœlum, aut terram execrare, qvatenus consideres, qvod tecum gloriam creatoris enunciant, minus; contemplari verò ac admirari horum ordinem, pulchritudinem, in celebritatem communis factoris, ac domini magis hisdem potest videri competere. Et verò, qvoniam communis hæc eaqve proportionalis sui-tributiva rectitudo, omnibus prorsus humanis, imò rationalis naturæ, qvà talis, actionibus eadem ferè perpetim præfinita est, si non affirmativè, saltem ut loqvi solent, negativè, ne scil. sociali illi fini illæ adversentur, & ab eo deflectant; & qvoniam proinde nulla unqvam actio existit, qvæ non speciali huic censuræ subjecta sit, puta, rectane an recta minus finis hujus intuitu sit; accidit sanè uti facilime rectum hocce, rectitudo rectaqve actio nomina specialia invenerint, & justa hæc, illa justitia, istud deniqve justum appellatum fuerit, & vice versa injustum injustitia, injustaqve actio, qvæ ab rectitudine ea deflectunt.

Nem-

Nempe justam actionem omnes dicimus, qvâ suum cuiqve tribuitur vel conferendo, vel non lædendo; qva ad honestum, qvod idem & justum rectè dici opinor, qvatenus id cuiqve sui competens est; pertenditur; econtra vero injustam, qva ab hoc limite digredimur. Similis qvoqve ratio est in usu appellationis justi, injustiqve, sumptis vocibus, vel pro ipso competente fine, vel, qvod proprium hujus loci est disqvirere, pro ipsa actione justa injustave, aut aliqvo contento sub ea: Justitiam verò, ac injustitiam non tam habitum virtutis, ac vitii, qvàm ipsam potius qvalitatem actionis, qva recta justaq; hæc est intelligi velim, eoqve sensu, & vulgo, & ab Jureconsultis vocem usurpari, existimo, in propatulo esse, qvando justitiam, aut injustitiam causæ vulgo dicimus factiqve, reiqve, justitiam à justitiæ Sacerdotibus coli *(a)* &c. Qvod autem, de proportione hujus generis recti, deqve eo, qvo id inter universos qvoddam naturale, interqve hominum partes, positivum sociale, civile scil. œconomicum &c. est, dici potest, plenius, & pro more suo accuratius de eo sub ipso nomine justi deducit Philosophus lib. 5. Nicomach. qvò me brevitatis causa qvantum ad hæc remitto.

(a) l. 1. ff. de J & J.

VI. Utrumqve verò genus recti, arbitrarii videl. qvod dixi, solertiæqve, & alterum justitiæ, si componere qvis velit, duo imprimis comparatione hâc institutâ offendet notabilia: primum est, accidere iis, qvod & separentur, & concurrant, alterum est, hoc illi præstare. Primum manifestum satis in re nobis fit, dum advertimus, homines modò peragere, & arbitratu suo deligere, qvæ, & sibi utilia, & simul etiam justa, vel saltem non injusta sunt, prout faciunt, qvi suos colunt agros, feras, ubi desuper prohibitio non est, sectantur in suo, solvere proponunt, qvæ debent; modò autem contra perficere, qvæ sibi qvidem, aut alii alicui, vel aliqvibus speciem boni ferunt, utilis, aut jucundi videl. adeoqve ad scopum particulariter fortè delectum qvam compendiosissimè collimant, cum multa tamen injuria aliorum sunt conjuncta, multamqve injustitiam secum vehunt; veluti si belli negotium ita qvis dextrè instruit, habito delectu, militum instituto exercitio, commeatu, armis, munitionibus, & reliqvis, provisis, ut victoriam obti-

obtineat facile; res tamen ita ſit comparata, ut & Dei honor, & proximi utilitas omnis ſusque deqve habeatur, occupatio alieni per fas nefasqve, raptus fortunarum hominum innocentium, & ſimilia monſtroſa alia evenire non curetur; verbô, cauſa belli injuſta ſit. Hic qvidem qvoad priorem typum egregius aliqvis poterit audiri bellator, ipſumqve bellum cautè prudenterqve & rectè dici adminiſtratum, utcunqve totum iſtud bellum injuſtiſſimum, omnesqve actus ejus longiſſimè à ſcopo juſtitiæ communis abſcedant: ſimiliter egregium, opifex qvisqve ſibi ſtruere poteſt ædificium, aut aliud conficere opus qvoddam, è materia furtiva tamen, aut in loco, in tempore, ubi non licet; alius arte directô ictu, qvem fortè deſtinat, rectè conficit, aſt crimine etiam capite luendo. Qvin accidere prætérea poteſt, ut non tantum alterutro, ſed & utroqve vitio laboret actio aliqva, veluti ſi injuſtum bellum æqvè adminiſtratur ineptè, ex malè qvæſito iners exſtruatur opus.

VII. Jam, qvod ſecundum attinet, puta præſtantiam utriusqve hujus recti, facile qvidem conſentiunt omnes optimam, ac laudatiſſimam, & proinde maximè expetibilem eam eſſe hac ſpecie actionem, qvæ & juſta eſt, & ſimul provida; ut & peſſimam contra, qvæ rectitudine caret utrâqve: cæterùm ſi contingat, actionem qvalitate alterutrâ indigam eſſe, vel etiam oportere eſſe, ſi alterum, ut cum altero ſtare nō poteſt, expetas, puta qvod minus ad commodum agere poſſis, ſi velis juſtè, aut minus juſtè qveas, ſi cupias commodè; hoc eſt in qvo circa prælectionem luctatur mundus, & probi cum improbis, imò probi ſecum ipſi, ſi non judicio, ſaltem uſu, ac exercitio, perpetuum gerunt diſſidium. Laudat qvoqve dominus diſpenſatorem iniqvum, qvod prudenter fecerit, & prædicat filios ſeculi, qvando neglecto communi, ſuam ſolerter incedunt viam. Verùm enim verò, cum boni magis qvàm improbi ſint audiendi: cum qvod è diviniore, ac limpidiore rationis, qvam affectus turbido fonte promanat judicium, magis ſit comprobandum: cum actuum juſtitia ad conſervationem pertineat univerſi, qvippe bonum verè commune & qvidem ſingulis membris concinnum, ac cōpetens, propoſitū habens: Contra verò juſtitiæ expers actio à fine hoc divaricet, ac divagetur & ipſa de formis, ad labefactandam in

B toto

toto, ac membris pulchritudinem ſymmetriæ univerſi nitatur; meritò ſupra hanc divaricantem à bono ſociali, illa qvæ honeſta, ac juſta eſt, actio, ſuum obtinet locum, in tantum, ut etiam qvod pulchrum in illa ſit, ſi ſolum in campũ prodeat non pulchrũ, ſed deforme, ſi rem penitius ſpectes, appareat; ſcil. qvid verè pulchri erit reperire in ſolerte accumulatione opum, in agili, ac ſtrenua hominum multorum jugulatione, in affabri alicujus operis confectione, ſi illam per fraudes turpesqve machinationes exerceas, iſtam citra omnem cauſæ juſtitiam per meram truculentiam peragas, hanc in malam crucem innocentium dirigas; ſanè averſabitur imò horrebit ejusmodi diligentias omnis mens ſana, rectumqve judicium omnium, qveis ſua è meliore modò luto finxit præcordia Titan. Pertinet huc flos ſapientiæ humanæ, juxta pietatem unicè juſtitiam commendantis; Cujus, ut infinita omittam, ſunt illa Regis ſapientiſſimi, ſapientias ſuas ab hac ipſa commendatione inchoantis, tali facto exordio: *Diligite juſtitiam qvi judicatis terram*; & illa Philoſophi, *(a)* qvibus omnes demum omnium virtutum operationes, qvalitate juſtitiæ imbutas verè ſplendeſcere, virtutesq; ipſas omnes applicatâ demum juſtitiâ heſpero, atqve lucifero ſplendidiores exiſtere prædicat. Item illa civilis legislatoris *(b)*, *Unam*, aſſerentis, *eſſe omnium perfectiſſimam virtutem hominibus, juſtitiam, cujus bona ni ſubſeqvantur, unumqvamq; aliarum virtutum, fieri nihil eorum qvæ competant, adeoq; nec fortitudinem laudare ſeſe, qvæ non ſit cum juſtitia conjuncta, à qva ſiqvis juſtitiam ſubtrahat, delictorum ſolummodò, non qvorundam bonorum fieri occaſionem:* & qvæ ſeqvuntur. Qvod autem de præſtantiſſimis virtutum, earundemq; actionibus ſapientes vitæqve periti dicunt, id multo magis de viliori artificio, vulgariqve ſolertia, indeqve profluentibus artibus dicendum erit, cum juſtitiæ obſervatione benè, abſqve ea malignè ſeſe habere ipſas, & qvæ ex iis ſunt omnia. Manebit igitur hoc: rectam verè ac propriè mereri dici eam actionem, qvæ & juſta ſimul eſt; & hactenus etiam qvamvis, qvæ ad proprium qvendam finem dirigitur, nomen hoc probè ſibi tueri, imò forſan eò magis egregie, qvò feratur ad hunc, concinnius; contra verò vix eſſe, uti, qvæ cauta, artificioſa, prudens utcunqve ſit, injuſta tamen, nomen rectii

(a) lib. 5. Eth.

(b) Novell. 59. pr.

recti retineat salvum, nisi per laxiorem qvandam analogiam; prout id tandem etiam usus testatur sermonis vulgaris, cui rarius continget esse consonum, injustæ actioni recti epitheton immediate jungi, qvin contrà rectum inibi communiter desiderabunt homines. Sed tota hæc res de natura justi, ejusqve differentiâ, ac præcellentia, præ recto arbitrii, ac solertiæ, qvod appellare libuit, magis liqvido in conspectu erit futura, siqvidem utriusq; fons adeatur, utriusqve scaturigo paulo penitius introspiciatur, Lex videlicet humanaqve arbitraria potentia.

CAPUT II.

De Lege arbitrariam hominis potentiam in id qvod justum est dirigente.

I. Homo ad imaginem DEI habet, esse αὐτόματον liberioris potentiæ, cum dependentiâ tamen & conditione propriæ naturæ congruâ.

II. Hæc potentia, qvam primam naturalem, vel etiam facti appellares, & per organa, qvibus sese habet exserere, varia, & prima qvadam causa humanarum actionum omnium est.

III. Ut aliis rebus ita & actioni suum aliqvod qs. materiale & formale est: illius locô, motus seu aliqva motiva vitæ ratio, hujus vice circumstantiæ esse possunt.

IV. Potentia prima hominis duplex est; aptitudo ad motum, actumq; multiformiter edendum; & arbitrium isthunc certiformem effingendi.

V. Vis arbitrii, seu qvod idem dictu est, facultas deligendi, est cum cognitione destinatio.

VI. Hujus libertas ex sese, ad usq; terminos potentiæ aptitudinis, indefinitæ est lativagantiæ.

VII. Ne autem hâc ipsâ arbitrariâ libertate, stimulô insuper ad inordinatæ affectus, & cupidinis proprii, juxta positô, in pejus ruat naturæ: terminum illi posuit terminantem divina providentia legem.

VIII. Et eam qvidem, ut & reliqvis creaturis suam

IX. Ita & homini; cui pro conformandis dirigendisqve actionibus moralibus ad finem justitiæ idem lex præstat, qvod artifici regula ad suam pro fine suo operationem.

X. Insita lex naturæ menti nostræ est, sed modô magis mirandô, qvàm qvi verbis possit exprimi.

XI. Lex naturæ, & si qva est universalis divina alia, vim suam, atq; imperium per omnes hominum societates diffundit.

XII. Legesq; harum positivas sibi habet obnoxias.

XIII. Qvin lex positiva ea demum verè jus lexq; est, qvæ vel ipsum jus naturale, vel jure naturali suffulta est, munitaq;.

XIV. Exempla legum, qvas civilis nomothetica reponere solet, ex merè naturalibus.

XV. Munimentum naturæ habent leges, qvæ ex hypothesi sunt evitandi majoris inconvenientis: Item arbitrii alicui jure competentis, de aliqvibus liberè statuendi.

XVI. Cavendum hîc, ne hypothesis hæc ad naturâ magis turpia, aut penitus illicita subfigatur.

XVII. Modus legis conterminandi potentiam hominis ad actus justitiam, qvæve terminorum ejus vis ac necessitatio.

I.

(a) Gen. 1. v. 26. & seq. c. 5. v. 1. c. 9. v. 6. Sap. 2. v. 23. Eph. 4. 24.

PLacuisse constat *(a)* naturæ rerum, sive qvi melior natura, principium ac conditor omnium est, Opt. Max. DEO, præ aliis suis operibus; qvæ qvidem in corpore constituit, hominem ad imaginem suam condere. Jam verò divini primùm archetypi esse, existere automaton liberum; h. e. & potentiam habere Deum agendi ex sese, & qvidem liberè agendi, cum ipsa tot rerum productio, ad qvam nulla eum necessitate adactum esse ullo modo fingi potest, (qvid enim DEUM coëgisset aut necessitatem ei imposuisset) evincit; tum rerum superna conservatio, mirabilis, præter vim ac destinationem inferiorum agentium, directio, & arbitraria multorum divinitus proficiscens rerum abolitio ostendit; *Omnia; qvæ vult facere potest Deus noster; qvi in cœlis est* teste divino psalte: *(b) qvod facit Deus adest; & qvod vult necesse est ut fiat, dat cui vult omnia, movere montes, regiones, regna transferre de gente*

(b) Ps. 115, 3.

in gen-

ingentem; corda hominum movere; ad liberam ipsius pertinet potentiam.*(a)* Ut igitur in his qvoqve, potentia sc. & libertate arbitrii, archetypum suum modô qvodam suô referret homo, cõvenientissimum apparet visum fuisse æternæ voluntati, cui illum ad imaginem, ac similitudinem sui creare placuit: Qvin ita effectui fuisse datum, & existere, qvem homines spectamus hominem, αὐτόματον multipotens, ac multò liberum, sive arbitrarium, ipsa vis humana cognoscibilis scire facit homines. Dico verò modô qvodam suô, putans eô, qvo immensa illa DEI sapientia liberrimumq; placitum eam sui similitudinem effictam ac determinatam voluit: neq; enim Deus in qvo omnia infinita, alium potentiæ, ac libertatis infinitæ creare voluit, ita enim alterum creasset Deum, qvod ipsum DEO divinæqve essentiæ haud congruere, vel ipsa mens nostra paululum in sublimius rapta qvodammodò palpare incipit. Qvod igitur in DEO infinitum, in homine finitum, ut esset necesse fuit. Neqve verò etiam imaginem idem necesse erat esse, qvod erat id cujus fieret imago, aliud enim est idem cum altero esse, aliud alterius esse imaginem; ut proinde de humana hacce tum agendi, tum eligendi seu arbitrandi potentia; licet divinitatis aliqvam imaginem præferat, putari tamen non debeat, ac si aliqvid sit absolutè ex sese, aut in sese subsistens, cum nullâ ab altero aliqvo dependentiâ; certè labasceret, & in nihilum nostra redigeretur potentia, si non ab omnipotentia ejus in qvo vivimus, movemur, ac sumus nos, cui ut ortum ita conservationem suam debent bona omnia, ea qvoqve sustentaretur, ac foveretur; unde adeò qvicqvid de automatâ humanâ potentiâ dicitur, cum eâ hactenus dependentiâ intelligendum est, qvæ creaturæ omni, cuilibet tamen secundùm suum ab ipsô conditore determinatum modum, communis est: qvam qvidem, sive sustentationis, sive dependentiæ rationem configurare dubito an concinnem satis possis; qvæ enim humana mens intimum divinæ potentiæ agendi modum intimius scrutari, nedum verbis lingvæ delineare poterit: Ruditer forsan adumbrares, per automata ab hominibus è rebus inanimis confecta; qvæ pessum ire, ac brevi disturbari, corrumpi; & à motu qviescere necessum foret, nisi fulcris, humanâ industriâ fixis, aliâqve humanâ curâ sustine-

(a) Eccl. 3. v. 15. Jerem. 17. v. 5. Hiob. 19. 5. seq.

ſtinerentur, conſervarentur inqve aptitudine ad motum juxtà continerentur. Verùm qvocunqve non ſatis comprehenſibili modo, hæc qvaliſcunqve dependentia ſeſe habeat; in eo ſeſe poteſt efferre humana αὐτοματία, qvod præter ſpiritalem & angelicam in creaturis, divinæ magis propinqvam non agnoſcat. Nam etſi qvælibet naturâ ſuâ ſe moventia aliqvid ſimilitudinis hujus participent, inſenſata ſimul ac ſenſu prædita, veluti cœlum, plantæ, animalia; nulli tamen harum creaturarum æqvè arbitrariæ libertatis & variegatæ aptitudinis potentia movendi ſeſe agendiqve eſt, atqve rationali homini.

II. Cæterùm neglectâ curâ, qvô modô dependentiam humanæ illius ſui potentiæ adumbrare, vel etiam concipere qveas, qvam multum aut parum ſimilitudinis illa cum divina habeat; hoc qvidem apparet, eandem homini datam eſſe longè plurimam, ſive ad actum ipſum, ſive ad delectum agendi reſpicias. Si nomen ei qværeres; Diſciplinarum ſtudioſi potentiam naturalem (hominis) fortè appellarent; intellecturi vim conceptivam, appetitivam delectivamqve & ſi qvid aliud ab intra ad caput, atq; principium cujusqve actionis concurrit, ipſamqve porrò concepti, appetiti, delecti, executivam, per obnoxia organa, qvæ tum ipſa ſunt proprii corporis membra, tum alia voluntati parentia inſtrumenta, tàm inanimata, qvàm animata, animalia hominesqve, integræ ſocietates, civitates, exercitus &c. ſcil. per ejusmodi ſenſibiliter ad extra procedere humanam actionem, ſive ad eam agendi vim, obſervare eſt. Qvod autem naturalem eam qvoqve appellem hujus potentiæ partem, qvæ per organa à corpore noſtro ſeparata, exeqvutiva eſt, id intellectum qvidem velim qvoad caput actionis, & principium motus, perqve modum qvendam connexivum eorum, qvæ remotiùs agunt, cum eo, à qvô prima impreſſio hôc, vel illô modô agendi fit atqve in hæc profluit. Sanè ad cujus unius delectum, voluntatem, præcepta, integra procedunt agmina; à cujus nutu dependet, res maximas effici, illum imprimis potentem dicunt homines, etiam citra conſiderationem jurene an injuriâ hæc aut illa poſſit; unde ſi non naturalem, ſaltem *facti* potentiam aut alio ſimili modo eam liceret dicere, ad differentiam legitimæ, ſeu illius

ejus

ejus modi, qvô lege confinita est. Distinctam autem esse potentiam qvandam facti à legitima manifestum facit, qvod multi multa sæpè possunt efficere, etiam per externa ista sibi obnoxia organa, qvæ tamen lege approbationem non habent, imò juri adversantur. Id verò in sensus incurrit, qvod pro diversitate subjectorum organorum, horumqve subjectionis, diversum modum, potentia hæc, sive naturalem, sive facti totam ejusve partem appelles, habeat, diversisqve hominibus multum diversa existat, qvoad efficaciam; dum, qvi alios bonitate ingenii, virtute connatâ, acqvisitâqve, agilitate, ac robore corporis, bonis fortunæ, honore, divitiis, famulitio, subditorum multitudine præeunt, hisdemq; addictius liberiusqve imperant, longe amplius rerum valent gerere. Deinde facilè qvoq; putem constare *αὐτοδύναμιν* hancee, omnium vitæ, humanarumqve operationum, qvarum qvidem homines ipsi qva tales citra externum impulsum auctores existunt, sive parvi sive majoris, sive maximi momenti illæ sint, fontem qvasi, ac scaturiginem esse; eòqve potentiam hanc & hominum actiones rationem qvandam causæ, & effectus ad invicem habere.

III. Qvoniam igitur omnium rerum operumq; effectorum commune porrò est, duplici constare essentiali, eô scil. ex qvo, & eô per qvod, sive id ipsum qvod certo modô, nunc formatum qvidqve est; materiam & formam appellamus; & qvia hoc; duplex qvoqve producens, sive efficiens causale easdem res agnoscere, unum formæ, materiæ alterum: hinc idem qvoq; videtur licere augurari de actione humana, & qvæ causa ejus esse ostensa est humana sui-potentia: illam nempe qvando prodiit, si non verè ac propriè (qvis enim propriè materiam putaret actionibus esse, qvalis rebus corporeis est) saltem qvid instar materialis, ac formalis rei cōplecti, hanc verò ut productivam utriusqve effectus consideratam duplicem qvoqve esse. Ut autem, anteqvam applicatio astruendi fiat, suppositum lucidius versetur in oculis, respiciat velim benus lector, ad res cū arte tū natura formatos, & perfacile deprehendet rem ita, ut dixi, esse, pallium nempe, domum, civitatem, frutices & infinita ejusmodi alia, materiam habere pannum, ligna, homines, elementa; & ipsa tandem simplicissima elementa, ut naturalium

rerum

rerum indagatores oſtendunt, ex qvodam eſſe, qvod primam appellant materiam. Eadem verò non minus ſuam qvoqve habere modò nunc, poſtqvam hoc aliqvid tale eſſe cæperunt, formam; ſeu, ut ferè Ariſtotelis fert philoſophandi ratio, eſſe aliqvid formatum, modô, qvô pallium, domus, frutex, civitas aut ſimile qvid tale ſunt. Similiter attendat velim, qvomodo talium duplex qvoqve cauſa facultasq; qſ. effectrix exiſtat, dum v. g. in artificialibus & iis, qvæ interveniente humanâ operâ efficiuntur, alia penè facultas eſt, qvæ ligna, lateres, pannum, & ſimilia ſuggerit, alia qvæ ædificium, veſtem, & cætera talia exinde conficit formatqve. Ubi qvidem & porro apprimè notandum exiſtimem, gemino iſti rerum eſſentiali, materiæ & formæ, geminas facultates effectrices contingere in diverſis ſubjectis; ſed & in eodem. qvomodo id imprimis in naturalibus vegetativis, qvæ & ipſa naturæ qvædam activa, effectivaq; ἀυτόματα ſunt, naturales Philoſophi obſervant, qvando duplicem qvoqve potentiam, ad id qvod inde fieri formariqve debet, inibi agnoſcunt; unam ſcil. potentiam, ſeu aptitudinem materiæ, qvâ illa res, illud corpus, aptum natum eſt, ut hoc, aut illud inde qveat exſurgere, aut prodire, qvá v. g. ſemen eſt, aut radix, unde homo aut planta poſſit enaſci, non lapis, aridumqve lignum: alteram verò vim formativam, ſeu plaſticam, qvam dicunt; ſive temperatus cum humore calor, ſive qvid aliud divinius illa ſit, cujus vigore, actuqve formâ qvali ſpecies prodit. Et verò, qvæ in hiſce hujus concurrentiæ ratio eſt, eandem, aut ſimilem qvandam ex iſta ſimilitudine cauſæ, & effectus, humanæ qvoqve actioni rationaliqve potentiæ convenire, ſi liceret, augurarer. Eqvidem (ut aſſerendo incumbam preſſius) qvid materia, qvid forma actionis, qvid materiali, ſeu receptivæ, itemq; Formativæ, ſeu plaſticæ facultati in hac potentia reſpondeat, minus fortè eſt conſpicuum; interim cum ea, qvæ genere actio eſt, variâ prodeat ſpecie, variaqve formâ, utiqve commune qvid ſubeſſe tot diverſæ formæ actionum ſpeciebus videri poteſt, qvod ſaltem ad inſtar materiæ ſe habeat, & aliqvid ſaltem qvaſi materiale actionis conſtituat, utcunq; id ſeparatim ſenſus noſtros non incurrat; eô qvidem minori miraculô, qvia ut materia rei ſenſibus dignoſci qveat, etiam in rebus corporeis natu-

naturalibus, non perpetuum est, neqve enim elementum aliqvod purum, v.g. ignem, aërem, in metallo, aut alio perfectius composito, formatoq; à natura corpore, sensu dignoscere qvisqvam potest; utcunq; idem rei adest, sub forma tamen coopertum. Unde adeo dico minus mirari liceret, si qvid actioni, materiæ instar statuatur esse, licet oculis id non cernatur: utpote, qvod non nisi sub forma formatâqve actione idipsum forte procedat in medium, intellectui magis qvàm sensui obvium, ac comprehensibile. Sed qvid illud foret? forsitan, qvia omni actioni, præter ea qvæ circumstantiæ dicuntur, motus qvis, seu ipsa motiva aliqva ratio communis est, hæc erit, qvæ instar materiæ ei est; & qvia circumstantiæ communi sapientum placito sunt, qvibus actionum species formantur, immutanturqve, in his forma actionum videri potest consistere. Sed de hac re, puta in qvo propriè consistat generica, & qvasi materialis actionis ratio, in qvo, aut qvibus ejusdem forma, ac differentia specifica, forsitan aliò in locò dicendum veniet ulterius. Hîc breviter in caput rei digitum modò intendisse velim. Dato autem & materiali, & formali actionis, ut effectis potentiæ propriis; circa ipsam potentiam augurium illud etiam fortius videtur exurgere, hanc nimirum duplicem qvoq; esse, eô fine, ut geminâ qvâdam operâ ad utrumq; illud actionis essentiale qveat defluere; non obstante, qvod in uno subjectò utraq; vis conjungatur, cum, ut ante monebatur, & hîc cæteris naturâ suâ agentibus idem fieri accidat.

IV. Nec verò dubitabit fortasse aliqvis geminam statuere homini ad actum producendum potentiam, qvi cernit, & fatetur, plurima esse, qvæ homo agere aptus, natus factusq; est, verbo, qvæ potest, e.g. ambulare, mercari, militare, legere, scribere, &c. nec tamen agit, nisi eadem etiam arbitrio deligat; cujus verò delectionis arbitriiqve vis seu potentia itidem penes eundem sit. Item, qvi animadvertit diversum esse, posse qvid vigore virium expedire, & idipsum qvod expedibile, posse qvoqve expediendum deligere, aut non deligere; utrumqve verò illud posse, ut in eodem homine concurrit, ita & in actum formatum notabiliter prodire, actu tamen modoq; diverso, executivo scil. & præformativo, qvos diceres.

illum qvendam intelligens, qvo qvasi materiale actus cum appressa forma tanqvam à matrice foveatur edaturqve; hunc, qvô formam eadē, antequā editur, cuidā qvasi matrici, qvæ enixura sit inditū imprimatur. Describeret qvis, sive duas hasce potentias sive unius acti-factivæ potentiæ virtutes partesve duas, qvod altera, ad instar materiæ primæ (prout hæc qvidem ab aptitudine varias recipiendi formas in physicis describitur); seu alterius rei materialis, multiformabilis, ad actum edendum qvasi indefiniti-formis sit, qvodq; nihil aliud eâ denotetur, qvam valorosa qvædam hominis aptitudo ad varii generis actus producendos, qvos tamen formatos non producat, nisi per impressionem formæ aliunde sive ab aliâ sibi sociâ potentiâ factam, qvæ qvidē ipsa imprimens potentia, dicta illa præformans altera sit, naturâ suâ edendarum actionum plastica, per modum, qvo qvasi in matricem, potentiam agat, ad certi-formes actiones eam determinans, propellens devehensqve. Forsan etiam conciperet qvis rationem utriusqve facultatis seu virtutis, easdem ulterius ad invicem comparando, per modum respectus, qvi inter servum ac dominum, discipulum atqve magistrum est ad actus operumqve confectionem, qvà tales concurrentes; ubi illi apti licet sint potentesqve; plurima multiformiter efficiendi, non efficiunt tamen, expectantes horum imperium, instructionemqve, qvæ qvidem instructio ex horum itidem potentia procedens, illis imaginem qvandam, atq; ideam futuri actus aut operis præfinit, juxta qvam discipulus scil. aut servus, non autem magister, aut dominus in esse isthæc producunt; non autem ita producturi, si citra illorum præscriptum datumqve mentibus ipsorum modulum permansissent. Puto qvi ita utcunqve, hanc potentiam, ut in re est, dignoscat, illum multiformabilem isthanc atqve instruendam, *potentiam* forte *aptitudinis*, hanc *arbitrii* seu *facultatem deligendi* hominis diceret. De priori, qvâ homo qvidem aptus est, ac valorosus, per subjecta huic parentia varii generis organa, ad datam impressamq; ex arbitrii delectu ideam actiones producere formatas, res videtur expedita satis, de posteriori qvæ formæ impressiva est ejusq; de ratione paulò amplius videndum.

V. Arbitrium seu vim deligendi hominis, eam esse, diciqve debe-

debere hominis facultatem, cujus impressione idem, ejusve aptitudinis dicta potentia, ad formalem determinetur enitendum actum, ex dictis patet. Videndum cujus subjecti, qvarumve partium sit; qvantam habeat ex sese latitudinem; & qvalem deniqve commixtim cum aptitudinis, qvæ dicta est, potentia, sumpta, à lege, conformationem patiatur ad justum; Cujus, (cui qvidem intimè, ac radicaliter inhæreat,) subjecti sit, ex ipsô, per qvem sese exserere, cujusve esse, ipsa hic dicitur, *actu deligendi*, colligere *est*; *animi* nimirum hominis, utpote cujus intimum atq; primariò proprium est electio. Qvando autem porrò hujus subjecti duæ sunt, sive facultates constitutivæ, sive partes: intellectus & appetitio, ut vulgo, & sapientibus est notum. Illius autem actus est, cognoscere, hujus destinare, aut impetere. Extra dubium autem est nullam fieri delectionem absq; utroqve, nemo enim incognitum deliget, aut elegisse putabitur, sine destinatione qvicqvam; conseqvens igitur est, & gemini subjecti, & geminarum partium eam esse, atq; id junctim qvidem, ita ut eadem sit, qvæ intellectus, voluntatisq; complicata facultas, modô qvo hi ad actum jungi solent, qvô nempe præcedentem cognitionem seqvitur destinata præsumptio, aut præsumens, sive destinata appetitio, qvæ qvidē ipsa jam plena, ac propriè dicta præelectio est. Unde porrò vis hujus deligendi arbitrariæ, haud difficulter colligere est definitio, sive essentia; esse nimirum eā vim pręcogniti (certi.) destinandi, sive etiā esse cogniti prædestinandi. Et porrò actum ejus propriū, qvi deligere est, esse cognitū prædestinare, appetere, sive impętere: verbo, hunc esse præeligere, illā vim præeligendi. Qvam qvidem naturam commodè exprimere satagens Aristot. (a) eandē hanc arbitrādi, seu eligendi facultatē προαίρεσιν suâ lingvâ appellat, intellectū appetitivū aut appetitionem intellectivam esse asseverans. Eandem qvatenus in tractu aliqvo, & ante ultimam destinationis terminum consideratur, consultativam; qvatenus verò in extrema definitione acqviescit, conclusivam qvis diceret, βουλευτικὴν ὄρεξιν itidem alibi definit Philosophus: (b) constat, cujus subjecti, & partium sit arbitrium, visq; eligendi hominis, simulq; cum his, qvid illa sit, & qvi ejus actus, per qvam illa potentiæ aptivæ ad actum conformatio, qvâ de thes. præc. dictum est, fiat.

(a) l. 6. Eth. c. 2.

(b) l. 3, Eth. c. 3.

VI. Latitudo qvam ex ſeſe hæcce vis habet, æſtimanda erit ex libertate h.e. impedimenti carentia, qvâ ſibi gaudet. Sed impedimento arbitrium noſtrum ex ſeſe carere dixeris in infinitum; eôqve eſſe tum poſſibilis, tum impoſſibilis rei, prout etiã id de voluntate notat Ariſtoteles in Nicomachiis. Cæterùm qvia per naturæ neceſſitatem inanis eſt electio impoſſibilis, ſeqvitur igitur, qvatenus ut formativum actionum humanarum conſideres arbitrium, primum omnium ad poſſibilia agendi id reſtringendum eſſe, poſſibilia autem unicuiq; agendi ſunt ea, qvæ ex ipſius aptipotentia poſſint proficiſci nõ ex aliqvo ultrà, qvapropter ad huj9 usq; terminos illi qvoq; laxatio poteſt eſſe non ultra. Et dicendum, libertatem arbitrii acti-formativi, ſeu ipſam arbitrariam acti-formatricem potentiam, terminos habere eosdem, qvos illa, qvæ aptitudinis, qvam & executivam diceres, potentia eſt, habet. Intra hos autem, qvod porrò addendum, eandem pro illo effectu ex ſeſe interminatam, ac liberam eſſe, ita, ut homo qvi hac arbitrariâ deligendi potentiâ utitur, hactenus, vi hujus ſibi relictæ, qvodcunqve valet agere, poſſit & eligere, licet hæc res cuivis fortè non continuò omni careat ſcrupulo. Qvæ enim abſurditas, dixerit qvis, qvæ confuſio rerum, qvemlibet poſſe qvidlibet? Sed tenendum omninò exiſtimem, qvod ponebatur, idqve partim deberi archetypo iterum, partim probari ſenſu. Deo ter Opt. Max. ut potentiam, ita & libertatem eſſe infinitam, facilè dubitabit nemo; qvid enim Deo divinæqve infinitudini terminos poſſet poſuiſſe? unde ſtatim liqvet, in Deo qvousqve, & qvàm latè qvidem patet potentia agendi, eò usqve, & tam latè etiam patere potentiam ejus deligendi. Mireris igitur ſi, qvod propinqvè admodùm DEI imaginem præ ſe fert, qvamvis non ad DEI infinitudinem, potentiâ, ac libertate accedat, qvod ei, qvod extra Deum, atqve à DEO eſt, non cõvenire ante dixi, ſi modò non per ſimilitudinem DEI, qvam fert, ad ſuæ ſibi usq; datæ potentiæ latitudinem, libertate hâc deligendi fruatur. Porrò verò ita hominibus contingere, ſi qvidem rem ut in ſe eſt reſpicias, qvotidiana evincit veritas, dum homines ad ſummum potentiæ ſuæ imò ultrà, vanè licet, deligere videmus. Unde & nomen hæc arbitraria deligendi vis accepit, qvô libertas ar-


bitrii-

bitrii, arbitrium liberum, imò unâ voce, vel arbitrium vel libertas dicitur.

VII. Sed hîc tamen non abs re nec ſine cauſa in admiratione qvis perſiſteret, cogitans, qvomodo tanta ſtatuatur arbitrii libertas, ut qvicqvid unusqvisqve poſſit agere, id etiam liberè qveat deligere, & ad formatum actum perducere! cum ſi hoc admittatur, privatæ ſimul, ac ſociali hominum vitæ, imò naturæ rerum aliqvid inſupportabile ſtatuatur; qvippe qvod in poteſtate hominum hoc modo ſit, & bona, & mala peragere, & in his ea, qvæ ad deſtructionem & ſui cujusq; ipſius & aliorum hominum, & omnis humanæ ſocietatis, privatæ ſocialisqve commoditatis, ad everſionem deniqve naturæ, & maculationem gloriæ conditoris ejus graſſarentur, ſiqvidem indifferenter in medium prorumperent. Verum ſcivit hîc qvoq; almipotens rerum conditor, atqve conſervator pro immenſa ſua ſapientia, ac bonitate remedium dare, limitemq; non ponere tantùm, ſed & notitiæ hominum (& ſi qvæ præterea ſimili indifferenti gaudent arbitrio) imprimere, cujus beneficiô incongrua tum arbitrii tum effectivæ potentiæ declinatio, & à rectitudine, ac bono univerſali vero (qvod cuiqve ſuum eſſe antea eſt dictum) ad pejus digreſſio poſſit, imò ſub interminatione proprii exitii neceſſariò debeat ab iis evitari.

VIII. Poſuit igitur inqvam DEUS, neqve cum hominibus tantum, ſed & omnibus tam inanimatis, qvàm animatis ſuis creaturis, limitem juſti, juxta qvem fierent, conſtarent, qvieſcerent, ac moverentur omnia, in finem bonumq; cuiqve à ſeſe præfinitum; qvando univerſam hanc rerum machinam, ut hoc, qvo ſpectatur ordine, & qvæ ſingula in ea ſunt, hac etiam qva videntur bonitate, conſtarent, primævo omnipotente illo fato ſuo ordinavit: (a) firmamento ut conſiſteret inter aqvas; luminibus, ut viciſſitudines temporum darent, legem dixit; qvando terræ ſuam poſuit menſurã, & regulã ei ſuperinduxit; qvando mari ſuas clauſit portas, huc dicens pervenias, & nõ ultra, hic eſt ubi ſiſtere debent ſuperbi usq; fluctus tui; cum telluri, & aqvis injungit, ut gramina, herbas, arbores, ut animalia producerent omnis generis, & rurſum his, ut fructus & ſemina ſua ferrent ſecum, ut creſcerent, ac multiplicarentur;

(a) Gen. 1. Job 38. & paſſim.



tur; summâ, qvando sapienter ordinavit omnia. Limes autem & ordo rebus istis omnibus à Deo constitutus datusq; nil aliud est, qvàm ipsa divinitus condita connataq; naturæ, qvæ dicitur, lex. Qvam eqvidem non restringent ad solam rationalem naturam, aut hominē, qvi animadvertunt, omnia etiā inanimata ejusmodi ordinatâ vi, divino isthoc primariô effatô cuiq; rei inditâ, & constare, & bona, ac cōpetentia qvævis peragere. Prout id etiā agnovit Plato, *legem naturalem* judicans *omnibus ab authore naturæ inditam, hominibus autem nobiliori modo:* qvousq; Aristoteles hujus juris peritus fuerit, inferius recurret dicendi occasio; aliorum testimoniis, ut rem claram pluribus confirmem, non est opus; tantum illud Justiniani haud prorsus absurdū esse dixerim, cōtra qvā nonnulli volunt, ubi *jus naturale* dicit, *qvod natura omnia docuit animalia*, & qvæ seqvuntur; non tantum, qvatenus bruta lege naturæ ad hæc, aut illa jugiter qvasi agitentur, in modum, qvo & vegetabilis qvævis, aut etiam alia naturæ moventia opera propelluntur; sed etiam qvatenus similitudine arbitrariæ cujusdam potentiæ, ad naturam hominis aliqvousq; accedentia, istius sui qvaliscunq; arbitrii, & per hoc potentiæ determinationem, suo qvali modô, agnoscant: qvid enim aliud esset qvod impediret canem, qvò minus appetitu stimulatus in omnem offam involaret, eqvum, taurum, qvo minus calce, aut cornibus obvios qvosq; pro titillante libidine impeteret? dixeris pœnas metuit tale animal; sed qvomodo animo illud suo, istas pœnas futuras concipit, & qvidem ob hoc tale suum factum? ne dicam de qvorundam multis obedientiæ, itemq; beneficentiæ speciminibus, qvas dominis, ac benefactoribus suis exhibere studeant: qvæ omnia si non ipsam ejus qvod rectum est qvandam cognitionem iis inesse doceant, nolim enim adeo duro modo loqvi, saltem simulachrum qvoddam ejus, qvoad qvædam, qvæ conveniant, in iis qvoq; reperiri videntur ostendere. Sed missis his ad humana convertatur cogitatio.

IX. Limes ordinati, & recti, puta ejus qvod ab eminentiori authoritate provisioneqve tale constitutum est, tam finale ac ultimum qvàm qvod ad hoc medium est, sine dubio homini omniqve humanæ vitæ lex est, qvæ dicitur: Id præstans homini pro dirigenda a-

dæ actione ad bonum morale verum (ita appellare liceat & actionem justam & id qvod cuiqve suum justumq; desuper deputatum est,) qvod artifici tum materialis, tum mentalis; qvæ ipsum præceptum est, regula ad bonum artificiale, qvod perfectio operis est, pertingendum. Scilicet in potentia cujusvis opus facientis est, operando multifariàm hallucinari, ac deflectere; qvò minus qvàm rectissimè ad perfectionem operis, pertendat, nisi juxta regulā artis struere pergat; Id qvod videre est in iis, qvi, vel præceptis artium non imbuti, vel imbuti qvidem, operantes tamen ad illa non attendunt, aut etiam normam qvâ indigent non adhibent. Ità sanè & in potentia hominum moraliter agentium est, (liceat autem nunc potentiam arbitriumq; promiscuè appellari, qvam antea humanam facti potentiam, in aptitudinem, & arbitrium distinximus, qvia nempe, & utraqve illa vis vaga est, & simul etiam in qvalibet actione producenda concurrens, unum compositum existat efficiatq;) à fine morali multifariàm exorbitare, imò in contrarium ad pessima qvæq; grassari, ut communis testatur vitæ experientia, nisi ad qvandam normam recti in vita operentur. Uterqve igitur tam artifex mechanicusq; opifex, qvàm moraliter agens, ut qvā rectissimè ad finem suum pervadat, æqvè regulâ opus habet, ille artificiali suâ, hic morali, qvæ, lex, præceptumq; morale est. Esse autem illud ipsum, unde isthæc actionum directio confiat, legem, jus, præceptaqve & si qvô aliô nomine eadem res veniat, nunc pono: neqve enim ex natura rerum aliud qvicqvam depromere licebit, unde spontaneæ aliàs actiones nostræ, tale habeant immediatè directorium, qvàm id qvod legem dicimus; nisi fortè eo in loco autorem ponas legis. Sed hic qvidem est, à qvo vim illam suam directivam lex seu regula moralis habet; adeò ut haud qvoq; inficiandum videatur, ab hoc originaliter eam directionem pendere. Cæterùm qvia ipse ille autor per legem dirigit, & qvidem non eô modô, qvo manu prehendens, raptansq; pellensqve, ita enim omnimodò necessaria nostra foret actio, nihil retinens spontanei, qvod naturæ, juxta archetypum, arbitrariæ confectæ inconveniens esset; sed qvatenus sermonis fatusqve legalis natura eam directionem admittit, factam, non compactione qvadam corporeâ

ctam

claustri, qvod personæ constringat membra immobiliaqve reddat, sed ostensione, ac descriptione limitis, intra qvem ad obtinendum finem, evitandamq; digressionem ejusdemq; incommoda, actioni decurrere conveniat, authorem qvidem legis originem primamq; directionis causam; legem verò proximam eandem, ac immediatam esse dixeris: idq; per omnem humanam vitam omniaq; societatum humanarum genera.

X. Et posuit qvidem fatusq; est primùm omnium summus author universi, universo humano generi vivendi agendiq; legem; ita ut cuivis hominum eam connasci faceret; qvod advertentes cautiores, etiam ignari veri DEI veræq; originis hujus legis, nomen ei indidêre legis naturæ seu naturalis. Nobis qvi perfectiori pollemus Theologiâ, etiam divina naturalis dici meruit. Et dari qvidem talem divinam naturæ insitam legem, uti qvilibet saniori utens ratione, se ipsum modò consulens suæq; mentis scrinia perlustrans facile deprehendit; ita multô sapientum testimonio comprobatum est. *Legem mentis, jus cordibus nostris inscriptum, veritatem à Deo, gentibus manifestatam*, dicit Apostolus *(a) Nulla est anima*, ait D. Augustinus *(b) in qvâ non loqvatur Deus, qvis enim legem naturalem in cordibus hominum scribit, nisi DEUS.* Tertullianus eleganter *(c) Ante legem Moisi scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendo non scriptam, qvæ naturaliter intelligebatur, & à patribus custodiebatur. Nam unde Noë justus inventus est, si non illum naturalis legis justitia præcedebat? unde Abraham amicus DEI deputatus, si non de æqvitate, & justitia legis hujus naturalis?* Hoc idem *jus naturale illud est, qvod* Justiniano nostro, *divinâ qvadam providentiâ constitutum semper firmum, atq; immutabile permanere* dicitur. *(d)* Plures, qvi legem hanc naturalem profitentur citat Hugo de Roy, *de eo qvod justum est, (e)* ubi etiam exempla refert, qvomodo non boni tantum, sed & mali eam agnoverunt, veluti Cainis, qvi & malefactum suum, & pœnam ejus inde dijudicabat; *(f)* Pharaonis, qvi Dominum justum, se verò & populum suum injustum pronunciabat *(g)* sed qvid in re manifesta opus est testimoniis? Id saltem aliqvantò magis in obscuro videri possit positum esse, qvomodo lex illa à Deo naturæ nostræ insita sit, sive, qvæ ejus ratio existentiæ sit in nobis? utrum ipsa enúcia-

(a) Rö. 2. & 7.
(b) lib. 2. de sermon. dom. in monte.
(c) adv. jud. c. 2.
(d) §. pen. de J. N. G. & C.
(e) t. 3. l. 1.
(f) Gē. 4. 13. 14
(g) Exod. 9. 27

ciata legalia, Φῆμαι & oracula divina menti hominum impressa sint, in modum qvô qvædam oratio chartæ solet inscripta extare; an eô saltem modô, qvo enunciatum aliqvod per aures, oculosve intrans, menti nostræ infigitur; an verò ita, ut potentiam tantum qvandam animo nostro divinus fabricator indiderit, cujus ope mens à rebus objectis excitata, vel ipsa ad æternam formam hæc oracula procudat, vel divinitus jam formata conspiciat; id dico cognitu pauló videtur obscurius, & esse hîc, in qvo divinæ sapientiæ opus admirari potius qvàm multis scrutari liceat. Nec verò temerè à qvoqvam hunc modum determinari videas: tametsi plures prudentes, & accuratiores rerum contemplatores mentem hîc intervenire, rationem, itemq; actum qvendam rationis, admittant: qvi legem naturæ *dictamen* dicunt *rectæ rationis*; *legem mentis*; *(a) jus qvod naturalis ratio inter omnes homines constituit (b)*. *qvando ratio naturalis qvasi lex qvædam tacita* dicitur *liberis parentum hæreditatem addicens: (c) dictatum rectæ rationis* Hugo Grotius definit *(d) judicans actui alicui, ex ejus convenientia vel disconvenientia cum ipsa natura rationali, inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem, ac conseqventer ab autore naturæ DEO talem actum aut vetari, aut præcipi. Deo & rectæ rationi parere idem esse*, Hieroclem (e) asserere, ait Du. Roy (f) plane Aristoteli (g) γνώμη inter δυνάμεις mentis refertur & κρίσις ὀρθὴ τοῦ ἐπιεικοῦς *judicium sive vis animi judicandi æqvum* definitur. Cæterum utcunq; circa modum ferendi, cognoscendi, aut applicandi hujus legis se res habeat, id sufficere nobis potest, cognovisse: legem qvandam divinitùs naturæ nostræ inditam esse, nobisq; adjacere atq; coëxistere directricem ac rectificatricem actionum nostrarum ad bonum verum morale, itemqve præservatricem à deflexione ad malum & injustum. Legem autem qvando dico, utiq; multitudinem, intelligo præceptorum naturalium tum primorum & particularium magis, qvalia sunt beneficiario faciendum bene, promissa esse servanda, authori qvemq; suo, & ei qvi summæ eminentiæ est tribuere oportere honorem; licere ex re sua fructum pro arbitratu percipere, qvod nullius est sibi qvemlibet occupantem acqvirere: tum deductorum ex hujusmodi ac maximè universalium cujusmodi dixeris esse; honestè vi-

(a) Rõ. 7. v. 23.
(b) §. 1. J. de J. N. G. & C. l. 9. ff. d. J. & J.
(c) l. 7. de bon. damnat.
(d) l. 1. c. 1. n. 10 de jure belli ac pac.
(e) in Comm. ad Carm. Pythagor.
(f) l. 2. t. 4. d. 1.
(g) lib. 6. Eth. c. 11.

vendum, neminem lædendum, suum cuiqve esse tribuendum: Diligere nos oportere Deum Dominum nostrum ex toto corde, ex toto animo, ex totis viribus nostris, & proximum sicut nos ipsos.

XI. Atqve hæc divina naturæ lex, eò ipsó qvod toti humano generi, cui lata est, præsidet, per omnem hominum societatem sese diffundit, puta non eam modò qvæ universalis omnium est, sed qvascunqve etiam humanitus constitutas; civilem videl. domesticam, mercimonialem, & reliqvas: idq; propter subjectum, propter subordinationem, & propter ipsum cujus ergò hæc posita est finem. Propter subjectum, intellige illarum particularium societatū, homines videlicet, qvos illa lex tanqvam vigor publicæ supereminentis Majestatis, contra qvam nec occupatio potest valere ulla nec præscriptio, semper sibi obnoxios habet omnes. Propter subordinationem, qvatenus dari neqveat humano instituto coadunata societas, qvæ non in illa hominum omnium divinitus constituta societate contineatur, nisi aliqvam extra mundum, aut extra mortalium individua velis ponere; jam verò ita comparatum est, ut legalis præceptivaq; superioris societatis vis, inferiorum subordinatæq; auctoritatis societatum socios obnoxios habeat, & ad obseqvium paratos, prout id liqvet exemplo civilis, & reliqvarum sub ea comprehensarum societatum, qvando legi civitatis per qvalitatem civicam cives omnes tenentur, utcunq; in domo, in tribu, in mercatoria, aut alia societate constituti sint. Propter finem deniqve legis naturæ, qvi est, ut cuiq; suum sibive competens obveniat, convenientissimum est, ut reliqvæ societates cum suo ordine, ac statutis ei sint obnoxiæ; qvò nempè caveatur, ut juxta illum finem decurrant, non autem ab eo declinent, id qvod propter arbitrariam aliàs constitutionem civilium legum facile posset perpetrari. Ex hisce igitur, & similibus, si qvæ sunt, causis, nemo ambiget, contingere posse, ut in omni humanitus constituta societate, (ponamus civilem) ejusdem membra, tam extraneis qvàm sociis ad longè plura sint obligata, qvàm qvæ lege societatis sunt expressa, cujusmodi v.g. possint esse, ut beneficium à qvovis acceptum grató qvisq; agnoscat animó, ne antè egenum magis adhuc spoliet, ut miserum qvilibet pro posse adjuvet, qvemvis juxta se liberè

com-

commeare patiatur, cœco offendiculum non ponat, & similia. Similiterq; ut plura eadem habeant permissa, qvàm qvæ illâ continentur; imò per hæc nemo potest dubitare, qvin ipsæ illæ humanæ societates, qvà constitutionem, qvà regimen, universali naturæ legi subjectæ sint, ejusqve vim, ac directionem agnoscere habeant.

XII. Qvin etiam porrò ex his seqvitur, omnem humanam legem aut positivam sanctionem, in qvalibet harum societatum, sociali, vel etiam extra aliâ qvacunq; auctoritate ferendam, statuendam, latam, statutamqve, utcunq; aliò respectu publica & ipsa sit, multumq; communis, hujus comunissimi naturalis juris censuræ subjacere ejusq; vim revereri meritò; & vel approbationem ejus habere, si ad præfinitionem ipsius commodè se habeat, sin autem contra improbationem, & ad correctionem impulsum: scil. virtute divinioris authoritatis suffulta naturæ lex incedit, atq; illa est; qvâ pollent auctores legis socialis positivæ ex sese, qvin & horum mentibus qvasi dictator perpetuus residet ipsum jus naturæ, ostendens, qvid pro ratione universalis humanæ societatis unicuiq; suum adsignatum sit, præcipiens ut idem cuiq; etiam suâ lege tribuatur, vel saltem non intervertatur. Qvicqvid autem juri divino naturali hoc modo authoritatis competit, idem divino qvoqve positivo erit tribuendum, ob eundem authoritatis fontem in terminis præfinitionis ejus, de cujus qvidem differentia nunc pluribus agere supersedeo; obiter solummodo monens, qvamlibet etiam naturalem legem, puta qvodlibet particulare naturæ præceptum certo circumstantiarum modo finiri, juxta qvam authori ejus placuit v. g. alia præfinitio naturæ est obedientiæ filii erga patrem, alia, qvæ servationẽ promissi sancit, & ita porrò: unde hactenus dicendum est, legẽ qvoq; qvamlibet divinã positivam, ceremonialẽ, etiam ac forensem, qvia, præterqvam qvod communem authorem referebat cum morali eademqve naturali, id commune qvoq; cum ea habebat, qvod aliqvibus circumstantiis, forte personarum, seu gentis, ac temporis confinita esset; in suo qvolibet destinato objecto, populo videl. Judaico aut tempore, e.g. qvod Messiæ adventũ antecessit, respectu humanarum positionum tantundem valuisse,

imò hodieq; si qvid simile divinitus nunc ac olim sanciretur, valituram, atq; divina naturalis moralisqve lex hodie valet. Sed qvia divina illa ceremonialis itemq; forensis qvondam lata lex vim suam nunc amisit penitus; naturalis autem moralis, & qvæ hodie divina Christiana lex est, eandem jugiter usqve hodie & in seculum obtinent; de hisce nunc tantum, & si qva ulla alia expressa prodiret DEI sanctio, intellecta velim, qvæ de auctoritate divinæ legis in humanam hîc dicuntur.

XIII. Agnoverunt facilè hoc juris divini imperium in jus positivum humanum, hujus utriusq; juris peritiores. *Nos legem bonam à mala* inqvit Cicero (a) *nullâ aliâ nisi naturali normâ dividere possumus*; addit *nec solum jus à naturâ dijudicatur, sed omninò omnia honesta ac turpia.* Aristoteles utut primævam juris naturalis & originem & essentiam ignoraverit, qva de re dicetur infra, ipsi tamen justo naturali, qvod exploratum habuit; (δίκαιον appellans (b) φυσικὸν ἐπιεικὲς, itemq; τὸ βελτίον δίκαιον) tribuit correctivum esse, justi, jurisqve positivi, seu humanæ legis ἐπανόρθωμα id dicens νομίμου τοῦ δικαίου, item ἐπανόρθωμα νόμου, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου. Pertinet huc tantus JCtorum, legum custodiæ ac legitimæ administrationi apud Romanos præpositorum consensus de præferenda juri positivo æqvitate; de ampliando, constringendo, emendando, deferendo deniq; atq; abrogando illo ex hacce, per qvam plurima ex juris nostri civilis corpore petenda testimonia. (c) Qvin imò sustinores, eas demùm humanas positiones verè juris nomen mereri, qvę vel ipsum jus naturale divinumq; sint, vel à jure naturæ aut divino munimentum, auctoritatem atqve vim suam mutuentur, eidemq; tanqvam basi innitantur. Astipulatur illud Connani (d) *Fontem legum morumq; omnium naturam esse.* Imperium ait Justinianus (e) *propterea Deus de cœlo constituit, ut difficilibus imponat qvæ apud eum sunt bona, & leges aptet secundùm naturæ varietatem.* Idem (f) jura actionum seu de modis jus suum judicialiter perseqvendi commendans *majores subtilissimo animo & divino qvodam motu ad ea pervenisse autumat.* Cui cogitationi non ita pridem insistens Hugo Du Roy d. tractatu de justo (g) *justum* dicit inter alia, *non*

(a) lib. 1. de ll.
(b) lib. 5. Eth. c. 7. & 10.
(c) l. 2. §. 5. de ap. plur. arc. l. 30. de pos. l. 4. §. 1. de eo qvod certo loc. l. 8. C. De judic. l. 12. 17. de injust. rupt. & irr. l. 188. §. 1. de R. J. l. 11. 12. 13. 15. 18. 25. 39. de ll. l. 1. 3. 5. 9. 12. C. eod. pr. J. de bonor. possess. l. 7. §. 1. de just. & jur. & passim locorum.
(d) Côment. jur. civil. lib. 1. c. 1. n. 6.
(e) N. 73. pr.
(f) l. 12. circ. fin. C. de long. temp. præscript.
(g) lib. 1. c. 8. lib. 2. 7.

non esse qvod non sit rectum. Rectum autem esse, qvod cum recta ratione consentiat. Derivandum jus à naturali ratione, ut jus sit. Jus civile non aliunde suum esse, hoc est, justitiam consequi, nisi à recta ratione. Justitiam non esse in praeceptis legibusve, sed praecepta legesq; ex justitia constitui oportere. Hæc & alia multa in d. tractatu vir ille circa objectum sibi propositum acutè ac eleganter disserit. Pertinet propterea huc illud Marciani ex Demosthene itemq; Chrysippo adductum: (*a*) *Lex est, cui omnes obtemperare convenit, tum ob alia multa, tum vel maximè eò, qvod omnis lex inventum ac munus DEI est. Item Lex est omnium divinarum, atq; humanarum rerum regina, regula justorum & injustorum &c.* ex qvibus ultimis: Si lex omnis inventum ac munus Dei est, si est, cui omnes obtemperare convenit, si omnium rerum regina, regula justorum; non posse, colligitur, pugnare legem civilem cum naturali; sin pugnent alterutram naturam legis amittere, qvia alterutri non possit obtemperari: neq; verò & utrumq; ex contrariis, inventum Dei, earundem rerum regina, regula justorum &c. poterit haberi. (*a*) *l. 2. de ll.*

XIV. Exempla legum prioris generis, qvæ qvidem ipsum jus divinum ac naturale æqvum sunt, civilis Nomothesia qvàm plurima solet suggerere omnis. Constat, ipsam legem moralem à Deo ipso hoc modo repetitam per Decem illa præcepta Decalogi, & si qvæ alia his subordinata perq; circumstantias magis particularia atqve distincta, divinò volumine continentur; imò & generaliora, uti illa (*b*) de Dilectione Dei ex totâ animâ, ac viribus, deqve amore proximi huic simili. Lycurgi nomothetica teste Justino (*c*) *populum in obseqvia principum, principes ad justitiam imperiorum formavit. Senibus honores & magistratus, juvenibus exercitia & labores tribuit:* qvibus utiq; nihil naturâ potest esse justius. Legis Duodecim tabularum præcepta sunt: *Divos castè adeunto; pietatem adhibento. Neqvis hominem indemnatum occideret. Ne alienam segetem pellexeris:* Talia qvæq; sunt illa nostra: *Suum cuiq; tribuere, honeste vivere, neminem lædere; non debere alteri per alterum iniqvam inferre conditionem; parricidæ, sacrilegi, severè puniuntor; qvod nullius est cedat occupanti,* & ejusmodi innumera, tum prima, ac primis propiora, tum ex his deducta, imò totum jus nostrum civile Justinianæum hujusmodi verè naturalibus præceptis repletum, & vel maximam partem

(*b*) *Deut. 6. v. 5. Lev. 19. v. 18. Matt. 22. v. 37. seq.*
(*c*) *lib. 3. histor. 1. 2. 3.*

tem ex iis constare paulò rectius rem intuenti manifestum sit: qvippe jus qvoddam naturale elaboratum dixeris, exprimens ipsum divinum justum secundum naturæ h.e. omnigenarum in rebus circumstantiarum varietatem. Et hujusmodi qvidem potissimùm conditio earum est legum, qvæ ad privata civium negotia juste peragenda pertinent, nobis ferè jus privatum dictæ, qvamvis in publicis etiam reperire contingat ejus generis, veluti si positum reperiatur, magistratui esse parendum à subditis, subditis autem à magistratu esse providendum; officia publica qvi gerunt, eos fideliter illa administrare debere, & similia. Qvin ad hoc genus referenda erunt, si qva familia, aut qvævis societas alia, qvædam sibi sua, qvali qvâ pollet legislatoriâ potestate, sanciat observanda, qvæ per naturam ipsam eidem societati sint convenientissima, veluti de præbendo victu & amictu familiaribus; de æqvaliter communicando lucro & damno sociis, qvi æqvalia in commune contulerunt; de mutua adversus latrones, & feras auxilio, paribusqve in pari commoditatis perceptione faciendis expensis inter eos, qvi unà iter faciendi societatem qvandam constituunt: eruntqve, opinor, qvam plurimæ leges præceptaqve reperire hujusmodi in omni civili nomothetica expressa, qvæ primâ fronte non putes, talia; aliter judicaturus si paulo accuratius ad fontes ac rationes attendas, qvæ aliter ponere eadem non sinerent, si natura ipsa loqveretur.

XV. Alterum genus civilium legum, qvod munimentum à natura habere dixi, putem earum esse, primò qvæ qvidem è libera natura rectiores, & naturali æqvo propinqviores formari possent; ex hypothesi tamen, ob bonum qvoddam hominum obtinendum servandumqve, vel etiam, qvod in bono numeratur, majus malum evitandum, à natura non tolerentur modò, sed & legis naturalis svasu qvasi muniantur: qvo in numero plurimum deprehendas leges, seu jus status qvod appellant; nempe cum status civitatum rerumq; publicarum variæ sint species, & in his ferè nunqvam summum regimen, magistratusq; actu ad eos perpetuò deferatur, qvi per naturam optimi atq; dignissimi; Sed neglectis his, modò ad eos, qvi forte majores recensere possunt nobiles, vel qvi-

præ-

præpollent divitiis, aut forti ac bonis aliis, modò etiam ad eos, qvi in nullo qvàm in insipidâ suâ qvadam libertate lætantur, imò sæpius ad monstra hominum, pessimos insulsosq; tyrannos deferatur; idq; lege civitatis, qvæ tales ob genus, aut aliud qvid tale omninò præfert. Hîc sanè si natura, aut ipse immediatè naturæ author, vel saltem homo accuratô gaudens rationis usu, legislator, hos homines inter reliqvos indifferentes offenderet, iisdemq; locū in civili communione adsignare haberet, longe alium sine dubio iis daret, statueretq; ordinem. Sed qvid fecerit idem his ac ejusmodi aliis, ita jam ad hæc stabilitis, uti per favores, odia, æmulationes exterorum ac civium, citra totius aut maximæ partis civilis corporis ruinam, citra mille calamitates atq; exitium civium multorum millium, ad talium mutationem perveniri non possit? parendum esse hîc, dixerit politicus simul, ac naturalis legis peritissimus, necessitati, toleranda esse ejusmodi incommoda ad evitanda graviora! Nec minus ex eadem hypothesi lege naturæ sustentari dixeris illa pacta conventa, qvæ nonnihil inæqvalitatis habent, qvam qvæ præstationes ab omni parte æqvales; qvippe ni hoc admitteretur, utilissimum generi humano conveniendi jus aut è medio tollendum foret, aut plus turbamenti qvàm commodi vitæ afferret; utpote qvod rarissimè cum omnimodâ æqvabilitate, si scrutamini hîc relinqvatur locus, videri potest processisse in medium conventio aliqva. Observasse videntur ex hac hypothesi hoc naturale pactis munimen JCti, qvando libero admodum ore adserunt. *(a) In pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire. Item: In emendo & vendendo, in locationibus & conductionibus naturaliter concessum esse, qvod pluris sit, minoris emere aut conducere, qvod minoris sit, pluris vendere aut locare.* Imò qvando ad usq; dimidium circumventionis conventionem sustineri vult legislator civilis. *(b)* Secunda qvædam hypothesis, qvam lex naturæ, una cum iis qvæ inde promanare possunt vicem legum obtinentibus jussis, munit, ipsa sublimius per vitam constituta arbitrariæ potestatis auctoritas est. Cui non minus ac naturalis ratio, sacra qvoq; adstipulantur oracula, *omnem animam* jubentia *subjectam esse debere sublimiori potestati; eidemq;, utpote qvæ gladium frustra non gerat,*

(a) l.16. de minorib. l.22. locat.

(b) l.2. C. de rescind. vend.

gerat, parendum esse propter Dominum. Unde ad genus legum legaliumq; effatorum, ab hac parte subsidiô divinô ac naturali munitorum, referre habemus, non leges tantum jussaq; à civili majestatico arbitrio manantia, sed & huic subordinatorum magistratuum præcepta, sententias judicum; imperia patris vel domini, aliorumqve, qvi potestate imperandi pollent in alios: imò & pacta, qvatenus mutui arbitrii auctoritate coiverunt, considerata.

XVI. Cæterum utut hujusmodi hypothesibus suffulta humana positiva plurima, vim suam diviniori munimini acceptam ferant; Notandum tamen admodum erit, qvousqve hæc communitio sustineat; puta ut ne necessitas fingatur, qvæ contra Deum aut conspectiorem naturæ honestatem depugnet, aut similis arbitrii auctoritas supponatur; qvippe hîc lex superior valentior vetans hæc talia, aut contra jubens, rumpit, imò non agnoscit aut patitur munimentum tale, v. g. ut tanqvam ex obedientiæ lege parere teneatur jussus blasphemare Deum omnipotentem, carnaliter commiscere parentibus, prodere patriam. Sanè & Philosopho gentili (*a*) qvædam ita sunt per naturam turpia, ut nulla necessitate homo sese ad ea pati debeat adigi, & asserentibus JCtis (*b*) suam qvisq; luet culpam, qvi qvid ex tali jussu committit, qvod atrocitatem facinoris vel sceleris habeat; eoqve fine & cessare volunt jura vim mandati paterni ad sordida prostitutionis. (*c*) neq; etiam pacta turpia ullius esse vigoris. (*d*) Si igitur legis vis in eo sita est, ut iis, qvibus ea lata dataq; est, eidem obtemperare conveniat (*e*) destituta hac vi qvævis humana positio, seu legis seu jussi seu pactionis, aut aliud legitimum nomen mentiatur, verè lex aut jus amplius nō erit habenda, atq; eo minus qvo magis vero juri contraria est. Unde adeo non videtur dubitandum, verum esse, qvod initio dictum est; Legem naturæ, & si qva divina alia est, primum & originarium esse jus, cui humana lex omnis innitatur; nec ullam positivam legem, qvæ nec ipsum jus naturale sit, nec eidem innitatur, verum jus aut legem propriè esse. Præterea etiam ex dictis patet, qvid nomine legis contineatur; qvâ antè diximus vagam hominis potentiam, arbitriumqve ad rectum determinari ac dirigi, rectæq; actionis causam proximam esse; jus nempe naturale, divinum, humanum-

(a) 3. Eth. c. 3.
(b) l. 67. §. 1. l. 157. de R. J. l. 11. §. 4. de his. qvi not. infā.
(c) l. 12. C. de Episc. aud. junct. l. 6. C. de spectacul.
(d) l. fin. de rit nupt. §. 23. de inutil. stipul. l. 4. C. eod. l. 26. 35. 61. 123. de V. O. l. 7. §. 3. l. 27. de pact.
(e) l. 2. d. ll.

manumqve, positivum, civile, domesticum, & qvicqvid præterea naturali dictamini innixum, legis habet vim ac speciem, uti sunt mandata, placitaq; eorum, qvibus mandandi jus in alios competit. Nunc porrò de modo illius directionis videndum est; id qvod fiet commodius, ubi constabit prius, qvalis, sive qvotuplex legi rectum determinandi vis sit, qvæve in universum species dentur virtutis legalis; qvod qvidem propterea igitur nunc proximè enodandum est. Ubi solummodo adhuc verbô fuerit antè monitum, qvousq; necessitatis, legitima illa potentiæ nostræ actionisq; determinatio, atq; directio sese intendat.

XVII. Lex qvando potentiam libertatemqve arbitrii nostri limitare, ac circumscribere dicitur, non ita intelligendum id est, ac si intra vagum potentiæ qvosdam absolutæ necessitatis poneret terminos, qvos intra vagari qvidem liberum, transgredi a. ac prosilire ultra simpliciter impossibile homini sit; qvomodò, qvi claustro murali forte immissus, editissimô ac insuperabili munimine circumdatus, intra locum istum dispaciari qvidem, extra autem nullo modo procedere qveat; scilicet desineret hactenus potentia, libertasq; arbitrii esse, qvousqve tali necessitate insuperabilis termini circumdata foret; resq; repedaret in eos fines, qvò potentia, ac libertas amplius non essent tales, id qvod finitionis naturæ ipsiusq; essentiæ humanæ propriè esse antè ostensum est: qvin isthoc positó omnis actio, utpote necessariò intra fines recti decurrens, justa foret, nec ulla unqvam injusta existeret, qvia nempe juxta formam justi, qvæ lex est, decurreret, id qvod esse legitimum, justumqve est: sed falsum hoc; ergo & illud, qvo posito hoc seqveretur. Videtur autem hic iterum pro nostrapte hac machina ejusq; libertate ac limite, rectius dijudicanda, ad Archetypum licere recurrere. Deus cujus potentia ac libertas est infinita, qvin juxta omnem immensam istius infinitudinis extensionem illimitatâ arbitrii libertate possit agere omnia, nullo modo incertum potest esse. Veruntamen & vicissim tot millenariorum experientia, & ipsa divinitus edita elogia pluribus testantur, qvomodo idem ille omnipotens Deus ab initio usq; rerum, pro æterno suo placito, imò in multis, pro immensa sua erga nos, qvos diligit, imaginem suam, bonitate,

ita omnipotentiam, ac illimitatam libertatem suam, ultro qvasi definitam ac limitatam teneat; ut plurima, qvæ, si voluisset, agere ac deligere potuisset, tamen non delegerit, nec egerit, nec ex parte agere, aut deligere unqvam velit; veluti, ut cœli astrorumq; mutaret cursum, ut rerum naturam aliô, qvàm qvô ab initio conservare, ac propagare se illam jusserit, modô, continuaret, ut nos sangvine filii sui redemptos & in se piè credentes, vel etiam angelos in veritate persistentes perimat, æternoq; exitio donet. Hæc dico, & similia Deus, qvasi ultro lege sibi dictâ, nunqvam peraget. Qvod autem per potentiam suam simpliciter consideratam eadem non possit, is, qvi liberrimâ suâ omnipotentiâ ex nihilo creavit, & modo qvo extant, ordinavit omnia, ἀσύςατον est. Convenienter itaq; & homini, cujus potentiæ ad similitudinem sui conditæ, limitem boni Deus ponere voluit, qvo typum sui referret congruentius, absolutè cessantis potentiæ causa iste legalis limes esse non debuit. Ututaliàs idem hicce limes, per distantiam divinæ humanæq; auctoritatis, atq; perfectionis, ratione originis, & observantiæ, plurimâ diversitate carere neqveat; qvando videlicet Deus ex liberrimo suo arbitratu, hunc suum sibi potentiæ qvendam qs. terminum adsciscit servatq;: ipse homo verò à DEO ac vi qvadâ despotica eum acceperit: Deus etiam pro plenitudine bonitatis, perfectionis, atq; constantiæ suæ, juxta semel placitam destinationem eum constanter observat; homo verò ex infirmitate suâ internôq; vitio plurimum negligit, in hoc, ut ordinem, ita imaginem creatoris sui derelinqvens & labe sibi attractâ deformans, in tantum, ut amissâ, per qvam placere Domino, atq; creatori poterat, pulchritudine, ejusq; loco aversabili adscita fœditate, non possit non in æternum eidem displicere atq; abjici: nisi aliunde emundaretur, id qvod factum gaudemus lavacro sangvinis DEI carissimi filii. Deinde verò etiam ad absolutæ necessitatis cancellos potentiam nostram restringi, haud videtur consonum fuisse gloriæ creatoris, cujus perfectionis, ac bonitatis immensitas merebatur à qvibusdam suis creaturis, iisdemqve melioribus, & sibi carioribus liberè coli ac redamari ,, neqve enim amor aliqvis est coactus ,, nec cultus ,, qvi coactus est, indicio potest esse ,, id qvod colitur ,,

suis

ſui bonitate coli mereri. Conſeqvens igitur fuit limitem illum honeſti, ac juſti potentiæ hominis agendi, & per hanc ipſis actionibus poſitum, legem videl. ſive divinam, ſive humanam, abſolutæ neceſſitatis nec eſſe, nec debuiſſe homini eſſe; ſed eam, juxta qvam agere convenientiſſimum, imò neceſſe qvidem ſit, qvæ tamen & tranſiri poſſit. Ubi qvidem ultimò locò vel mirari maximopere licet, qvomodo id, immenſa divina ſapientia, confectum fuerit, ut libertas arbitrii, juxta fines potentiæ, homini à lege non adimeretur penitus, interim tamen ſuâ non careret lex virtute, atqve efficacia conſtringendi hominem, eandemqve ejus potentiam, ut ad actum procedens, intra terminos boni veri decurrat? De præmiis, ac pœnis, metu mali, ac ſpe boni hic eſſet qvædam ſubnotandi locus: ſed pergendum eſt ad legis virtutes. Sub qvibus incidenter etiam horum aliqva, erit ulterior facienda mentio.

CAPUT III.

De virtute legis multiplici,

finem ſimul, atq; actiones humanæ vitæ præfinientis, conformantis.

I. Virtus legis, analogicè ita dicta, habitudo ejus eſt, qvâ & benè conſtituta conſiſtit, & vi pollet operandi.

II. Eſtq; hæc, ſummâ diviſione, vel formalis, vel operativa.

III. Legis, qvæ vitæ potentiæq; humanæ ad modum regulæ, atq; limitis adſiſtit, vis operativa, qvæ & actus ejusdem, præfinire, ac limitare eſt.

IV. Regulæ atq; limitis duplex uſus virtusq; eſt, oſtenſiva ſcil. atq; conformativa termini rectiq;.

V. Formativa legis virtus, dum vitæ humanæ partes, in qvas operetur, propoſitas habet, finem videlicet, & actionem; utrobiq; tributiva juſti eſt; ſed ibi per immediatam homini factam applicationem, aut aſſignationem ejus qvod ipſi ſuum; hic per conformationem directionemqve actionis ad illud.

VI. Processus legis est, definire, ac designare cuiq; suum, addito ulteriori munimine, quo idipsum per vitam humanam activam intactum relinqvatur, hanc qvoq; ad id conformando.

VII. Fit autem illa applicatio per concinnam œconomiam, ac distributionem inter homines sui cujusq; boni.

VIII. Imò & mali meriti competentisq; onerosi.

IX. In bonis malisq; legi distributivis, certò modò, ac respectu etiam actiones computari, nihil habet absoni.

X. Assignat lex suum cuiq; (bonum, malum) multa cum diversitate, qvâ id, ei & actu & potentiâ qvoq; tale.

XI. Auctoritas legislatoris ejusdemq; voluntas, modò merè arbitraria, modò ad ἀξίαν personarum, qvibus assignatio sit, directa, firmamenta sunt variegatæ illius sui-distributionis.

XII. Legis τὸ conformare actionem, est eam ad id qvod suum cuiq; est dirigere h. e. sui cuiq; tributivam reddere.

XIII. Est & aliqva legi virtus ostensiva justi:

XIV. Distincta ab altera qvæ est in specie justi conformativa.

XV. Virtus legis formativa justitiæ actionis: Imperare, vetare, & permittere est, ad qvæ referenda, punire, & præmia statuere.

XVI. Item referenda sunt svadere, dissvadere, concedere, indulgere, tolerare.

XVII. Imperare & vetare legis se habent ut contraria, permittere, ut horum medium.

XVIII. Permittere rectè à JCtis inter legis refertur virtutes, rejectâ circa hoc philosophorum opinione.

XIX. Causa qvæ Aristotelem hic non videre verum fecit, defectus fuit lucis revelatæ: qvo legem naturæ, ejusq; originem ignoravit.

XX. Imò nec permissiva lex caret, qvibus firmetur, sanctione, ac praecepto.

XXI. Mira con- & sub-ordinatio virtutum legalium in lege, qvacunq; illa proposita sit fronte.

XXII. Qvomodo tres illæ legis virtutes imperare, vetare, permittere distent, conveniant, & ab invicem gignantur.

I.

VIrtus legis, qvod ad analogiam qvandam dicatur, vel etiam ipsa in similitudine qvadam consistat, relata ad id qvod substantialibus rebus proprie virtus est, res ac denominatio ipsa, non casu sed consilio facta svadet credere. Scil. cum nisu qvodam, exprimendi naturam, atq; efficaciam legis, eidem hæc, tanqvam affectio, tribuitur, derivatâ voce inde, ubi maximè tale, qvod hic significare debet, significat, puta in rebus corporum, ac substantiarum: imò dubites forsan; an non utrobiqve æqvè dicatur propriè virtus, siqvidẽ in vi, & efficacia rei, qvæ & legi maxima est, virtutem ponas. Et verò observat Philosophus in moralibus (a) virtutem cuiq; rei id esse ac dici, qvod & id cujus virtus est, benè se habere facit, & qvod opus ejus benè effectum reddit; simplicius forsan exprimeres, esse, & ipsam bonã rei habitudinem in sese, & vim ejusdem benè operandi; Item habitudinem rei bonam qvà constitutionem, qvà operationem: qvomodo (qvibus ibi Philosophus utitur exemplis,) virtus oculi est, qvæ & ipsum oculum benè se habere facit & ejus opus, similiterqve eqvi, qvæ & eqvum, & opus ejus: subaudi habitudinem, & iterum, si libet, intellige eam, qvâ, & bona gaudent constitutione, & benè valent opus suum hæ res operari, oculus scil. acutè cernere, eqvus velociter currere, sessoremq; suum portare commodè: qvomodo (ut porrò idem, factâ per priora ad inductionem viâ, colligit) virtus hominis habitudo ejusdem est, qvâ & ipse existit bonus, & qvâ idem operatur benè. Inferres, & legis igitur si qva est virtus erit bona ejusdem habitudo illa, qvâ & benè constituta consistit, & qvâ vi pollet operante; & qvà essentiam seu constitutionem, & qvà operationem seu vim ejus operandi. Nec refert, qvò minus virtus legi hisce modis tribui posset, qvod lex in genere instrumentorum videatur esse, tam si auctorem ejus, legislatorem scil. respicias; qvi per hanc subjectos gubernat; qvàm si subjectos ipsos, qvi pro dirigendis actionibus eam applicant: nam & instrumenta à benè se habere, & benè agere, tanqvam à virtute, maximè, si à diviniori principio, velut, à DEO, & natura, ac eminenti aliqva in mundo pote-

(a) lib. 2. c. 6.

 state,

ſtate, ut ortum, ita & efficaciam, & ad efficaciam diſpoſitionem habeant, veluti oculus, eqvus; qvorum, licet reverà naturalia inſtrumenta & ipſa ſunt, exemplò, etiam virtutis eſſe inducit Philoſophus. Imò fingas medicamentum, aut ſecurim, aut aliud qvid mechanici etiam organi, malè compoſitum, minusq; ad uſum deſtinatum aptum; & vitioſum id ipſum dixeris, contrariô virtutis nomine appellans; ſin autem id ipſum benè eſt confectum, & ad uſum idoneum, utrinq; tanqvam ab aliqvo virtuali egregio commendabis. Benè Germani ſuâ lingvâ ad utrumqve, vel alterutrum promiſcuè reſpicientes, qvodlibet tale **dauglich** & **undauglich** à voce ſua **Dugend**/qvod virtus eſt, dicunt. Ne dicam nunc, legem nil aliud videri eſſe in ſe, qvàm inſtrumentum virtuale aliqvod, imò repræſentare eam ipſam authoris virtutem, utpote qvi, citra contactum mero virtuali modo per eam in ſubjectos ſolet agere.

II. Eſt autem virtus legis planè multiplex, nempè univerſaliſſima diſtinctione videri ea poteſt vel formalis eſſe, vel operativa, hæc oſtenſiva, vel formativa, & hæc rurſus varia, ut notabitur inferius. Formalem legis virtutem dictam velim ipſam bonæ habitudinis ejus ſive partem, ſive reſpectum, qvô benè eſſentiâ ſuâ conſtituta conſiſtit lex. Puta ut ipſum enunciatum, ſive poſitio ſit legalis notæ, facta ab eo, qvi legis dandæ auctoritatem habet, item ei cui is habet, modò & reliqvis circumſtantiis, ad hoc reqviſitis, obſervatis; qvoniam id qvidem palam eſt; hîc multipliciter poſſe deficere aliqvod enunciatum, legis ſpeciem præferens, qvo minus robur virtutemq; eſſentialem legis habeat. Neqve enim v. g. effatum, qvô cœlum dicitur eſſe rotundum, idem moveri circulariter, vinum eſſe in vaſe, aut ſimile qvid aſſertivum veri lex eſt, ſed illud qvod definit, in vita qvid eſſe, aut non eſſe, fieri, aut non fieri debet aut poteſt; nec verò vel hoc tale etiam ſtatim lex erit, ſi qvidem non ab authoritate ſupereminente ſubjecto, qvando, ubi, & de qvibus rebus facultas illi eſt legem ferendi, ſancitum eſt: qvis enim Dominus jubenti ſervo, ſubditus, aut qvisqvam alius magiſtratui extra territorium, ac ſupra juriſdictionem ſuam jus dicenti parere neceſſe habebit? ſimilis ex aliis circum-

ſtan-

stantiis potest occurrere defectus. Non autem turbare debet, qvod ipsam formalem constitutivam legis habitudinem, virtutem ejus dicimus, forsan essentiam ejus potius dicendam, scil. & Philosophum hîc libuit seqvi, & rationem. Illum, qvando locô præcedente num. adductô, utrumqve, & vim benè operandi, & τὸ bene sese habere, sive benè constitutum esse, sub nomine virtutis vulgò etiam inferri autumat. Ratio autem nominis potest esse, qvod reapse essentia rei, atqve bona ejus habitudo videantur usq; diversum aliqvid esse, qvando sæpius contingat, ut res aliqva suâ materiâ ac formâ constet, sive etiam tantum utriusq; habeat, ut nomen speciei satis sibi tueatur v. g. ut homo sit, qvi brachio, pedibusqve mutilus sit, sensu insuper, ac ratione debilis admodum; licet dici neqveat eundem benè sese habere, aut bonâ prorsus habitudine esse. Unde igitur bonam hanc habitudinem, seu perfectionem essentiæ, si non ipsam essentiam qvis, sed id qvod qvasi flos, atqve virtus essentiæ sit, dicat esse, minus videtur peccasse; formalis vocem ei æqvè citra absurditatem adjecturus, qvod potissimum essentiæ perfectio, qvâ res id est, qvod est, formæ, eòq; & major perfectio, sive perfectionis consummatio eidem debeatur. Minus verò adhuc absonè hujusmodi essentiali legis perfectioni nomen virtutis tribui videbitur, respicienti, hanc ipsam perfectionem bonamve constitutivam habitudinem idem, nisi fallor, essentiâ, cum eo, qvod virtus dicitur, esse, vel res ita saltem conjunctissimas, has esse, ut si separare velis, ratione ac respectu, id magis fieri oporteat qvàm re: nempe eò ipso qvô res benè se habet constitutam, qvantum ad se, pollet illa qvoq; pro suo modo bene operari; atqvi hoc ipsum rei bene operari pollere, nihil aliud est, qvàm ejusdem virtus. Ut igitur dicam qvod res est. Distinctio virtutis legis prima hæc, non tam à rei diversitate, qvàm à respectu videri potest dependere; qvô formalis, essentialis, constitutiva illa commodiùs videtur dicenda respectu habitô, ad ipsa substantiæ formalia ejusdemq; constitutiva reqvisita, ita ut hactenus tali gaudeat meritò appellatione, qvasi specifica illa bona habitudo virtusqve, qvatenus in aliqvo eorum, qvæ huc faciunt, lex non deficiat; operativa autem qvatenus non, ut retrorsum, sed ut antrorsum sese habere spectetur, benè atq; effi-

caci-

caciter propendens in actum, seu operationem suam. De priori, qvomodo scil. aut qvibus reqvisitis ea sua virtus legi agnascatur, qvia latiora reqvireret, & multam divagationem per omnia circumstantiarum genera, nunc monuisse velim qvàm tractasse; ad operativam legis virtutem, utpote qvæ nostris fere sola sub ipso virtutis nomine cognita est, statim perrecturus.

III. Operativam legis virtutem, ipsam ejus vim, qvâ in actum benè profluit, sive ipsam vim, atqve efficaciam operandi denotari, putem philosophis in confesso esse, nec à JCtis negatum iri, tametsi hi fere per vocabula actus μετονύμως illam proferre consvevere v.g. imperare, votare &c. (a) Idq; eò minus inconcinnè qvò magis in ambiguo cernas positum, an non ipsam legem, actum qvendam auctoris, jussionem, videl. prohibitionem, permissionem, ac simili modo, commodissimè appellare liceat. Utut autem accipias legem, sive, ut actum, sive ut agens per virtutem, ipsius & differentia, & vis qvâ operativa est, ab actu sive actibus ejus dijudicanda ac distingvenda venit, utpote per qvos solum se prodit; neqve enim vis, qvæ rei cujusq; intrinseca est, aliter qvàm per actus sensum mentemqve alicujus intrare potest. Ad actus itaq; legis, qvos cum JCtis indifferenter qvoq; virtutes ejus appellare liceat, si porrò respicias, simulq; ad naturam attendas ejus, cui legem dari contigit, & qvare: facile animadvertes limitis ac regulæ instar legem sese habere, & per conseqvens, qvales virtutes, actusq; horum, regulæ, scil. ac limitis in sua objecta sint, tales legis qvoqve esse in suum. Nimirum id cui legem dari contigit, vita humana est, nam de tali legum genere, qvod huic ponitur, nunc sermo est, est autem vita humana activa ad bonum, ut supponit Philosophus lib. 1. 9. & toti tractationi institutæ de moribus, ac bono in vita; sed qvomodo illa talis? vagè ac interminatè suiq; destructivè, si illi suæ conditioni relicta citra terminos συμμετρίας maneret. Nempe & bonum infinitæ variationis, qvâ partes, qvâ species est, & hominum id appetentium immensa multitudo, qvorum magnam partem singuli suæ relicti, & potentiæ & placito vel universum totum, vel plurimas universi boni partes in solidum pro infinitudine appetitus sui, sibi conseqvi niterentur; imò ubi ne concurrerent

(a) lib. 7. d. ll.

rent qvidem appetitu nisuqve in unum ultimum, pro interminata sua illhac divagantia contingere tamen non posset, qvin infinities in medio colliderent, unde adeò non posset evenire aliter, qvin humana natura vitaq; jugiter in destructionem sui grassaretur; cujus qvidem rei imaginem vel nunc licet sumere, ubi cancellis legum perruptis jus fasq; inter homines incipit negligi, ubi nil homini tam carum, honor, facultates, vita deniq; ipsa, cui non insidietur alter, & hujus rursus bonis alius, ruente, in mutuum exitium, ac destructionem sui, genere humanô modis indignissimis. Cui itaq; exitioso malo, (ne præstantissimum creaturarum humanum genus deterioris etiam conditionis esset qvàm aliæ huic res administræ, astra, terra, ac infinitæ aliæ, in hoc orbico domicilio, hominum bono formatæ rerum species, elegante, ac sui conservante qvo gaudent ordine) ut occurreret summus rerum auctor, vagam illam, ac interminatam humanam vitam limitibus omnigenæ congruentiæ tum immediate ipse includere voluit, tum mediante humana opera divino instinctu impulsâ ulterius includere qvotidie facit; lege naturali, divina humanaq; positivâ, definiendo, limitando, regendo, disterminandoqve, tum bonum cuiqve hominum, & si qvod aliud his sociale est, citra concursus enormitatem competens, ac competibile, tum medium ad hoc, qvod potentia, & ex ea profluens hominis est actio; unde adeò seqvitur; qvia ad hoc vagum vitæ definiendum lex inventa est, virtutem ejus, sive actum, definire, limitare, terminare esse: id qvod aliàs in suis objectis regularum, ac terminorum qvoq; est, fines nimirum monstrare, ac ponere. Qvia autem & limitandi, terminandi, definiendi, actus aliqvibus hic fit, hominibus videl. alicui autem qvid definire, limitare, &c. nihil aliud qvàm præfinire videatur esse, unâ etiam voce operativam legis virtutem genere præfinire qvòq; dixeris; sed qvia obscurius dicuntur, qvæ generalius, expedit porrò genus hoc legalis virtutis per species suas dispicere.

IV. Licebit forsan, antеqvam ex propriis rei minus obviæ fiat disqvisitio, eandem similitudine insinuare. *Regula* simulachrum, legem de scripturis, in tantum communiter amatur, ut plurimum in ipsa legis definitione generis locum occupet regula, prout etiam

ex Chrysippo Philosopho Platonico legem, *regulam justorum, & injustorum* inter alia describit Martianus JCtus (a). *regulam actionum humanarũ à Majestate præscriptam, fere definiunt alii.* Voce etiam aliàs jurisprudentiæ hoc usu cognitâ (b). Adderem & alteram *limitis*, motus, tum à JCtis (c) qvi discretionem, distinctionem, separationem; tum ab Arist. (d) qvi determinare; aliisqve communiter peritis, qvi definire, limitare ut proprios actus legi tribuunt. Notare autem de his licet, limite scil. ac regula, qvæ propriè dicuntur v. g. agrorum aut cujusdam conficiendi operis, duplicem usum, vel si malles ita loqvi, duplicem vel actum, vel virtutem esse, ostensivam unam, alteram formativam. Ad formativam limitis referas rationem, qvâ ipse agrum disterminat, definitqve, (liceat instrumento tribuere actum, qvi est utentis) eiq; adeò formam aliqvam qvanti simul imprimit. Similiter & regulæ; qvatenus causa est ipsius rectificandi operis, formandiq; illud, certâ qvâdam, fortè æqvabili, planâ, erectâ, rotundâ, qvadratâ, aut simili figurâ. Nempe hunc formalem in rem influxum, si non simpliciter & per se faciant limes & regula; namq; & intervenit in ipsa actuali productione, opera tum artificis, tum terminum ponentis observantisqve; faciunt tamen ut instrumenta ac media concurrentia ad formationem actus, rei, operisqve; sive auctorem utriusq; respicias, sive utentem: certè enim & qvalitas, seu vis aliqva formativa actus, ipsis his instrumentis adjacere videtur, indita iisdem ab auctore, qvi vel posuit limitem, vel destinavit operi regulam observandam; ita qvidem, ut suum hæc qvasi impulsum qvendam, ab illius usq; manu susceptum, in ipsum artificem, aliumq; juxta ipsamet agentem exonerent, perq; hunc suam qvasi qvandam ab auctore receptam formatricem virtutem ad actus, reiqve, operisq; formationem usqve protendant. Deinde verò & utriusqve, tam limitis, qvàm regulæ, præter actualem formativam, etiam vis qvædam est formæ, ac deformis, benèq; malèq; formati ostensiva. Ita qvidem limes, postqvàm semel est positus, formamq; terminalem agro dedit, in posterum, donec immotus manet, jugiter, & ipsum agri terminum & actionem, qvas huic accommodas esse oportet (cujusmodi possunt esse, arare, serere, metere, struere, jurisdictionem exercere) rectitu-

(a) l. 2. d. ll.
(b) l. 15. de ll. l. 1. de R. J. et de regul. Caton. &c.
(c) l. 5. & 1. de J. & J.
(d) l. 5. Eth. c. 1.

dinem ac enormitatem monstrat, ac monstrare valet: regula ad opus qvodlibet perfectum accommodata, vim habet ostendendi, figurâne æqvabili, rectâ, aut planâ, aut simili certâ aliâ id ipsum constet, an verò non constet. Et hoc qvidem casu, qvô & limitis & regulæ usus, post terminationem jam factam opusve perfectum, consideratur, manifesta prorsus est eorum instrumentorum vis ostensiva qvædam, eademq; ut aliqva à formativâ sejuncta prostat; nisi fortè consideres, qvatenus correctioni isthæc inserviant; ubi qvidem prius dictam formativam naturam rursus egerere videntur. Etsi tamen interea & hîc ut & aliàs distincti maneant hi actus, monstrare scil. ac dirigere, habentes sese, ut antecedens & accidentarium conseqvens; fieri enim potest, ut qvæ per regulam aut terminum monstretur à rectô facta digressio, non corrigatur tamen. Qvomodo eâdem qvoq; ratione accidit, ut, anteqvam opus conficiatur, aut operatio peragatur, vis regulæ ac limitis in terminis ostensivis persistat, si videlicet non conseqvatur efformata operatio, aut operis adæqvata confectio. Nec refert, qvod in ipsa formatione rei actusve actu subseqvutâ, utraqve vis conspirare ac concurrere; & qvod per, vel juxta ipsam ostensionem, virtus formatrix sese exserere videatur; qvia non statim idem sunt prorsus, qvæ ad unum concurrunt, vel qvæ per invicem exseruntur, imò vel hôc etiam casu, ubi utraqve illa horum instrumentorum vis sese exserit, non adeò difficulter videre erit, diversas tamen inter sese eas esse, ab actibus qvos edunt diversis, qvi sunt ostendere rectum, & qvodam qvasi directivo impulsu, operanti, ut rectè agat, insistere. Manifestissimè autem omnium de distincta, â formativâ, ostensiva virtute utriusqve organi constat: dum, qvatenus formativa illa sunt, sunt tantum benè terminati ac recti, neutiqvàm verò ejus, qvod interminatum aut non rectum est; qvatenus verò ostensiva sunt, utriusqve. Et deniqve distare dixeris easdem horum virtutes, pro ratione, qvâ & alii qvidam alterutrius distant effectus; judicium nempe hominis de limitato ac recto, ejusdemqve illius operatio: ex qvibus fortè judicativum qvoqve ac recti-operativum ambos hosce horum organorum usus qvis dixerit. Sed forsan magis ad rem fuerit, si ex propriis ac ipsa natura rei subjectæ, ipsiusmet legis

ostensiva simul ac formativa virtus, & si qvæ hujus sint species, monstrentur.

V. Formativa, si qva est, legis virtus, necesse est, ab eo dicatur, qvod lex, cui est data, vitam humanam formare, informare, seu conformare occupata est, non dico formare, sed formare *occupata* est; qvod enim non omnia, qvæ vitæ sunt, formam à lege habeant, multa ejus testantur, qvæ præter & contra legem formata illegitima, toto die emergunt. Ad *humana* autem sermonem restringo, ut obscuritatem, qvæ ex nimia vocum latitudine hic posset oriri, evitem; esset enim de legis formatrice actuum rerumqve virtute acturo, si rei σχέσιν justa amplitudine cupiat proponere, multoties tam generalibus utendum verbis, ut & eorum, qvæ supra hominem sunt excellentioris naturæ entium, Dei videlicet ac spirituum, & eorum qvæ infra, aliarum scilicet creaturarum (qvarum itidem suô singulis modô, actuum conformatricem legem esse, supra innui) vitam, actum, habitudinemqve formandam complecteretur, ac respiceret. Qvod qvidem hic semel, & inferius nonnunqvàm, ubi sermonis commoditas id patietur, advertisse circumspectum lectorem sufficiat. Et proinde nunc qvidem securè repeto: Conformativam legis virtutem esse, qvâ ea in conformanda *vita humana* occupata est: constat autem vita humana, qvæ supra activa ad bonum esse ostensa est, duabus, (ita loqvi liceat) partibus: bono scilicet ut fine & ratione qvâdam activâ (actione) ut ad hunc pertingendi mediô. Rebus his utrisq; existentibus indefinitæ divagantiæ, & per hanc, donec sibi relinqvuntur omnigenæ confusionis, ac sui mutuò destructivis. Cui proinde conseqvens primùm est, duo qvoq; hæc esse, qvibus conformandis lex, ut danda fuit, ita data, & occupata sit; bonum videlicet & humanã actionem, (rationem activam pro hac forsan dixeris, expressurus & actionem ipsam, & qvæ caput ac basis hujus est, agendi potentiam simul; qvæ inferius distingvenda, nunc liceat confundere, ac promiscuè itemq; complexè usurpare.) Qvod conformandis actionibus lex faciat, ni fallor, omnibus in confesso est, planissimum verò jurisperitis & omnibus, qvi regulam actionum humanarum eam agnoscunt. De fine ipso seu bono, id non ita

fra-

freqvens in ore est; qvamvis non simpliciter abnuerem, qvi regulam actionum, justi, vitæq; &c. legem reputant, eos implicitô complexôq; aliqvô modô, bonum, tanqvam vitæ partem, justi subjectum, actionisqve aliqvam præcipuam circumstantiam simul complecti; ut tamen etiam contrà observare sit, finem ab actione lege regenda, ut distinctum qvid solere qvoq; communiter haberi ac proponi: id qvod magis distinctæ disqvisitionis ergò, nobis etiam modò liceat facere; ita tamen, ut interea non minus illum, qvàm hanc, per se aliqvid etiam sigillatim obnoxium formationi legitimæ, in antecessum modò reputemus, amplius visuri in seqventibus de ratione legis formandi utriusqve: & porrò observaturi, nunqvid differentiæ virtutis legalis ex hac objecti diversitate, & applicatô illi legis diversô operandi modo, resultet: initiô factô à ratione formativa boni seu finis.

VI. Bona vitæ humanæ qvæ sint, qvæve in iis computentur: ipsâ videlicet nostra existentia, partes, membra, vita, sanitas, honor, voluptas, facultates, pulchritudo, tellus, & aër & aqva, & qvævis alia vitam humanam beantia, nunc pono in compertis. Formationem autem cujusq; boni, existimem duplicem posse putari, unam, qvâ ab initio idipsum producatur in esse; alteram, qvâ productum, & qvodammodò ante formatum, ulterius certô modô qvibusdam, ut ipsis bonum, conformetur assigneturqve. Utramq; autem boni formationem, in iis, qvæ in natura rerum factarum dantur bonis, operâ qvâdam legis, aut ejus, qvod legem vel imitatur vel mentitur saltem, confieri, perspicit, qvi videt, Deum lege verbi sui æterni produxisse, & ordinasse omnia, qvæ ab initio rerum producta ordinataq; sunt valde bona, hodieq; eundem continuato naturæ fluxu, eâdem illâ lege producere ordinareq; qvàm plurima: neqve hoc tantum, sed etiam alia aliis tum personis tum rebus assignasse & adsignare hodieq; eôdem modô h. e. eodem legitimô fatô suô bona qvàm plurima. Similiter & homines plurima per legem suæ autoritatis bona efficere simul ac certis qvibusdam assignare, potentiam v. g. honorem, opes qvibusqvam decernendo: qvin qvamlibet humanam destinationem, qvatenus finem intendit, legis instar boni determinativæ esse dixeris. Sed hactenus

nus forte nec producens, nec superveniens legitima bonorum singulis etiam facta applicatio ac determinatio, ad tollendam vitæ confusionem, (ut res tamen desiderat) qvicqvam faceret; nisi legis ejusdem virtus ad activam qvoq; vitæ rationem accederet, eandem sibi definito contemperans, ita qvidem, ne ab eô ipsa deflectat: idq; eâ cum autoritate, qvæ commodè dispositum conformatumve qvasi sanctum positu observatuqve præstet; nam si secus fieret, puta qvod finis seu boni qvidem congrua daretur à lege definitio & applicatio, maneret tamen libertas cuilibet qvidvis temerandi, medela legis maneret nulla vel saltem perexigua. Qvando autem posterius reqvirimus, nempe ut facta qvibusq; congrua boni conformatio & assignatio sancta qvoq; præstetur, liqvet, legem, qvæ hoc præstare debet, procedere oportere ab eminentiori potestate eâ, qvæ coactiva sit eorum, qvi inviolatum debent, qvod dispositum est, relinqvere, cujusmodi est Dei, & eorum, qvibus divina itidem authoritate in qvosdam talis concessa est potentia, veluti magistratuum, parentum, & reliqvorum, qvorum inqvam effatis vim legitimam sanctionisq; inviolabilis h. e. coactivam virtutem (qvæ universale reliqvarum legis virtutum omnium munimen esse inferius colligetur) adjacere novimus. Unde simul inducitur, à natura ac numero legum propriè dictarum, bonum vitæ sanctè conformantium, excludi oportere enunciata, utcunq; speciem boni dispositivam, aut etiam actus recti imperativam, præ se ferant v. g. qvæ inferiorum, qvæ parium sunt, & qvicqvid præterea sibi ipsi qvisqve legis instar fingit; qvæ ratione superioris, paris, sui cujusqve ipsius, legis omen habere neqveunt.

VII. Verum de priori illo licet qværere ulterius, qvomodò isthæc applicativa dispositio, & boni ad vitam commoda conformatio, à lege fiat? Certè, ea evenire aliter non poterat, qvàm si concinna inter homines boni universi œconomia, dispensatio ac distributio fieret, ita ut & sua cuiq; singulorum, &, qvia accidit vitæ hominum in communione pro indiviso degere, singulis qvoqve communitatibus sua, ac vicissim, & singulis & qvibusdam in qvalibet communitate, pro ratione, qvæ communitati illi congrua esset, sua; breviter, unicuiqve hominum sua qvædam bona attri-

buta

buta redderentur assertaqve. Unde seqvitur, si legis qvædam boni ad vitam hoc modo conformatio est, opus esse, ut, pro effectu hoc, qvasi immediatè cuiq; sui-attributiva ipsa sit. Esse autem plurimùm talem, ab omni genere legum factam profectamq; boni œconomiam, ac distributionem; imò qvæcunq; ejusmodi dispositio cum robore observantiæ extat, eam à lege esse, partim per ea, qvæ thesi præcedente insinuabantur, partim etiam per inductionem facilè potest constare, attendenti; Ita Deum ter optimum maximum, justissimum, principium omnis bonæ legis & justi, (cujus, divino asserente Vate, (a) *Verbum præceptumq; æternum, omnis sapientiæ, suæqve sapientissimæ ordinationis fons & scaturigo est*) divinô suô verbô, præceptôqve, ut ab æternô, ita in tempore, suum sibi supereminentem, & omni possibili cultu dignum honorem adseruisse & adserere jugiter; eundem eôdem æviternô effatô suô & existere res, & singulas existere fecisse: & singulis deinde existentibus ejusdem vi fati sui, (neqve enim modum agendi Deum mutasse scitur aut credendus est, cum in pluribus talibus succedaneis ac attributivis ordinationibus eundem ipsum observasse liqvet,) (b) sua qvædam certa ac definita adsignasse bona, unde eædem res melius se haberent, v. g. cœlo sua astra, terræ qvadrupedes ac plantas, mari pisces, homini suas partes, membra, dominium in bruta & potentiarum qvàm plurimas: & hanc dispensationem vi primævi illius fati per inditam naturæ benignitatem ipsum continuare hodieqve. Simili modô videre licet, qvomodo civiles & reliqvæ autoritates humanæ, Deum & naturam, qvibus subordinatæ sunt, in hoc imitantes, toties lege qvâdam, modô honorariâ, modô munerariâ, modô agrariâ, hos honores, hæc munera, hos agros, his, illis, solent assignare: qvomodo judices plurimum in eo sunt, ut hanc rem, hoc corpus, illud dominium, istam servitutem, hæreditatem, his, illis sententiâ suâ, qvæ, qvibus dicitur, lex qvoq; est, asserant. Ita paterfamilias suis, qvæ pro legibus familiæ sunt, mandatis sibi, uxori, liberis, servis, cuiqve de familia, sua solet pro conditione cujusqve adsignare emolumenta; societatem ineuntes mercatoriam, ex lege qvæ societati est dicta, sua noverunt qvisq; competentia. Progrediatur cui placet ulterius, & per universam rerum naturam deprehen-

(a) Sirac. c. 1. v. 5. &c.

(b) Gen. 1. v. 11. 14. 20. 24.

hendet, qvòd cuiqve suum qvodq; bonum adserere, actus qvidam legitimus sit, sive à lege proficiscens; & qvia idem qvod actus, & virtus legis est, seqvitur hactenus, unam qvandam legis virtutem esse: suum qvodq; bonum cuivis adserere, sive tribuere.

VIII. Sed utrum *bonum* tantum Lex hominibus adsignet, an verò etiam *malum*, dubitare hic aliqvis potest, qvia videlicet pœnas, afflictiones, bonorum privationes, onera, legibus qvoqve cernimus deputari hominibus, qvomodò & Modestino JCto (a) *punire* disertè inter legis virtutes recensetur: punire autèm legis nihil aliud videtur esse, qvàm ipsa pœnæ delicto aut delinqventi cuiqve pro meritò à lege facta assignatio ac tributio. Ut tueretur aliqvis, legem assignativam boni tantum esse, tentaret fortassis dicere, qvod, qvicqvid pœnarum, aut malorum hominibus lege imponitur, id imponatur intuitu ac sub ratione boni, gloriæ fortassis DEI divinæqve justitiæ declarandæ ergò; causâ corrigendæ malignitatis delinqventium; exempli, alios à simili malitia deterrendi; vindictæ ac retributionis procurandæ iis, qvi molestiam aut damnum passi fuerint; qvin & qvod onera ut plurimùm pro bonô publicô soleant inter socios distribui. Deinde refugeret fortassis qvispiam qvoqve eò, qvod diceret: qvia punire, affligere, onerare & similia, actiones sunt à lege præscriptæ, qvæ etiam partim qvâdam prænsativâ manuali operâ solent expediri; dispositiones circa has ad alteram potius virtutem legis, qvæ formativa actionum est, pertinere; Sed rejectis hisce dubitandi rationibus, simpliciter potius dicendum existimem; pœnas, & si qvæ alia proferri qveant, qvæ lege hominibus assignantur, mala aut onerosa, attributivi qvoqve actus legis esse. Tametsi enim à principio rerum, sicut in cœlis ita nec in terris tale attributi genus, ante angelorum hominumqve lapsum, ullum repertum fuerit, cujus tum qvidem actualis qvædam daretur existentia: qvæcunq; enim fiebant ordinabanturve sub ortum seculi, bona erant valdè; nisi forte obligationem, qvâ homo tum Deo tum socialibus sibi creaturis jussus fuerat obstrictus esse, naturam onerosi aut mali habuisse, velis fingere: absonè tamen hoc, cum vel hæc ipsa obligatio, prout tunc qvidem fuit maximè integra tota natura hominis, DEI, in qvo mali nihil, aliqvid

(a) l. 7. ff. de ll.

aliqvid ſimul imaginis referebat, & omninò pars qvædam pulcherrima iſtius, diviniſſimâ ſapientiâ ordinatæ, diviniſſimæ *συμμετρίας* univerſi conditi exiſtebat; Tametſi fortè haud diffitendum prorſus ſit, qvatenus conditionem ac eventum iſthunc, *qvô die de arbore comederis*, lex primæva complexa fuerit, jam tum etiam qvaſi in anteceſſum præfinita, proq; aſſignatis in futurum fuiſſe, mortem, gehennam, & à beatitudine exulationem: imò ſub eodem ac ſimili peccandi eventu, ſub eâdem divinæ legalis juſtitiæ virtute plurima qvoqve illa vitæ humanæ qvotidiana ærumnoſa fuiſſe contenta: qvæ qvidem mala omnia, poſtqvam jam primum malum, peccatum ſcil. per diabolum hominemq; mundum intraverat, penitiùs lege cœpêre exſeri, & actualiter applicari; qvæve, ex qvô jam ſemel à creatura malo laxatum fuerat repagulum, novis legum divinarum humanarumq; ſanctionibus, protenſionibusqve ac declarationibus, humano generi adſignata ſteterunt ulterius. Et qvantum ad pœnæ attinet aſſignationem, præterqvam qvod multæ leges ſtatim primò in pœnam ſe exſerant, conceptæ e. g. hôc modô: homicida capite plectitor, fur duplum ablati pendat; fortaſſis nulla lex eſt, hominibus etiam bona juſtaq; agere directò præcipiens, qvæ non qvandā punitionis aſſignationem in eventum acti præcepto contrarii includat, adeoqve punitiva, pœnæq; inflictiva aut attributiva eventualiter ſit; utpote cum vel ab hac imprimis virtute lex robur ac eſſe ſuum legale, mutuetur, qvando per eam inprimis coactiva illa ſit, & verè in ſanctionem abit, h. e. ſancta ac inviolabilis exiſtit. Deinde qvod onerum qvoqve, ac oneroſorum qvædam à legibus tributio aliqvibus fiat impoſitioqve, ſimiliter in propatulo eſt: & qvāvis, (ſi qvidem bona lex eſt,) hæc, ad evitandum fortè malum majus, aut obtinendum bonum ſancita, ut minus mala, in ſpeciem boni plurimum incidere reperias; attamen etiam talia ſæpiſſimè alii plus commodi qvàm ipſi onerato ſolent præſtare, v. g. tutela, ædilitas, & ejusmodi officia plurima tum privatis tum Reip. utilia. Ex hiſce igitur licebit colligere, ſi pœnas, ſi onera, qvæ in malis habentur, lege qvoq; contingat aſſignari hominibus qvibusvis ſua; deſignativam illam atqvè tributivam legis virtutem boni qvidem eſſe, ſed non boni tantùm; verùm & boni ſi-

ni ſimul & mali, puta ſui-cuiqve-competentis, eoqve, vel hoc (malum) proximi præcedentis poſitionis collectioni addendum, vel illud (bonum) adimendum, & ſubaudito utroqve dicendum fore: unam aliqvam conformativæ legis ſive virtutem ſive actum eſſe, *ſuum cuiq; adſignare vel tribuere:* qvæ qvidem rurſus in ſuas ſpecies abeat, ſitqve vel aſſertiva boni vel onerativa, qvam rurſus dixeris & talem in ſpecie dictam & punitivam eſſe.

IX. Eorum verò dubiorum, qvæ ſub initium theſ. præced. circa malum, qvaſi ejus alicui aſſignativa lex non ſit, moveri poſſe videbantur, primum, facilè etiam ex iis qvæ exinde ſubjecta fuêre, labaſcit; pœnæ enim & oneroſa alia, utcunq; aliqvid boni finis habeant, qvin tamen per ſe aliqvid malignitatis & malæ perpeſſionis iis ferant, qvibus ſuſtinere eas neceſſe eſt, dum ſuſtinent, facilè dubitaverit nemo. Alterum qvod de malis, qvatenus qvidem in actiones ipſas plurimum ſeſe reſolvunt, movebatur, ob identitatem ſubjecti, majoris videtur diſcretionis eſſe, qvô nempe in his qvoqve virtus legis adſignativa ſui, à conformativa actus, diſtinctæ appareat naturæ. Cæterum, & hæc res diſtinctione modi, tum reſpectus, tum formationis legalis, ſeipſam qvoq; facilè videtur diluere. Nempe vel conſiderari poteſt actio, reſpectu ejus cui bono malove eſt, & qvatenus alicui, ut tale competens conceſſa eſt; atq; habebit ſe illa ut finis; vel conſiderabitur eadem reſpectu ejus à qvo & qvatenus certa forma ad finem proficiſci poteſt, aut debet, & jam, ut aliqvid à qvo ad finem legitimè iturum, naturam medii à lege formandi videbitur habere; non obſtante etiam, ſi accidat, qvod idem ſit, à qvo eadem proficiſcatur, & cui bono malove cedat, veluti poteſt contingere circa actum, qvi eſt v.g. capere feram, bibere cicutam &c. namqve & is hactenus, qvin diverſum reſpectum, ejus à qvo, & ejus cui, ſubire poſſit, nil abſurdi videtur ſapere. Deinde facilè qvoqve apparet alium eſſe modum, imò genus operationis visq; legalis aliud, qvo hoc tale, ſive formatum, ſive formandum huic aut illi, vel cum aliis vel præ aliis, ut competens attribuitur adſignaturqve; aliud qvô de formatione ipſa diſponitur, cum influxu qvôdam directivò in actum. Imò notari velim, qvod qvæ priori modô actionis fingitur conformatio (intellige qvã

ge, qvâ illa tanqvam aliqvid suum alicui tribuitur) sumenda videatur, ut ipsius potentiæ qvædam à lege facta conformatio, aut cujusdam qvalitatis (qvam potestatem alibi dicimus) ei facta impressio tributioqve; potestatem enim agendi lex immediatè alicui tribuere potest, non actionem ipsam. Posterior verò conformatio cum respectu videtur sumenda, qvatenus, per tributam potestatem actum certò modò formatum prodire faciat. Planè in censum etiam boni cujusqve, tum Philosophi tum JCti actiones vocant. Ex illis Aristoteles *(a)* etiam summam hominis felicitatem seu bonum in operatione secundùm virtutem ponendam esse demonstrat, qvem saniores ex schola seqventur fortè omnes, simul ex natura contrariorum illaturi, pessimum hoc sive turpissimum hominis malum in operatione consistere vitiosa; utrumqve autem tam bonum qvàm malum, per totum genus activæ rationis diffundet, tum vulgi tum jurisperitorum loqvendi usus, qvando actionis verbum latissimè sumit, qvâ de re alibi. & hi qvidem porrò disertè etiam præstationes & operas in bonis, puta utilibus, hominum referunt, dum facta deberi *(b)* operas legari, promitti posse dicunt, pecuniisqve creditis, qvas & alibi *(c)* in bonis destinatò numerant. *(d)*

X. Mira verò est, aliàs JCtorum operositas, in denominando, distingvendo, ac describendo eo, qvod jure cuiq; suum bonum, sive de bonis cujusqve, sit censendum, qvando ad speciem bonorum utilium potissimum intentione directâ, *appellant* ea qvæ bona *(e)*, qvæ in bonis *(f)*, in patrimonio *(g)*, pecuniaqve *(h)* nostra sunt: Itemq; meum & tuum *(i)*, suum *(k)*, nostrum *(l)*, ejus *(m)*, cujusq; *(n)*, suum cuiq; *(o)*, jus suum cuiq; *(p)*, qvod qvis habet *(q)*, qvod ad qvem pertinet *(r)*, qvæ competunt *(s)*. Imò hic ibi *(t)* promiscuè hæc omnia accipienda autumant. *Describunt* deinde *(u)* no-

(a) lib. 1. Eth.

(b) l.5. de præscript. verb.

(c) l.49. de V.S. l.52. de A.R. D.

(d) l.4.6.7. de oper. leg. 2. de usu & usufr. leg.

(e) l. 49. de V.S. l.52. de A.R D.

(f) d l 49. l.1. de R. D.

(g) l.36. de bõ. libert. § 2. & fin. J.t. vi bonorum rapt. l.2. pr. § 11. 22. ff. eod. l. 1. de usu & usufr. leg.

(h) l 9. rem pupill salv. for. l.30. § 1. de excus. tut. (i) l.222. 45. 178. 88. de V.S. l.22. in f. C. de administr. tut. c. totũ, c. 1. q. 3. (k) l.239. de V.S. l.54. de R.J. (l) l. 239. de V.S. l.54. de R.J. (m) l.11. 159. de R.J. l.58 25. de V.S (n) l.148. de R.J. (o) l.139. de V.S. (p) § 3. J. de J. & J. (q) pr. J. eod. (r) l.188. de V.S. (s) l.181. de V.S. (t) Nov. 59 pr. (u) l.1 § 7. de offic. præf. urb. l.5. de V.S. & passim. (x) d. textib. & porro l. ult. C. unde vi. l.38. § 9. d. R D. l.37 pr. l.74. d. legat. 3. l.9. 43. 213. l.1. de V.S. aliisq; innumeris Juris civilis textib.

nostra esse bona, qvæ non sunt alterius; qvæ nō pertinent ad alium, qvæ à nobis avocari non possunt, qvæ nos beant nobisve prosunt; qvæ deducto ære alieno (not. onus inter bona) supersunt; qvæ dominii nostri sunt, qvæ bonâ fide nobis possessa, superficiaria, nomina & actiones, sive qvæ in nominibus sunt nobis debita: corpora, & jura, seu facultatem re alienâ etiam utendi, fruendi, securitatis suæ causâ retinendi, cujusmodi servitutes qvæ appellantur tum reales, tum personales, jus pignoris &c. Item jus debitum persequendi, & qvæ sunt alia plura ejusmodi. *Distingvere* deniq; hæc satagunt in naturaliter & civiliter bona: in ea qvæ sunt & qvæ esse possunt in bonis nostris &c. Qvæ & cujusmodi omnia hîc ad amussim enodare, longioris foret moræ & extra scopum fortassis. Unum hoc saltem mereri putem, ne hîc loci prætereatur: sedulos nimirum juris legaliumq; virtutum scrutatores eò devenisse qvoqve, ut observarent, sui cujusq; boni (idem judicium in hoc respectu adplicativo sui, esto de malo ac oneroso) definitionem, non tantum id, qvod actu suum ac beans cuiq; sit, confinire ac complecti; sed & extendere sese, ad qvalemvis rerum ad nos attinentiam; puta earum qvæ ex qvavis causa penes nos sunt, etiam aliàs aliena aliisve debita (*a*): qvæve habere nostra interest, veluti commodatum, locatum, pignus, & reliqva, qvorum causa in periculo sumus damni alicujus (*b*): Item qvæ spem habemus ut nanciscamur, veluti bona paterna (*c*): Imò ad ipsam usq; ad res potentiam, ac aptitudinem, qvâ nostræ, aut cui suæ illæ fieri possunt (*d*), dictæ vel hinc qvoqve res humani juris (*e*); utcunqve actu nullius hactenus in bonis sint, veluti feræ, qvævis aëris aut aqvæ particulæ &c. actu autem futuræ ex eadem juris assignatione, ubi, qvæ media jure qvoq; ad hoc adprobata sunt, modi videl. acqvirendi, qvi dicuntur, intervenerunt. Ex qvib9 proinde patere existimem, eam de qva agimus sui attributivam legis virtutem etiam in eventualem, hypotheticam, &, ut ita dicam, potentialem usqve suitatis rationem sese extendere: ipsamqve legitimam sui attributionem, esse ejus sui boni maliye, & qvod actu, & qvod eventu, & qvod potentiâ suum cuiqve est aut esse debet vel potest. Imò cuivis advertenti facile putem manifestum futurum, plurimum etiam leges, in ipsa hac even-

(*a*) per l. 208. l. 181. 49. de V. S. l. 14. §. fin. & ll. seqq. ad Sc. Trebell. l. 1. l. 3. §. 1. de bon. poss. l. 2. §. 2. de reb. cred.
(*b*) §. 2. & fin. vi bō. rapt. l. 2. pr. §. 11. 20. ff. eod. §. 14. & seqq. d. de obl. qvæ ex delict. nasc.
(*c*) l. 58. §. 1. de V. S. l. 1. §. 10. 12. de vent. in poss. per l. 11. de lib. & posth.
(*d*) per pr. §. 1. & seqq. J. de R. D. add. l. 34 de contrah. empt.
(*e*) l. 1. ff. de R. D.

eventuali attributione absolvi, veluti si statuatur: qvicunq; liberam ceperit feram, remve aliam actû nullius invenerit, occupaverit, qvi qvid emerit, qvi dono acceperit, hæreditatem adierit, conditionem legati adimpleverit, ejus istiusmodi res esto: tali delicto talis pœna, tali necessitati tale deputatum esto onus: qvæ qvidem idem dicunt ac tale bonum, malumve, tali ac tali eventu aliqvibus esto suum. Si cui scrupuloso esse placeret, posset hinc adsignativam hanc, eandemq; immediatè sui-tributivam legis virtutem in aliqvas qvoq; species distingvere, puta in eam, qvæ sui-tributiva actu & qvæ ex evētu aut potentiâ sit. Imò si cui liberet, effingere nomina, & qvandam adhuc tributivæ contrariam legis virtutem, qvā *ademptivam* aut abjudicativam cuiqve non sui diceret, non obsisterem; Sed ne re simul ac sermone insolente nauseam legenti creem, abstineo hisce, contentus ostendisse aliqvam juris virtutem, actu qvodam immediatô sui-formativam, seu sui-tributivi effectus esse: eandemq; multùm variatæ distributionis, cujus qvidem firmamentum brevi operâ adhuc erit inspiciendum, anteqvam ad virtutem legis conformativam actionis, qvæ qvasi altera humanæ vitæ pars est, sermo digrediatur.

XI. Voluntas, & authoritas legislatoris, qvin sui-tributionem hanc, ejusqve variationem, per omnem divinam, humanamqve nomothesian sustineant, ambigere non licet, cernenti, omnem illam vim legi isthinc influere. An verò, ut illi hoc, alii aliud boni malive afferatur aut tribuatur, à voluntate illâ indifferente, ac merâ arbitrariâ, proveniat; an verò juxtà, aliqva sit ac prærequiratur, qvam & auctoritas hæc revereri ac respicere teneatur, ἀξίαν seu dignatio personæ, cui tributio fit, majoris videtur attentionis esse. ἀξίαν autem sive dignationem vocari velim, qvicqvid causa est in aliqvo, ut illi in specie, vel præ aliis etiam, hoc aliqvid suum à lege tribui conveniat: rationem communiter dicimus. Voluntatem verò indifferentem, ac merè arbitrariam hîc dico, ubi nulla prorsus est ratio movens in re; sed, uti hæc illis, alia aliis, tributa sint, sola legislatoris stet pro ratione voluntas. Utrumq; autem in utraq; dictâ nomothesiâ obvenire, si sigillatim utramq; circumspiciat qvis, satis luculenter appariturum existimem. Et divinam

qvidem qvod primò attinet: Utrum almus rerum conditor, anteqvam aliud qvid præter ipsum esset, in sese qvicqvam habuerit, qvô moveretur, ut non tantum rerum hanc universitatem, sed & singula in eadem, variatâ illâ, qvâ spectantur, formâ, cum suis cuilibet juxta attributis decoris, produceret; id eò inscrutabilioris indaginis est, qvò minus in humanam mentem, qvæ finita est, ac multum cæcutiens, cadit, ut infinitam in æterno infiniti splendoris lumine positam, æterni DEI essentiam, præterqvam, qvatenus ipsimet inde nobis revelare placuit, conspicere valeat; nedum ut causas omnium differentiarum, diversorumq; attributorum, qvæ in rebus videt, inibi polleat vestigare. Qvin, haud facile concipias, qvomodo dici possit, in rebus ante qvàm essent aliqvid fuisse, qvô Deus ad sic vel sic formandas eas, ad talia, ac talia iis tribuenda, moveretur. Imò nec postqvam jam qvædam facta fuerint, temerè fingi debet, ac si horum dignitate tum demum motus Deus fuerit, ut alia aliis magis decora adderet; qvippe id esset DEO immensæ perspicaciæ, ac omni præscio artifici, infirmitatem affingere. Conseqvens igitur est, qvæcunq; divinâ manu effatoq; immediatè productis, eôdem fatô, tributa sunt; cujusmodi sunt, v.g. cœlo astra, astris vis temporandi tempora, terræ & reliqvis elementis sua animalia, & ornatum reliqvum, homini, & cæteras potentias, & dominium in bruta; illa nulli moventi dignitati in rebus; sed mero, divinæ authoritatis ex sese sumpto arbitrio, nos posse referre accepta: atq; hisce accensenda putarem, tum qvæ Deum sex diebus creationis, & fecisse prima, & primis, ac ulterioribus adfecisse adornavisseqve divina exprimunt elogia (a) tum qvæ invariatæ naturæ, seu ex invariatâ naturâ, cuivis rei, bona, licet ibi non memorata, indita tamen eâdem manu, homines ipsi post depræhendimus; cujusmodi partes, ac potentiæ sunt nostræ, aliaqve naturæ bona innumerabilia, qvorum ordini computares, & si qva hinc ad limpidum naturalis justitiæ fluxum nobis approperant; veluti benè qvæsitæ facultates, honores, & alia: tum deniq; si qva singulari divinâ directione, neglectis causis secundis, ad æternum suum placitum servandum hodieq; conficiuntur, ac manent. Cæterum ab hac tamen immediatæ divinæ subordinationis, ac directionis sui-

(a) Gen. 1.

tribu-

tributione, differre videri poteſt divina qvædam alia, qvam, tum ex ipſo divino oraculo, tum per experientiam ex rebus addiſcimus, adſtringere ſeſe; in tribuendis qvibusdam, ad ſuppoſitam rei, aut perſonæ, cui aſſignitio facienda, dignationem: qvomodo ſanè manifeſtum eſt, totâ divinâ lege, hominibus malis, ingratis, ac incredulis Deo futuris, ideò qvod tales futuri eſſent, interitum, ac æternam condemnationem, vel ab æterno ex divinâ præſcientiâ fuiſſe adjudicatam; contrà piis, atq; credentibus æviternam ſalutem, & ſingularia in futuro ſeculo præmia. Referas qvoqve huc miram, & multifariam Dei diſpenſationem cauſis ſecundis ſeculi ſe immiſcentem, & applicantem; qvando ſæpius ob enormem impietatem gentes integras facit exſcindi, imperia de gente in gentem, de perſona in aliam transferri. Ubi ob probitatem hujus, & ipſi eidem, & alii etiam, præter hunc benedicit; & contrà alii ob impietatem maledicit: cujusmodi exempla, ſi opus eſſet nota monere, è ſacris, profaniſqve teſtimoniis ac monumentis magnô liceret afferre cumulô. Nobis autem ex hiſce, in confeſſo eſt, opinor, diſpenſationem eorum, qvæ cuiq; ſua, etiam eam qvæ à divina nomotheticâ dependet, partim arbitriô merô, partim arbitriô cum conjuncta ratione ex dignatione perſonæ petitâ, ſuffultam eſſe. De humana, qvæ hujus eſt imitatrix, cùm magis res in propatulo jaceat; & qvivis rerum non prorſus imperitus, facilè perſpiciat, planè per omne genus ſocietatis, multa penè ex mero arbitrio; multa etiam juxta dignationem, à Deo & natura, itemq; ab hominibus ipſis, hominibus inditam, iisdem humanâ lege ſolere tribui: de hac igitur inqvam verbum non addo. Subaudiri autem in univerſum antè dictis velim, qvod qvicqvid hujuſcemodi ſit legitimæ diſpoſitionis, etiam qvod ad dignationis cujusqvam hypotheſin confectum eſt, id tandem auctoritati legislatoriæ (qvæ vis, ac libera diſponendi facultas eſt) ut univerſali firmamento inniti, perqve eandem demum qvaſi immoti eſſe vigoris. Et obiter deinde monitum qvoq; velim, eandem nomotheticæ differentem rationem, qvâ partim tanqvam ex mero legislatoris arbitrio profluens, partim ut ex arbitrio juxta dignationis hypotheſin procedens, conſidera-

ſideratur, etiam legitimæ conformationi rationis activæ, de qva porrò nunc dicendum eſt, ſuô modô accommodandam eſſe.

XII. Conformandis humanis actionibus, legem hominibus datam occupatam eſſe, jam ſuprà poſui in liqvidis: nec difficile perſpectu eſſe exiſtimē, eandem in iisdem occupari, tanqvam in medio ad finem, eundemq; legitimum, conformando dirigendove. Ad *finem:* qvia, obſervante philoſophô, (a) non dabitur, niſi in vanum naturæ inimicum, humana actio, ſi qvæ non tendit ad finem; qvia verò & jus ſeu lex directum, non deſtructum venit actionem, utiq; relinqvet igitur hoc ei proprietatis, ut omninò tendens ad finem ipſa maneat: Et eum qvidem *legitimum*, qvia vel ipſa lex, (ut ex præcedentibus conſtat) aliqvem perpetuò talem vitæ humanæ præfinivit, hujusq; gratiâ & ipſi actioni, qvò ad eum pertingere poſſit, accedit. Simile licet obſervare in præceptis artium, & qvâvis inſtitutione in vita; qvorum omnium eſt, operationem ad finem, cujus gratiâ ars ipſaq; præcepta, ac inſtitutio ſunt, qvem vel eadem præſcribunt, dirigere. Planè igitur ex his colligere eſſe exiſtimem: ipſum juris ſeu legis τὸ conformare actionis, eſſe dirigere eam, ad finem legitimum: Qvia autem porrò finis legitimus, per ſuperius commonſtrata idem eſt, qvod cuiq; ſuū; ipſum qvoq; legis conformare actionis erit, hanc ad id qvod cuiq; ſuum eſt, dirigere; juſtæq; ſeu legitimæ cujusq; actionis, qvà talis, perpetuus erit character, ad hoc ipſum dirigi, directam, ſeu dirigendam eſſe. Imò præterea actionem ad id, qvod cuiq; ſuum, dirigere, iterum nil aliud eſt, generè loqvendo, qvàm facere aut cooperari, ut cuiq; ſuum tribuatur, & per hoc ipſum aliqvid ejus eſſe, qvod ſuum cuiq; tribuere eſt: Utiqve ſeqvitur rurſus legem ejusdemqve hanc aliqvam juſti conformativam virtutem à parte qvoq; hâc actionum, ſicut ab illa (ubi circa finem vitæ, ut talis conſiderabatur) cuiq; ſui-tributivam eſſe: Hoc tamen differentem à priori legalis ſui-tributionis genere; qvod ibi illa im̄ediatè cadat in ipſam rem lege diſpenſandam, hic in medium ab homine proficiſcens diſpenſativum; ibi tribuat hic tribuere faciat. Cæterum qvia generalius hæc dicta ſunt: legis circa actionem occupatæ vim eſſe actionem conformare, candemq; ſui-tributivam reddere; anqvirere expediet, num

(a) cap. 1. Eth.

qvæ

qvæ etiam plures iſtius conformationis ſint ſpecies, modiq; tribuendi plures? Anteqvam verò huc perveniatur, qvia congruit locus, de qvâdam qvoq; oſtenſiva virtute legis, pauca licebit interjicere. Qvando nimirum, & hæc utriqve, cùm ſui ut finis, tùm actionis conformativæ legis virtuti, verbô, toti generi virtutis legitimæ juſti formativæ ſuccenturiata eſt, uti mox patebit.

XIII. Oſtenſivam qvandam legis virtutem adſerenti, incumbere videntur potiſſimùm tria hæc oſtendere; primò, cujus rei oſtenſivam illam intelligat: deinde, qvod legi aliqva talis detur; & deniqve ſi detur, qvod diverſa illa ſit à virtute legis juſti conformativa. Qvod primum attinet, utiq; ejusdem rei oſtenſiva videtur intelligi debere legis virtus, cujus eſt & conformativa; qvod nempe, ſi hoc non eſſet, lex à ſemetipsâ videri poſſet divagari, aliud formans, aliud formatum oſtendens. Jam verò patet ex ante dictis, conformativam legis virtutem eſſe ejus, qvod legitimum juſtumq; eſt; hujus igitur & oſtenſiva erit legis virtus: ita tamen, ut ex natura oſtenſionis, qvæ contrariorum eſt, hoc proprium huic præ illa relinqvatur, qvod ut juſti ita etiam injuſti ſit oſtenſiva. Simili obſervatô in inſtrumentis, regulæ nimirum ac limitis, qvæ legi comparari vulgare eſt, qvæ & ipſa recti, cujus formationi faciunt, & hujus contrarii oſtenſiva ſunt. Patet de vocis intellectu. Qvòd autem porrò qvædam omnino detur legis legitimi juſtiqve oſtenſiva virtus (actusve) eademq; à conformativa diverſa, ſi porrò collationi eorum qvæ legem nobis aſſimulare agnoſcimus, regulæ videl. ac limitis inſiſtere velimus, qvia in iſtis per ſupra (a) oſtenſa res ita ſe habet, utiqve & iſthinc huc ſuſpicari ſaltem licebit, qvod nempe & legi ſimilia qvadrent. Verum, ne in ſuſpicione aut ſimilitudine nos fundemus tantum, ex ipſa re veritas magis petenda eſt. Et certè evincit tum natura generis, cujus lex ſpecies qvædam eſt, tum ipſa circa eam humanæ praxeos intentio & experientia, vim qvandam juſti oſtenſivam legibus ineſſe; natura generis: qvia enunciatum qvoddam lex eſt, verba autem ac enunciata ſuâ naturâ ſigna ſunt oſtendentia rerum, qvæ iis ſunt ſuppoſitæ: Intentio & experientia praxeos; qvando non aliâ de causâ proximâ tanto ſtudiô vitæ humanæ cultores, diſciplinæ legum, divini, humaniqve juris

(a) §.4. h. cap.

cognitioni incumbimus, qvàm ut primò justi atqve injusti scientiam comparemus; nullam omninò legibus addiscendis operam daturi, nisi ista nobis inibi, & ab iis ostenderentur. Nec alio testimonio hîc videtur esse opus, qvàm judicio cujusvis, legem modò aliqvam paulò attentius intuentis, utpote, qvi non potest non videre, à lege sibi, qvid (juris) justum sit ostendi: ita sanè judex jurisq; peritus ad ostensum sibi à lege justum de jure justoq; pronunciat: ita qvivis ex populo, ubi legem, qvâ verba qvâ sententiam probè in conspectu habet, de justo, qvod eâ ostenditur, judicabit, idqve non aliunde, qvàm qvia lege hoc ipsum sibi ostenditur; ut summatim dicam, totum, de justo ex jure judicium pro fonte, ex qvo hauritur, ostensionem facultatemq; hujusdem ostensivam habet. Deinde verò, & absonum foret, legi justi formatricem affingere virtutem, cui non assideat ejusdem qvoq; ostentatrix; neqve enim videtur qvicqvam conducere posse humanæ vitæ, si factâ à lege rerum legitimâ per homines dispensatione, in obscuro interim maneret positum, qvid cuiqve ut suum esset assignatum: imò nec facere qvicqvam lex posset ad humanam, hoc est, ex sese arbitrariam, & infinitæ varietatis actionem, qvò per eam justè & ad justum dirigatur, nisi menti hominis exposita pariter atq; ostensa per ipsam pateret forma justi. Et si fingas aliunde qvàm ex ipsa lege commonstrationem justi posse fieri, fortè ab informatore aut monstratore qvodam alio: at, qvorsùm, regererem primò, usus legis, si aliunde constet, de justo, cujus ergò hæc tamen elaborata propositaq; est? Deinde verò, ille qvicunqve justi informator, aut alius à legislatore futurus est, aut ipse. Si alius: & jàm qværatur, à qvo illi, & rursùs unde illi isthæc justi cognitio? tandem vel ad legem, vel ad legislatorem pertingere necesse erit; unde enim qvod ab intima legislatoris mente proficiscitur cognosci aliàs poterit? si ipse: sive primò sive per dictum gyrum ad eum devenias; futilitas utiqve affingenda erit legislatori, eminentiâ & gravitate legislatoriâ indigna, siqvidem statuatur idem legitimum enunciatum, qvod dictum statim intelligi debebat, multiplicatâ operâ, ad hanc habitudinis suæ perfectionem, qvâ intelligibile id etiam futurum est, ab eô demum perduci. Id qvod omninò futurum esset, si juxta ac prolatum foret,

ret, idipſum pariter non oſtenderet, qvid ſancitum velit ejus autor. Et ſi tandem ipſe, qvid juſti ſub lege lateat, repetere inſtituat, juvare fortè declarando hanc ejus oſtenſionem poteſt, de cœtero verò non aliud dicere, qvàm qvod ante ipſa lex dicit, ſi qvidem manere eam, nec deſtructam velit, poteſt, eoq; legis ſuæ contenta hactenus non niſi per legem ipſam oſtendere habet. Et ita qvidem videmus fieri, ubi fortè lex qvædam poſita interpretanda à legislatore venit, qvod nempe, poſt declarationem factam appoſitamqve, de cætero legem bene poſitam ipſam huic ſui ipſius oſtendendi muneri ſoleat ille relinqvere. Porrò ipſa legum neceſſariò reqviſita promulgatio, utpote qvæ de conſtitutione earum eſt, τὸ oſtendere juris eſſe, evincit. Cui uſui enim aut qvô effectu aliàs lex promulgaretur? Sed etſi ponatur, juſtum legis, poſtqvam lata hæc eſt, à legislatore ipsô, aut aliò qvodam manifeſtari oſtendiqve, id tamen non poterit fieri, niſi relatione ipſius legis, aut ipſiusmet juſti ex eâ; ſi enim alienum referretur, huc nihil faceret: Et ſi qvidem legis fit relatio, iterum per ipſam legem fit oſtenſio, & cognitio juſti; ſi juſtum ipſum, id utiqve manifeſtari non poteſt, niſi per enunciatum, qvod idipſum dicit, atqve iterum res eodem dilabitur, qvod per ipſam qvamq; legem, ſuum qvod fovet juſtum, oſtendatur. Nolo qvod clarum eſt, argumentis urgere ulterius. Ex dictis autem imò ex communi ſenſu manifeſtiſſimum puto eſſe, utut vulgò hujus in ſpecie, & nominetenus, inter legales virtutes non ſoleat fieri mentio; eſſe tamen reverâ aliqvam oſtenſivam legis virtutem. Qvam etiam exiſtimem omni generi legis, rationali naturæ latæ, communem eſſe, puta humanæ, divinæ, naturali etiam; nam & hâc ipsâ, ſive ipſa, ſive per eam divinus ille vice-dictator, mens noſtra, monſtratorem agat, qvid juſtum rectumq; ſit, nobis oſtendi, nemo ambiget. Qvod qvidem qvadantenus ad ipſam qvoq; naturam brutalem extenderem, qvatenus etiam ipſa animalia, multa ad cognitum imperium domini, multaq; ipsô naturæ ductu ſtata peragunt, qvaliqvali interim arbitrio prædita agendi aliter: tametſi ea horum ex hac oſtenſione cognitio, non cum illa, qvæ in humana mente eſt, reflexione, eſt conjuncta, ita ut animal aliqvod lege naturæ aut etiam domini præcepto ſibi oſtenſum, ſimul penes ſe mul-

 tum

tum animô agitare, aut etiam cogitare possit, hoc sibi ostendi, hoc esse legitimum, multò minus ut per provectiorem discursum ex justi principiis justum aliqvod qvadam qvasi argumentatione concludere valeat: scil. non ipsam humanæ naturæ perfectionem sed simulachrum humanæ, ut humanæ divinæ mentis, divinus conditor, brutis voluit indere.

XIV. Sed ambigeret fortè aliqvis, adhuc de tertio: annon ergò eadem, qvæ legis virtus ostensiva justi est, etiam subjecti justificandi, finis nimirum, & praxeos conformativa sit, & contra. Id qvod videri posset esse, qvia utiq; non nisi mediante isthâc ostensione, in humani actus (liceat in hoc exemplo rem pervidere) conformationem lex videatur influere, eôqve ostensio justi idipsum esse, qvod justi formatio, in modum forte, qvô monstrator viæ tantum ostendendo facit, ut rectà eatur, imò qvô & regulæ usus in hoc videtur consistere, ut inde noscatur forma facti aut futuri operis, non ut ipsa simul operetur aut opus formet. Sed diversum verum est: diversam videl. qvandam esse vim legis formativam ab ostensiva justi: Nam etsi concesserit qvis, ostensionem qvasi viam atqve accessum aperire virtuti conformativæ actus ad justum, dum nemo consultò justum ageret, nisi id ostensum videret; attamen nec id seqvi notum est: eadem statim esse, per qvorum unum ad alterum pervenitur, aut qvorũ unô operãte alteri qvasi via aperitur ad cooperandũ. Ipsa a. utriusq; virtutis diversitas ferè potest patere ex his: nimirũ primo ex ipso effectu diversô utriusqve, qvando lex, qvatenus formativa actionis (itemqve finis sive sui) est, tantum justi existit conformatrix, non verò injusti, neqve enim legi formatio injusti ullô modô potest tribui, qvippe, ex qva sola forma justi legitimiqve, non etiam injusti, rebus inditur. Qvatenus verò ostensiva eadem est, utriusq; oppositorum est, justi scil. & injusti simul ut etiam modo ante dicebatur: Unde & hactenus JCtis (a) *regula justorum, & injustorum dicitur*, qvodq; *justi* simul *atq; injusti* gignat, *scientiam* (b), præbens scil. justitiæ sacerdotibus facultatem, *æqvum ab iniqvo separandi licitum ab illicito discernendi*, prout fatur Ulpianus noster (c). Porrò etiam exinde distincta utriusqve natura apparet, qvod actu eas separari contingat; qvando nempe, postqvam aliqvid, qvod secundùm legem formari debuit, formatum est, puta suum

(a) *l. 2. de ll.*
(b) *l. 10. §. 2. de J. & J.*
(c) *l. 1. d. J. & J.*

ſuum cuiqve aſſignatum tributumq; à lege, & ſecundùm legem ab homine eſt, nec fortè qvicqvam ejus, qvod fieri debuit, agendum reſtat; jam qvidem vim formandi, qvò ad hæc, lex perdidit, vel certè exercere eam non poteſt ampliùs; at vim oſtendendi idipſum, qvod per, & ſecundùm eam, factum eſt, juſtum, ipſa legis formula etiam poſt ſemper retinet, ac nunqvam non in actum valet producere; ut & injuſtum monſtrandi tantum, ſiqvidem aliqvid injuſtè peractum eſt, qvod emendationē non admittit; imò etiam eandem tum ſolùm retinet, ubi ipſum, ex injuſto facto, injuſtum in re emendationem admittit; qvod qvidem factum, ut factum eſt, ſeu juſtum ſeu injuſtum, ſemper maneat idem, nec poſſit reddi infectum. Sed & anteqvam conformatio juſti alicujus actus contingit, vel anteqvam impulſum ad agendum homo qvisqvam ſentit, jam juſtum qvale futurum, lex anteqvam formetur aliqvid ſolet oſtendere, imò in hoc actu ſæpius perſiſtere, alterum conformativum (forte qvod ſubjectum conformaturum, illum non admittat) haud exercens. Deniq; vel cum ipſa conformante concurrens vis legis oſtendens, differentem ſe facile exhibet ab illâ; dum illa circa perſonam, cui lata lex eſt, occupatur tantum, hæc verò etiam, qvibus non lata eſt, facti juſtitiam, aut injuſtitiam monſtrat. Imò & in ipſa perſona operante qvaſi aliud ſubjectum cooperationis ſuæ videtur deligere, atqve influere, illa qvàm hæc. Nempe oſtenſionis, & per hanc notionis juſti, mens tantum, ſive intellectus capax eſt: formatio verò actionis, ab appetitionis, ſeu voluntatis ultima concluſione profluit, cui qvidem dirigendæ vis legis conformatrix maximè propterea videtur eſſe deſtinata, utpote qvæ & ipſa coactionem illam admittit, qvam legis fert ſanctio, ſecus atq; intellectus cui ſit oſtenſio. Sufficiat dictum de virtute legis oſtenſiva juſti ejusq; diſtinctione à formativa actus, de qva nunc peculiariter paulò diſtinctiùs qvoq; videndum eſt, utpote cujus ſpecies penè ſolæ vulgò legis virtutes audiunt.

XV. Numerò plures hujus conformativi generis, legis virtutes ſtatuunt communiter omnes; licet de ipſo numero non æqvè conveniunt: *Legis virtus hæc eſt*, inqvit Modeſtinus l. 7. ff. de ll. *imperare, vetare, permittere, punire*: addunt alii: *ſvadere* ac *diſſvadere*

iteq; *tolerare*, fortaſſis & *concedere*, itē *præmia ſtatuere* adderunt alii. Contra verò ſunt qvi vel hæc tot non obſervant vel ex cenſu harum virtutum juris, qvasdam rejectum eunt: qvos inter præcipui ſunt, qvi permiſſionem, legis actum non eſſe autumant. Verùm neglectis his, primò qvidem, ad tria, imò ad duo ſumma capita hoc virtutum legalium genus referri poſſe arbitror, exiſtimans omnem ſub hoc actuum conformativo genere comprehenſam legis virtutem, eſſe, vel imperativam, vel permiſſivam, vel prohibitivam: Sive etiam eſſe *præceptivam ac permiſſivam*. Qvod enim *punire* legis attinet, aut intelligitur per illud ipſa pœnæ cuiq; delicto, aut delinqventi qvæ fit aſſignatio, & ad alterum genus virtutis legalis, putà qvod immediatæ ſui-attributionis antea memorabatur, pertinet; aut accipitur, pro conformare ipſum actum punitionis ſeu pœnæ inflictivum receptivumqve; & erit nihil aliud qvàm præcipere, ut ab hoc illove in talem ob tale delictum talis exerceatur ſuſtineaturq; punitio, eoq; modo ad præceptivam virtutem legis referetur; idq; eò magis, qvod omni præcepto legis, qvædam puniendi ratio, vel expreſsè vel tacitè, ut pars qvædā, adnexa ſit, in caſum, qvô qvod præceptum eſt non fiat, aut contra fiat; qvam qvidem legis partem ſanctionem vocamus cum Juſtiniano *(a)* & Papiniano JCto *(b)*. Dico omni legi, agere aut non agere imperanti, ſanctionem adſiſtere, ut munimentum aliqvod, qvô dimoveatur acturi potentia ab arbitrariâ ſuâ divagantiâ, & contrà commoveatur, ad exercendam actionem ſecundùm legis præſcriptum. Qvæ qvidem & ipſa ſanctio fundamentum, ac robur maximum videtur eſſe virtutis hujus omnis legalis: ſtringens hominem cogensq; ut juſtum agat: intellige autem ſuô qvôdammodô, putà qvô homini ejusdemqve agendi potentiæ non eam inferat violentiam, qvæ tactivi cujusdam atq; inevitabilis ſit impulſus; Sed qvatenus metum mali, ac ſpem boni animo hominis incutit, in eventum, qvô fiat, aut non fiat qvod præfinitum eſt; id qvod nihil aliud videtur eſſe, qvàm in eventum præmii, & pœnæ definitione legem munire: cui qvidem utriqve munimini ſua aliqva, major tamen ei, qvod pœnæ propoſitæ eſt, efficacia eſt, utpote qvod reperias, magis homines, ſolere eſſe negligentes commodi, qvàm tolerantes mali, & incommodi; tametſi

(a) §. *10. de R. D.*
(b) *l. 41. de pœn.*

tametsi vel hoc etiam sustineret aliqvis, qvasi nempe ipsa etiam præmii promissio in terrorem punitionis aliqvem sese resolvat, dū in eventum neglectæ legitimæ boni permissionis, perq; præmia invitationis, metuenda sit privatio, ac non datio istius boni seu præmii; id qvod utiqve speciem qvoqve mali præ se fert. Notari autem potest obiter, de sanctione hâc, eam aliqvando expresse in lege præferri vel eidem adjungi, aliqvandò verò tantum subaudiri: expresse præfertur, veluti si concepta lex sit: *homicida capite plectitor, binas nuptias contrahenti infamia irrogator, qvi primus in pinnaculum muri evaserit talentum accipito*; cujusmodi in casibus sub sanctione lex latet, aut illud legis, qvod servato ordine intentionis præmittendum omninò in legali enunciato foret, ut v.g. fit in his: *non occides: nemo esto bigamus, qvisq; ad hoc nitatur, ut primus in murum evadat.* Adjungitur autem expresse sanctio, ubi primò proponitur, qvid faciendum, aut non faciendum, factâ autem illâ ordinatione jam separatim apponitur, qvid præmii aut pœnæ mansurum sit illis, qvi faciant aut contrà faciant, prout se habent illa DEI Ter. Opt. Max. ad Decalogum de puniendis maleficis in tertiam, & qvartam, de benefaciendo piis in millesimam usqve generationem. Tacitè verò subaudienda relinqvitur multoties qvoq; sanctio, ubi vel aliundè, sive etiam aliâ ex lege fortè constat de præmio obseqvii aut pœnâ digressionis; ubi futuræ determinationi illa fortè reservatur, vel etiam ex causa, qvod negotii natura non eum rigorem desideret, ut promptā & vehementiorem afflictionis impressionem prædefinitam lege habeat: sufficiente fortè, qvod aliqvam tantùm infamiam facti, qvam appellant, aut levem inobedientiæ notam; aut privationem, communiter ad tale obseqvium subseqvuturi boni, aut simile qvid, patiatur reus legis. Atqve hæc qvidem, ac talis, tali cum latitudine, intensione ac remissione, opinor, accipienda est illa in philosophiâ tantùm celebrata vis legis coactiva, unde & ipsam legem orationem coactivam definiri oportere autumant Philosophi; JCtis nostris sanctio legis illa dicta est. Occasione hâc in specie de eo qvod punire legis est, obiter qvoq; potest notari, idipsum, partim ad assignativam legis virtutem esse referendum, qvatenus nimirum hanc vel illam pœnam illi delin-

qven-

qventi adſignat confinitq; lex, partim ad formativam actionis; & ſub hoc qvidem genere idem, vel ut partem præcepti poſſe conſiderari, qvatenus ſcil. in eo conſiſtit legis ſanctio; vel ut ſpeciem, qvatenus ad puniendi actum hôc vel illô modô inſtituendum adigit. Similis autem erit ratio conſtitutionis qvoq; præmiorum ad ſuum ipſius modum.

XVI. Svadere porrò, ac diſſvadere, ſunt, qvi in virtutibus legis computant, moti plurimis, qvas cernunt, deciſionibus legitimis, qvæ tamen, ut non meræ permiſſionis, ita nec abſoluti, aut rigidi præcepti; non meræ libertatis, nec tamen rigidæ neceſſitatis, appareant: cujusmodi videntur eſſe omnes illæ legales poſitiones, qvibus terror abeſt ſeverioris coercitionis, qvarumve ſanctio tantum in propoſitione præmii hujusve carentia, vel certè in comminatione levioris incommodi, qvàm qvod communiter homines multum terrere, aut movere ſolet, conſiſtit. Cujusmodi multa & in civilibus, & in naturalibus occurrunt: in civilibus, veluti ſi lege Julia & Papia cœlibatus evitatio, & procreatio ſobolis, civibus Romanis injungebantur ſub præmiis ac levioribus pœnis, de qvibus multam faciunt mentionem JCti (a) ſi in ludis olympicis honore propoſitô invitabantur concertatores ad victoriam; ſi concubinatus ad honeſtatis jurisqve matronalis ac matrimonialis carentiam damnatur. (b) In naturalibus, qvando generalis legis naturæ videtur ſvaſio eſſe, ut omnimodò honeſtè h. e. ſecundùm omnem virtutem vivamus, vitio omni abſtinere nitamur (c), ut homo hominem beneficio afficiat, à conjugio ſangvinis, non proximi tantùm, ſed & propinqvioris qvisq; abſtineat: Et fortaſſis pleraqve omnia legis naturæ, expreſsâ civili ſanctione non roborata, homini gentili ac ignaro æternitatis, ſvaſiva magis, aut diſſvaſiva erunt, qvàm præceptiva, utpote qvi famæ, aut moralis ſolummodo turpitudinis malum, ſibi imminere exiſtimat, ſi contra, qvàm ex hac lege faciendum videt, faciat. Unde ſine dubio etiam accidit, qvod tam facilis apud plurimas gentium à lege naturæ communiq; humano officio digresſio fuit facta. Cæterùm utut non de nihilo hæc ſunt, & omnino ex his etiam appareat, qvomodò multum differentiæ lex patiatur à diverſitate ſanctionis, qvatenus illa vel ſtrictior

(a) Ulp. J. 1. 15. 16. 17. l. 6. C. de bon. libert. §. 2. J. de ſucceſ. lib. l. 2. de minor. pr. J. de excuſ. tut. l. 3. §. 6. l. 4. pr. de munerib. l. 64 de condit. & demonſtr.

(b) l. 1. & 2. de concub. l. 41. de rit. nupt. l. 3. de jur. dot. l. 1. de natura lib. lib.

(c) juxta qva trad. Ariſt. 1. Eth. in f. & Juſtin. §. 3. J. de J. & J.

ctior est, vel remissior; accedere tamen omnino ad naturam præceptionis utramqve, affirmativam scil. ac negativam svasionem (si ita appellare libet, aut si ita) svasionem ac dissvasionem legis, videtur; inclinante nimirum svasione ad imperium, dissvasione ad prohibitionem; à qvibus nec tam specie, qvàm sanctionis intensione, ac remissione differunt, ita ut svadere, ac dissvadere penè idem sit, qvod imperare, aut vetare remissius. Loqvor de svasione legali; nam de ea, qvam par pari, aut amicus amico facit, non pollens, vel non utens authoritate nomotheticâ, aliud fortè dicendum; qvamvis in ostensione adipiscendi boni, aut vitandi mali, & hæc svasio simile aliqvid legitimæ sanctionis habeat. Ut autem svadere, ac dissvadere, itemqve punire, ad imperare, ac vetare legis virtutes, referenda sunt, ita concedere, tolerare, indulgere, ac similia ad permissivam ejus vim videntur pertinere. Nempe qvatenus ad actiones hæc accomodantur, nihil aliud videntur esse, *concedere*, qvàm expresse aut etiam ex meritô permittere: *indulgere*, tale qvod neqve svadendum neqve dissvadendum adeò est, permittere: *tolerare* verò permittere cum dissvasione aut etiam tacitè. In illo genere potest esse concessio alicui expresse facta tractandi in republ. arma, legendi tributa, & similia, pro bono publico facientia expediendi: In isto permissio testamenti-factionis, libertatis capiendi feras; in hoc tolerantia concubinatus, polygamiæ, divortii, aliqvalis circumventionis in commerciis rerum. Sed diffiteri non licet, voces interim hasce, concedere, tolerare &c. & ipsum genus permittere vulgò indifferenter, & promiscuè usurpari. Qvia indulgere, & concedere, qvandoqve etiam virtutem legis dispensativam boni, videtur sapere; qvando v.g. immunitas concessa: lex seu legislator in præteritum, item crimen, aut ob meritum, qvid alicui indulgere dicitur (a). utramqve, tam mediatam qvàm immediatam permissionis legalis tributivam virtutem videtur complecti illud pontificis, qvô *privilegium* ipsi definitur *lex specialiter qvid indulgens* (b). Sed de his satis.

(a) l. 22. d. ll. l. 7. C. de praci. Imp. l. 1 de cōstit princip.
(b) cap. 25. X. de V. S.

XVII. Atqve ita qvidem, qvicunq; hi, aut similes alii, aliâ verborum figurâ proferuntur legis actus, facile, ut autumo, qvatenus in ratione vitæ activa formanda lex versatur, (qvod qvidem

ſemper hîc ſupponitur) ad aliqvem horum trium : *Imperare, vetare, permittere,* erunt redigendi. Unde hactenus conſeqvens eſt, tria hæc, hujus generis virtutum legalium ſumma capita ſtatuenda eſſe. De qvibus nunc porrò notare licet: habere ſeſe easdem haſce tres virtutes legis ad invicem, ſi primam ſeu antecedentem legis partem reſpicias, (nam ſi ſanctionem, aliô modô ſeſe rem habere, patebit inferius) ut contraria, & medium, ſicut & juſta qvæ exinde, *imperata* ſcil. *vetita*, ac *permiſſa* ſunt, ſeſe habere, aliàs notum eſt; nempe res loqvitur, imperare & vetare naturam omnino contrariorum habere, ſeq; mutuò pellere circa idem, eodem modo, tempore, loco &c. qvomodo n. poſſibile eſſet, qvod imperatum eſt v.g. ut tu huic des hodiè aureum; idem, iisdem poſitis circumſtantiis, ſimul poſſe eſſe vetitum. Alterum enim enunciatum in effectu vim ſuam atq; valorem obſervabilitatis (ut ita dicam) neceſſariò amittere habet, ſi alterum eundē debet obtinere. Sunt autem contraria hæc, ſive jus, ſive juſtum, legem, aut legitimum reputes, non immediata, qvale par & impar numeri, ſed mediata, qvalia alicubi Ariſtoteles obſervat (*a*) ut album & nigrum, bonum & malum, & qvidem ex iis, hujus generis contrariis ſunt, qvæ media habent, nominata; nimirum eſt inter actus legales *imperare, & vetare* medius qvidam, qvi neqve imperare neqve vetare eſt (qvâ figurâ utrinqve negativâ extremi, media contrariorum, qvæ nomen non habent, aliàs etiam exprimere conſulit Ariſt. d.l.) *permittere*, ut & inter effectus legis ſeu legitima; imperatum ſcil. ac vetitum, medium, ipſum qvoddam *permiſſum*; qvod & *licitum* cum J.C to (*b*) dixeris, non tamen ut ille ibi, id illicito opponendo; complecteretur enim, & imperatum, imò omne qvod legitimum eſt; ut per illicitum omne qvod illegitimum, ipſe ibidem videtur dicere. Certè qvod lege neqve imperatum, neqve vetitum eſt, permiſſum judicant omnes, & per conſeq. inter iſthæc talia, ut medium idipſum habebunt; licebitqve hinc ex natura conjugatorum ad actum legis arguere ipſum, nempe permittere qvoqve inter imperare, & vetare medium eſſe. Tentaret forte hôc locô ſcrupuloſus aliqvis indagator qværere, an fortaſſis ad modum qvo, v.g. inter album & nigrum contraria plurima interjacent media, veluti viride, rubrum, flavum

(*a*) *lib. de categor. cap. 10.*

(*b*) *l. ude J. & J.*

flavum &c. etiam inter imperare, & vetare, imperatum & vetitum plura intercedant talia, qvorum pars huic, pars alteri contrariorum propinqviora forte sint, pars etiam æqvaliter utrinqve distent; facto, fortè transitu, ab usq; *imperare*, per *svadere, concedere, permittere, tolerare, dissvadere*, ad usq; *vetare:* Sed faciat, qvem juvat hîc esse subtiliorem; mihi hactenus in tribus illis, qvæ imperare, vetare, & permittere sunt, libet acqviescere; reliqvorum singula iis qvibus ex his propinqviora videntur, annumerare parato.

XVIII. Verum enim verò, uti nemo, qvi qvidem, qvid lex legisq; virtus actusve sint callet, in iis non habeat imperare, & prohibere seu vetare; ita controversia non caret: An *permittere* etiam iisdem accensere debeat? Sentiunt hîc pene diversum Philosophi à JCtis, dum illi; moti, partim authoritate sui Aristotelis, legitimo enunciato coactivam qvandam rationem tribuentis; partim etymô legis, ac juris, qvo legem ipsi deductam autumant à ligando, jus autem à jussu seu jubendo; ita ferè præconcipiunt: Qvicqvid non formam jussus, aut vim ligandi habet, seu, qvod eodem recidit, non coactiva oratio est, id lex non est; & per conseqvens, nec legitimum dicendum id, qvod non jussum, aut coactivè, & cum necessitate exeqvendi, mandatum est; Sed qvæcunqve talia sunt, statuunt hi porrò, naturalis esse permissionis, ac libertatis, & ipsam permissionem naturæ qvidem esse, non a. legis. Contra verè hi, puta, juris civilis auctores, ipsum permittere inter virtutes & actus legis disertè referre non dubitant *(a)* aliàs per indulgere, concedere, non negare legis, & similem figuram vocum idem exprimentes *(b)*. Cicero qvoqve qvando l. 2. de invent. *majorem vim*, ait, *inesse prohibentibus legibus, qvàm permittentibus*, utiq; & ipse permissivam qvandam vim legis agnoscit. Nuper in Batavis Hugo du Roy inter multa alia, qvæ eleganter *de eô qvod justum est*, disserit, contradicens iis, qvibus jus naturale à jure gentium distingvitur, eà ratione, ac si illud tantum præceptivum, hoc verò permissivum sit; *eam* ait *inter hæc jura non videri aliqvam, nedum essentialem differentiam, cum etiam ipso jure naturali*, (qvod qvemvis secum putat fateri cogi) *sive morali divino multa non expressè præcipiantur, sed permittantur.* & qvæ seqvuntur. A posteriori hac parte existimem nobis standum

(a) l. 7. 22. de ll. l. 1. de test. tutel.
(b) l. 22. de ll. l. 17. de R. J. l. 237. de V. S. junct. l. 1. de caduc. tollend.

 esse,

esse, tum qvod ratio philosophantium præcipua à sanctione, ac vi coactiva desumpta, non omnimodæ firmitatis videatur esse, tum qvod experientia, & praxis nomothetica illis prorsus adversetur, & cum jurisperitorum ordine hic faciat. Ut prius de hâc dicam, certum id est, omnem, qvæ post rerum primordia prodiit, nomothesiam, plenam positionum permissivarum esse: nimirum sic Deus ipse fons omnis bonæ legis, expressè permisit (a) Adamo, comedere de omnibus horti Eden fructibus, præterqvam qvi essent unius arboris scientiæ boni & mali: talis effectu qvodam est illa & Protoplastis & Noachidis, & in his generi humano facta concessio de dominio, ac usu animalium, & creaturarum reliqvarum; de propagatione sui generis: longe plures sunt legis mosaicæ ejusmodi permissionum, veluti illa de divortio, de commestione animalium mundorum, & reliqvis. Juris civilis, amplissimum campum, si qvisqvam lustrare cupiat, dubito an non dimidiam legum partem, & ultrà, qvà frontem positionum, permissivi actus deprehensurus sit e.g. qvibus jura qvæ dicuntur majestatis, seu potestas belli, pacis, fœderum, ferendarum legum, judicandi, tributi legendi, nobilitandi, &c. præfectis civitatum conferuntur seu permittuntur. Qvibus potestas talis, ac talis, parentibus in liberos, domino in servum, marito in uxorem, creditori in debitorem conceditur: qvibus variis modis acqvirere, acqvisita conservare, deqve iis, & in vita, & post mortem multifariàm disponere conceditur: ita verò & privilegia, qvæ aliàs jura qvoqve dicuntur singularia (b), plurimùm incertorum actuum certarumq; rerum permissionibus versantur, v.g. mulieri ut liceat vindicare dotem suam præ creditoribus aliis (c); mutuanti in funus ut mutuum posset repetere præcipuum (d); minoribus circumventis, ut petitionem habeant restitutionis in integrum (e). Liceret si opus esset ex civili omniq; sociali legalitate, sexcenta alia permissivarum legum exempla adducere. Sed & qvod naturalem attinet, mirum sanè foret, si non idem de illa qvoqve liceat præsumere! Qvin planè conjectationi ex his locum esse existimem, qvæ vulgò libertatis, aut etiam permissionis naturalis dicimus, si concisè & propriè qvispiam loqvi velit, ea, permissionis *juris* naturalis, libertatisqve jure naturæ concessæ, dicenda potius esse.

(a) Gen. 2, 16.

(b) l. 16. de ll.

(c) l. 12. C. qvi pot. in p.

(d) l. 12. §. 2. l. 31. 45. de religios.

(e) l. 1. & t. t. de minorib.

esse. Certior autem ni fallor adhuc instituitur nobis collectio ex principio revelato, nobis vero Deo fidelibus cognito; ex qvô scimus, jus naturæ esse jus Dei, Deum esse, qvi naturale justum nobis manifestavit, qvi legem naturæ hominum cordibus, ut Apostolus prædicat, inscripsit (a); jura naturalia divina qvâdam providentia constituta semper firma atq; immutabilia permanere (b), puta eâdem providentiâ; eademq; ipsa jura naturalia nil aliud esse, qvàm illa primæva effata istius verbi, qvô cœli formati sunt, & per qvod bona sunt facta omnia; ejusq; domini, cujus spiritu oris cœlorum omnis conditus est exercitus. Dico porrò & legem & legitimum permissivũ esse, extra dubiũ est nobis, qvi credimus, eundem planè Deum esse, eandem auctoritatem, qvæ naturæ indiderit facultatem, qvædam liberè, & qvæ necessitatem impresserit, qvædam necessariò agendi; & qvæ menti, actionum nostrarum principio, dictamen utrumq; suggesserit, puta & permissivum, & præceptivũ, utpote utrumq; bonum concreatum, & vitæ benè, & ordinatè degendi regulam: qvis enim unqvam hanc humanam societatem benè coleret, si non æqvè sciret, hoc est, menti suæ dictitatum impressumqve haberet, qvid permissum, qvàm qvid præceptum aut vetitum sit? Dubito, an qvi hæc videt, dubitare possit, æqvè permissiva, ac præceptiva naturæ dictamina legem dicere sive naturæ sive DEI omnipotentis.

(a) Rom. 2.
(b) § penn. J. de J. N. G. & C.

XIX. Sed ais non jubet, non ligat, non cogit tamen permissivum fatum. Respondeo primum ad hoc ultimum. Aristoteles, vir aliàs eorum, qvos mundus vidit, in rebus ex natura indagandis acutissimus ac solertissimus, proh dolor, hoc passus est infortunii, ut expers esset religionis veræ, & revelationis, qvâ indubitatò cognitam haberet illam, qvam nos callemus, rerum naturalium, & cum his, juris qvoq; naturalis originem; qvi qvidem defectus inter alia illum penes ipsum effectum genuit, ut nec jus qvoddam, seu legem naturæ potuerit cognovisse; qvod qvidem vel inde observare est, qvod apud ipsum, etiam ubi expresse de legali materiâ agit, haud temerè videas, aliqvam mentionem *juris* naturalis fieri, (qvod tamen ipsum jus nostrates facile omnes agnoscunt) sed benè *justi* naturalis, itemq; æqvi; non legem, τὸν νόμον; ἀλλὰ τὸ ἴσον, τὸ δίκαιον

καιον φυσικὸν ei dici. Si igitur ignarus fuit ipse juris hujus, qvid potuerit statuere de ejus virtute, aut qvomodo permisſivis divinitus edictis naturæ fatis, cum etiam præceptiva ignoraret, nomen legum potuerit indere; contentus, ut ea, qvæ vel à civili jure penitus neglecta vel etiam disertè permiſſa videret, naturali libertati aut relicta aut ad eam rediiſſe ſtatueret, prout & noſtri hoc modo, ejus hujusce ignorantiæ veſtigiis, minus licet excuſandi, qvia magis illuminati, inſiſtunt hodieqve.

XX. Deinde verò, qvod præcipuum fundamentum, ſeu ipſam hypotheſin attinet, permiſſionem legitimam negantium: ac ſi nullô ſanctionis munimine illa firmata ſit; id ipſum qvoq; non planè firmo ſtat talô. Namq; vel rogari primum poſſet, qvænam hæc ſit necesſitas legem ita definiendi, qvod juſſus ſit, qvod liget cogatqve? qvid ſi qvis diceret, *legem hominibus* datam, eſſe ipſorum, *regendæ vitæ* causâ *ab auctoritate dominante* ipſis *propoſitum* fatum ſeu *dictamen juſti* āliqvod; complectens ſub iſthoc genere etiam enunciata permisſiva talia. Sed eſto, qvod opinioni iſti, (qvæ eſſe legis ſine coactiva aliqva ratione non admittit,) indulgentiores ſimus; forſan ex rei ipſius natura commonſtrari licet, ne permisſionem qvidem dari legitimam, qvæ ſuâ careat ſanctione, & coactione ſaltem alicujusmodi. Planè admiranda hic divina ſapientia eſt, in duplici vitæ noſtræ rectificandæ propoſito medio, bono ſcil. ac malo, vita ac morte, ut alibi divinus habet ſermo(a). Qvorū qvidē nō hoc tantū, ſed & illud, omni tū præceptivæ, tū permisſivæ legi loco ſanctionis eſt, vel expreſsè eidē appoſitâ vel tacitè ſubintellectâ conditione: feceris hoc, & bene tibi erit, aut nō ita malè; ſin minus feceris, malè aut nō ita benè: exemplū clarū eſt geminatæ ejusmodi ſanctionis, qvā præceptis Decalogi Deus ipſe annectit. Et qvod in ſpecie qvidē permisſiones attinet legitimas, ſi præfinitionē boni reſpicias, non temerè reperietur aliqva, qvæ non bonum aliqvod, habeat ſibi qvoqve propoſitum, ſive proprium id ſit ſive ex parte alienum; ipſa etiam, qvæ ex genere permisſionum minime omnium talis videri poſſet, tolerantia nempe, puta vel ſaltem bonum id intendit, qvod eſt minoris mali. atqve ita qvidem v.g. permisſio paternæ caſtigationis, bonum, tum patris, tum filii præfixum habet;

(a) Sir. 15, 18.

varia

varia bonorum, citra injuriam alterius cuipiam permissa acqvisitio, laudem industriæ, & multiplicem commoditatem acqvirenti propriam, itemqve familiæ ejus ac Reipub. item proximi cujusqve indigentæ destinatam habet. Tolerantia modicæ circumventionis, aliorumq; minus laudabilium actuum, sæpè conducit bono publico, dum accommodante sese lege ad ingenia hominum, industriam eorum facientem ad utilitatem, & privatam, & publicam, nō vult intervertere nimiâ severitate coercendi. Aliæ permissiones habebunt proposita bona alia, qvæ qvisqve dum ad singulas attendit, facilè potest animadvertere. Imò si paulò accuratius rem qvis intuetur, ulteriori sanctione, imò ipsâ vi præceptivâ, omnis legalis permissio munita est. Ut id in naturalibus ostendam, de civilibus enim res videtur manifestior; scilicet naturalis agendi permissio, necesse est, ut vel ad bonum, vel ad malum, vel ad id qvod neutrum, h. e. neqve bonum neqve malum propriè sit, bene malè vel neutro modo agendi permissio sit. Naturam, qvæ fons boni & æqvi est, malè, aut ad malum, puta qvatenus injustè, & injustum id simul est, ut agatur, permittere, absonum est; permissio igitur boni, & summ ùm ejus qvod neutrum est, tantùm à naturâ, aut naturali lege expectanda est. Boni v. g. ut sibi vel proximo boni qvicqvam benè justèqve qvis procuret, eruditionem, forte, honorem, facultates, aut simile qvid, modò non improbatô. Jam verò notum est, eadem hæc, qvæ ita fatemur nobis permitti, nos qvoq; simul juberi ipsâmet expurgatâ naturæ lege, veluti proximū diligere sicut nos ipsos, eiq; pro omni possibili nostro benefacere (a); imò vel nostri causa ire pigri ad formicam, ac sedulitatem ab ea discere eandemqve imitari jubemur (b). Qvin & vas nostrum, in cujus munditie Deo beneplacitum est, servare mundum (c), imò ornare atq; expurgare, qvò aptius sit in usum Domini. Ex qvibus igitur patere putem fieri, uti qvicqvid sit hujus generis permissionis, id simul & jussionis, si non rigidæ saltem mitioris alicujus, qvæ svasio est, esse. Idem fortassis in eadem χώρᾳ seu gradu de neutris seu qvæ indifferentis arbitrii natura nobis reliqvit, ut reliqvisse videtur, non licet dicere. At evictum tamen producto argumento interea est, qvædam naturâ permissa, etiam jussa esse. Sed ponendum est pedum & horsum ulterius. Certum est, qvicqvid

(a) Matth. 23, 25.
(b) Prov. 6, 6.
(c) 2. Cor. 7. 1.

qvid aliqvo jure permissum nobis est agere, id eodem jure simul vetitum esse aliis, ne qvatenus permissum est, ab iis impediatur, aut qvid contra fiat; & hoc ideô, ne permissio illa frustrationi sit exposita. Jam verò non bonum tantum & æqvum sed & indifferens imò qvod à bono declinans est, & toleratum propriè dicitur, esto qvod jure naturæ permissum sit; utiqve & talem qvam dixi, simul prohibitionem habebit, præceptivumqve munimen. Res autem & probatio propositionis hujus per exempla satis est luculenta, qvando v. g. eô ipsô; qvod permissum mihi est in meo, aut alieno fodere, ambulare in publico, lucrari per commercium etiam cum emptorum aliqvo damno; simul vetiti intelliguntur omnes alii, ne me in hisce peragendis impediant, constricti etiam injuriarum coërcitione de jure civili *(a)*. Imò culpæ, ac aliqvali commissæ injuriæ infamiâ, jure naturali: qvin vel peculiare videtur tolerantiæ legitimæ esse, ut in hoc demum vetante præcepto sese qvasi primùm fundet, siqvidem accuratè, etiam qvoad naturale jus, rem velis inspicere; qvod nimirùm naturæ hic non videatur affingendum, ac si etiam malum formaliter ipsa permittat, sed qvidqvid hic fortè permissionis speciem habet, id in supposita prohibitione esse situm, ne malum, qvod cum periculo majoris mali evitari non potest, impediatur, sed toleretur.

(a) l. 13. §. 7. l. 24. de injur. add. l. 8. §. 5. in f. si serv. vindic.

XXI. Dum hæc considero, admiratio subit divini operis, qvod in coordinatione virtutum legalium sese exhibet, ita comparatâ, ut ferè tantummodò intersit, qvânam præmissâ, caput lex ostendat, de cætero reliqvarum omnium tanqvam corpus aliqvod secum trahens attinensqve. De essentiali formali, seu eâ, qvæ constitutiva bonæ habitudinis legi virtus est, (qvâ de sub initium hujus capitis dictum est), facile patet, eam omni legi reqviri, nisi citra essentiam suam qvicqvam rerum consistere posse fingas; dictum qvoq; est paulò ante, qvomodo ostensiva, & formativa legis virtutes, perpetuæ sint connexionis. Si sui-tributiva prodit lex, h. e. qvæ hoc aliqvid suum alicui determinatum adsignat bonum malumve (addat qvi velit, & mediû) eô ipsô, qvod ipsa id attribuit, simul ab homine idipsum tribuendum qvoqve esse, insinuat; factâ eò usqve impulsione in mentem hominis, ut non possit non & illud, & hoc

simul

ſimul concipere; veluti ſi cui mentio fiat taliū: *Summus ſuper omnia honor eſto DEO, ſecundus magiſtratui, tertius parenti,* & ita porrò, is colliget *E. talis honor, his* ſingulis ab iis, qvibus Deus, magiſtratus, parens ſunt, *tribuendus eſt*. Item ubi qvis audit: hæ facultates hæc corpora, iſthæc jura lege pertinent ad illum, aut illum, ſubſtituet is ſtatim, qvisqvis eſt ſanâ utens mente, ergò relinqvenda ipſi ſunt illa tribuendave à me & aliis. Atqve ſic vice verſa ſi qva lex aſſerat, talia his illis tribuenda eſſe; eadem ſimul infert, iſthæc illis ſua aut competentia eſſe. Deinde ſi legem porrò videas apparere imperantem, qva v.g. filius jubeatur honorare patrem; uti tale qvid fiat, omninò neceſſum eſt permiſſum id qvoq; eſſe, qvia aliàs fruſtranea eſſet iſthæc juſſio; ſimul & contrarium vetitum per ſe intelligitur, videlicet parentes dehoneſtare, aut honorare omittere. Ita prohibitio homicidii imperium infert homini, qvantum ad ſe, relinqvendi homini vitam, permiſſionem qvoqve abſtinendi ab homicidio. Permiſſio deniqve v. g. teſtamentum faciendi, imperium habet relinqvendæ cuiqve ejus libertatis, prohibitionemqve obſiſtendi. Licebitqve hoc modô, ex ſingulis his retrò, usqve præcedentes, ſui ſcil. deſignativam, & oſtenſivam progredi, & vice verſa ab illis ad haſce; qvin per punitionem, ſeu ipſam ſanctionem, legem ſæpius emergere ſupra qvoqve fuit monitum, ut facit illa primæva Dei: qvicunqve ſangvinem hominis effuderit, ejus effundetur ſangvis: & iterum hinc ſimilis ad omnes virtutes legales aſcenſus, & vice verſa abs harum omnium capitibus ad ejusmodi ſanctionem deſcenſus, obſervaré erit. Unde id porrò monitum velim, minus videri abſonum, ſi ut etiam ſolet fieri, *præcepta* appellentur omnes communiter leges, imperantes, prohibentes, permittentes, punientes, tribuentes; utpote qvæ omnes, vel primâ fronte præceptum propriè dictum ſint, vel præceptum tandem ſubſtratum habeant; imò ſanctione tandem muniantur omnes, tali, qvæ præceptis immediatè ſolet ſubſterni. Qvo pertinere videtur, qvando ita generaliter JCti legem commune præceptum; juris præcepta hæc eſſe dicunt, honeſtè vivere, neminem lædere &c. (*a*). Qvando vulgò jus univerſum per præcepta legum deſignamus. Et ſumitur vox præcepti, ni fal-

(*a*) *l. 1. de ll. l. 10. de J. & J.*

fallor tripliciter, primò generaliter pro omni lege, deinde specialissimè pro jussu faciendi. Et deniqve tertiò specialiter, ita uti complectatur duas tantum species legis, prohibitionem videl. & imperium: qvomodo decem præcepta decalogi dicimus, qvorum pars aliqva imperans, major autem & perhibitiva est.

XXII. Libet comparationem adhuc instituere inter tres illas legum sive species, sive virtutes, sive actus dicas, *imperare* videl. *vetare ac permittere*: Primùm duo illa: *imperare* & *vetare*, qvatenus circa idem modò versantur objectum, differunt inter sese ut contraria, dum impossibile est, idem eodem modo &c. imperatum simul, ac vetitum, esse, ita ut nihilominus utrinqve id effectu legitimum sit, aut ut legitimum, expediri qveat. Unde etiam, qvia qvod affirmatio, ac negatio in componendis, ac separandis enunciatô rebus, in conjungendo cū subjecto prædicato, & in distrahendo isthoc ab eo est, id imperium & prohibitio in iisdem actionibus, seu factis ponendis, ac sublevandis videntur esse: forsan non dubitares affirmativam exinde illud, hanc negativam facti, vel faciendi præceptionem dicere. Verùm utut hoc modo illa differant inter sese; conspirant tamen & vice versa notabiliter in aliis qvibusdam: per qvæ tamen rursus à permissione multum æqvè distingvuntur: nempè primò, cum aliàs qvidem accidit, ut sub universo genere Actionis, seu facti, in dispositionem juris incidentis, contineatur (ut cap. seq. ostendetur,) & ipsa positio seu perpetratio facti, seu factio in specie dicta; & ejus contrarium omissio seu non-factio: hisce igitur actis dico, imperare, & vetare, id evenit, ut isthæc perpetuò inter sese commutent, eô effectu, ut reapse idem semper fieri procudant, sive utrâq; specie expresse positam legem reperias, sive alterutrâ; ubi qvidem, & hoc casu sese tamen mutuò semper gignunt, hoc modô: uti si e. g. *jubeatur fieri* Dei cultus, honoratio parentum; simul *vetita* intelligatur horum *omissio*: si *vetetur fieri* homicidium, pariter *jussum* accipiatur hoc *omitti*. Et generaliter ita qvoqve unusqvisqve legis usurpator una virtute in specie appulsus, alteram sibimet pariter applicat; veluti cum jussus est, certum qvid facere, continuò animum advertens colliget, id mihi vetitū est omittere; & cōtra cum qvis vetitꝰ est qvid omittere, impe-

imperium id faciendi sibi datum esse sentiet. Et ex hac qvidem effectuali conjunctione & conseqventia, natam fortè esse, aut saltem ratione non destitui existimarem illam communem legum denominationem, qvâ verbo jussus, præcepti, aut simili appellitentur; dum etiam æqvè dicamur juberi, aut jussi esse aliqvid omittere sive non facere, qvàm facere; æqvè dicatur præcipere legislator, qvæ vult non fieri, omittive, qvàm qvæ fieri. Cæterum non est eadem planè permissionis ratio ad hæc, nec eadem ejusdem vulgo pariter freqvens communis denominatio. Et de denominatione, qvod vulgo non sit communiter eadem hujus, qvæ illorum, res in propatulo qvidem est, etenim parum audias communiter, qvæ permissa sunt, jussa dici qvoq; præceptave; nec permittere pro jubere, aut præcipere sumi. Illud qvoq; de dissimilitudine rationis nõ difficile est perspectu, videnti permissionem cum imperio compositam, non in actum oppositum ferri, sed in ipsum proximè imperio subjectum, veluti si imperatum est, honorare parentem, idem honorare permissum qvoqve est, non ejus omissio, sicut hæc vetita est. Ad prohibitionem autem relata eadem permissio, ad contrarium qvidem decurrit, cæterum non aliter id fieri videtur; qvàm transitu factô per illud qvod in opposito constitutum est imperium, v. g. si vetita reperiretur omissio cædis homicidæ, seqveretur jussam esse perpetrationem seu executionem cædis homicidæ, & per hoc etiam, conseqveretur eandem permissam esse; sed expedit fortè magis, hæc linqvere, qvàm scrutari ulterius. Alterum verò, qvod utriqve imperativo, ac prohibitivo legis generi commune est, differens verò idipsum facit à permissivo; qvod qvidem multoperè notandum existimem, situm est in ipsâ impressione, seu modo impressionis, qvam lex, actionis recti formatrix facit in ipsum principium rectificandæ actionis radicale, *causam matricem justi* diceres, hominem videl. seu *humanam arbitrariam agendi potentiam*. *Ligat* namqve ac constringit hanc, *necessitatemq; agendi* ei indit (summo agendi vocem generalissimè hîc) utraqve tam imperans, qvàm prohibens lex, legisqve imperativa, ac prohibitiva virtus; contra *laxat* illam qvasi *potestatemq; agendi* eidem indit legalis permissio. Id qvod mox paulò altius erit repetendum: nunc ut demonstratum

tum hîc liceat relinqvere: Virtutem legis considerabilem esse, unô modô qvâ constitutionem, ac ipsam ejus bonam formalem habitudinem, alterô qvâ vim ejusdem, qvoad operationem ad extra, inferat: Et hoc intuitu eam esse tum ostensivam tum conformativam justi, & rursus vel sui cuiqve assignativam vel actionis conformativam; hanc autem rursus in duo summa genera distingvi, in permissivam, videl. ac præceptivam; qvæ ipsæ porrò complectantur sub sese hujus generis reliqvas. Actum est de legis virtute, nunc

(a) c. 2. th. pr. modus legis, conformandæ actionis, à qvo supra (a) digressi sumus, perseqvendus est ulterius.

CAPUT IV.

De modo legis conformandarum actionum per potestatem atq; obligationem, hominis potentiæ impressas.

I. Sub genere actionis continentur & facere & non facere.

II. Item, qvæ interna animi & qvæ complexa multarum specierum est actio.

III. Qvid sit actio?

IV. Actio legitima seu justa est, qvæ unicuiq;, qvod suum est, tribuit. Tribuere cuiq; suum fit faciendo & non faciendo, sive præstando & non lædendo.

V. Lex pro conformanda actione justa animum hominis primum plectit:

VI. Puta intellectum simul ac voluntatem, & hinc factâ applicatione in hominem totum ejusq; potentiam impressionem facit.

VII. Lex laxando hominis potentiam eidem potestatem, constringendo Obligationem imprimit, primos effectus legis & vicissim causas proximas omnis legitimæ actionis.

I. De

I.

DE actione humana, à lege vel jure legitimanda aut justificanda, ut rectius de ipso justificationis modo constare qveat, tria liceat prænotare breviter. 1. Qvàm latè accipiatur vox actionis: 2. in qvo essentia ejus ac specifica variatio consistat: & 3. qvomodo se habeat actio, qvà legitima justave est. Et inde qvidem ad fontem erit redeundum, ubi à lege legalis formę impressionem ipsa nanciscitur, & videndum per qvas legis virtutes & qvomodo illa fiat, fonte ipsô certô modô affectô. 1. Actio sicuti Philosophis proximè cadit sub genus multùm universalissimum, entium nimirum accidentalium, ita humanà qvoq; actio seu factum, agere seu facere hominis (hæc enim pro synonymis habeas) multum latissimè accipitur. Nempe differt ea qvidem à cęteris irrationabilium substantiarum actibus, qvod hæc sit, vel rationalis, vel è rationi subjectâ hominis potentiâ profluens, de reliqvo a.tum factionem in specie dictam, tum omissionem seu non factum complectitur. De priori JCti nostri adstruunt, *facere omnem faciendi causam complecti, dare scil. facere* (sumitur vox hic specificè) *solvere, numerare, judicare, ambulare(a), reddere(b) stipulari(c), sive re sive verbis (d) qvid agatur sive per se sive per alium (e).* De omissione seu non facto, itidem JCtorum est, *qvi non facit qvod facere debet: videtur facere adversus ea (f)* itemqve *pati* iidem huc referunt (g) qvod est sufferre ac non resistere agenti alteri. Negativos forte aut privativos posterioris generis actus appellaret, qvi priores positivos aut affirmativos vocandos putaret. Sed & adstipulatur usus vulgaris; omittere, non facere, pati & si qvid simile est, qvod in hominis qvali arbitraria potentia se fundat indeqve sistitur, sub genere actionis ac τὸ facere contineri, qvod qvidem maximè elucet, ubi talia cum adjectione justi injustive, plurimum vulgo proferuntur, veluti ubi justè dicimur egisse, qvando abstinuimus ab alieno, non læsimus qvenqvam, non impedimento fuimus alteri, h. e. passi sumus, ut in nostro, qvæ ei jus esset agere, ageret. Similiter injustè dicimus agere, aut facere illum, qvi parentem, magistratum, Deum non honorat, qvi qvod promisit non solvit, qvi patitur atrocem suis fieri

(a) l. 218. de V. S.
(b) l. 175. eod.
(c) l. 19. eod.
(d) d. l.
(e) per c. 68. & 72. §. 9. de R. J. in 6. l. 169. 149. 152. §. 1. & 180. de R. J.
(f) l. 121. de R. J. l. 4. qvæ in fraud.
(g) l. 28. pr. de V. S.

fieri injuriam, nec ubi poteſt ſuccurrit. Imò etiam hinc eſt, qvod peccata, qvæ actus à lege digresſivos definimus, in omisſionis ac commisſionis peccata vulgò diſtingvantur. Obiter hîc de eo qvod non facere aut omittere eſt notari poſſet, duplici reſpectu id conſiderari poſſe, unô qvo tantum abſtinentię eſt, alterô, qvô ita abſtinẽtiæ eſt, ut ſimul alterius factum non impediat; & priori caſu nomen generis videri potius ſpecificè ei retinendum, facti ſcil. poſteriori verò magis propriè id dicendum fore pati: atq; hoc ipſum pati aliqvando doloris ſimul malive proprii receptivum eſſe, aliqvando non; ſed pergendum.

II. Altera deinde qvædam actionis latitudo acceptionis eſt, qvâ non tantum denotat actionem per membra aliave inſtrumenta corporea ad extra procedentem & apparentem, verùm etiam eã, qvæ in ipſo corde ac animo interius perficitur; qvomodo caput omnis legitimæ actionis ab ipſo Deo in dilectione Dei & proximi eôqve in ipſo corde, cujus hæc actio eſt, radicatur *(a)*: Ipſe Salvator primævus naturalis juris conditor, ita in tempore aliqvam ejus legem explicat, ut concupiſcere alienæ uxoris conſvetudinem adulterari adpellet *(b)*: Et gentium Apoſtolus ex lege ſeſe diſcere fatetur, concupiſcere peccare eſſe. *(c)* Deniqve tertio continebitur ſub actionis nomine, nõ tantũ ſimplicior qvævis factitatio, veluti propulſio ingruentis alicujus ictus, verbi cujusdam elocutio, manus levatio; ſed etiam ex multis ſimplicibus compoſita & complexa actio, cujusmodi ſunt, v. gr. judicii exercitium, regnatio, belli geſtio, poſſesſionum adprehenſio, bonorum adqviſitio: qvæ & ejusmodi alia ſingula ex multis particularibus actibus conſtare, & tamen tanqvàm unum aliqvem communiter accipi ſolere, docet vel levis ad rem attentio.

(a) Deut. 6.5. Levit. 19. 18. Matth. 22. v. 37. & ſeqq.
(b) Matt 5.28
(c) Rõ. 7.7. ex c. 20.17. Exod. & c. 5. 21. Deut.

III. Prima porrò eſſentia actionis in qvo propriè conſiſtat, non ita facilè liqvet; atqve cognitum eſt, variationem ſpecierum ejus ex circumſtantiis fieri, docente id maximâ, cùm Philoſophorum, qvæ eſt, circumſtantias variare actionum ſpeciem, tum JCtorum, qvibus ſolenne eſt dicere: circumſtantias variare jus, puta humanorum negotiorum ſive actionum. Exemplum eſto: *Dare alicui:* ſi addideris *plagas*, verberatio ſive adflictio erit, *homini innocenti extraneo*, & erit injuria, *filio immorigero*, & erit paterna ac licita caſti-

castigatio: Dare deinde pecuniam liberaliter, *donatio* est, pro recipienda re, & est *emptio*, pro opera præstanda & erit *locatio & conductio* sive contractus innominatus, Do ut facias, dabitur porrò mutuò, & est *mutuatio*, res servanda, ac *depositum* seu depositio erit. Simili modo, si ponatur qvem *occidere bestiam*, & fortè mactatio est, si *hominem qvemvis* homicidium, *parentem*, parricidium, si à *magistratu* occidatur homo *nocens* fortè meritum est supplicium, si *innocens*, species est crudelitatis aut tyrannidis. Jam verò, qvod depositum, mutuum, locatio, emptio, donatio, injuriosa verberatio, castigatio: item qvod tyrannis, supplicii sumptio à nocente, parricidium, homicidium, bruti interemptio, non idem jus habeant aut æqvalem juris dispositionem justiqve qvalitatem (qvod ipsum qvoqve specificæ variationis indicium est) præ se ferant, nemo non videt manifestissimè: collectio similis potest fieri per species innumeras. Et constat qvidem ex his differentiam adeoqve ipsum essentiale specificum actionū in circumstantiis harumve varietate positum esse. Fortè qvis conjiceret & genericum esse in iis eorumve generibus consistere, dum nulla unqvam detur humana actio, si non sit homo qvi agat, pars sui aut instrumentum per qvod ipse agat, aliqvid, in qvod, finis sive aliqvid ob qvod, locus, tempus in qvibus agat; Attamen qvia non facilè licet concipere, qvomodo persona agens, instrumentum, subjectum, finis, locus, tempus & reliqva, vel actio vel propriè dicendo pars actionis sint, videtur, omnino aliud aliqvid esse in qvo ipsum qvasi primum materiale actionis situm sit, id qvod ipsam aliqvam rationem motivam dicerē, qvia sc. in omni qvod actio dicitur, ut commune qvid licebit observare, motitationem qvandam è seu juxta potentiam agentis profluentem esse, qvam tamen in genere conceptam vix videmur circumstantiam actionis appellare posse. Unde forsitan & *actionem* qvis definiret: motitationem seu *motum potentiæ*; Circumstantias autem, cum tamen neqve sine his vel existere possit vel decurrere ulla aliqva actio, instar fulcri ac sustentaculi, imò pro talibus, qvæ ipsam actionis essentiam penitissimè adficiant, haberet, ac definitioni adderet, *circumstantiis investitum*.

IV. Tertiò, Actio legitima ac justa, ex eo omnino dicitur, qvod

qvod à lege vel juxta legem formata ſit, ſicuti opus regulare, qvod ad regulam & artificioſum qvod juxta artem effectum conformatumqve eſt. Eſt autem deinde legitimum juſtumve ex genere recti, ut ſupra cap. 1. eſt monitum, rectum autem eſt, ut ibidem qvoqve dictum, qvod ad finem deſtinatum rectà, æqvaliter ac citra flexum protendit, talis igitur actio juſta qvoqve erit. Cum autem porrò finem legitimæ deſtinationis id eſſe monſtratum eſt, (a) qvod cuiqve ſuum, tum qvod actu & præſenter, tum qvod potentiâ ac futurum eſt tale; æqvabilitas autem actionis, qva ad finem protendit, in illo eſt, qvod eâ qvam lex præſcribit dexteritate ac induſtriâ & præterea citra ullius offenſionem actitetur, ſeqvitur igitur duo hæc eſſe actionis legitimæ κριτήρια: ad ſuum cuiqve impertiendum tendere, & dextrè qvidem ac citra cujusqvam offenſionem ſeu læſionem tendere; qvod ipſum ad ſuum ita tendere actionis, qvia idipſum, ni fallor, eſt, qvod ſuum cuiqve tribuere communiter dicitur, porrò ſuum cuiqve tribuere hominis, & agere juſtè, unum prorſus idemqve eſſe dixeris, ac æqvè latè patere: ut & contra injuſta agere & ſuum cuiqvam non tribuere. Qvod etiam inde ulterius videtur colligere eſſe: qvod hominis ſuum cuiqve tribuere, pro effectu adæqvato videatur habere, ſuum qvodlibet per hominem, ſive qvantum per hominem ſtare fierive poteſt, obtinere. Obtinere autem qvisqve ſuum videbitur per agere & non agere itemq; pati alterius, nempe putabit qvis ſuum ſeſe obtinere, qvantum ad homines alios, primò ſi ſalvum & illæſum à qvovis teneat, ſibi à lege actu adpropriatum; deinde, ſi non obſiſtatur ſibi à qvoqvam, qvo minus qvod lege ſibi conceſſum deſtinatumqve eſt, ſive propriâ ſive alienâ operâ accipiendum, ab alio habeat. Et deniqve ſi tale à qvocunq;, qvomodo &c. lege ordinatum eſt, ipſum accipiat & conſeqvatur. Illa ſunt τοῦ non agere patiqve alterius, verbo non lædere: hoc τοῦ agere ſeu adfirmativè tribuere. Res addita perſonæ mentione, per qvam fit, ut alter ſuum hiſce modis obtineat, ita manifeſta qvoqve porrò fit. Nempe ut qvantum in ſe eſt, faciat qvis, ut alter ſuum obtineat, neceſſe habebit primitùs pati, ut ſuum adpropriatum is habeat ſalvum, nil qvicqvam illius ſui-uſurpationi, aut acqviſitioni aut collationi per alium ei jure deſtinatæ facien-

(a) c. 3.

faciendæve adversum agendo. Deinde verò & necesse habebis, ut eidem præstanda à se præstet, faciendo uti qvid., qvale, qvantum, ubi, qvando &c. legitimum est, operâ, qvantâ debet suâ, is accipiat. Prior sui obtentio, per speciem iterum sui tributionis non facti; posterior facti est. Neqve movere debet, qvod alicubi (a) hæc distingvantur inter sese, suum cuiqve tribuere scil. & (qvod non agere est) neminem lædere; qvod hoc solummodo fiat ad majorem distinctionem actuum, & pro more illo, qvo nomen generis alteri specierum, per defectum nomenclaturæ solet relinqvi, namqve & alias, ubi qvidem generaliter JCti legum ac justitiæ opus exprimere nituntur, id per unicum suum cuiqve tribuere insinuant; qvale judicium etiam de tertio juris principio seu præcepto, qvod appellant, & honestè vivere est, faciendum, qvod nempe & honestè, h. e. secundùm virtutem omnem, omnemqve naturalem legem justitiamqve vivere, nihil aliud videatur esse, qvàm aliis, qvod bonum æqvum justumve est tribuere, famam scil. facultates & reliqva. Prout hoc vel ex contrario manifestum qvoqve potest esse, cum inhonestè vivere alicujus, nihil aliud videatur esse, qvàm se simul & alios contra puritatem naturalis justitiæ lædere. Scilicet & qvi sese ipsum infamiâ, indigentiâ aliisqve incommodis adversus naturæ destinationem onerat, suum cuiqve, putà saltem sibi, competens non tribuit; ne dicam, cum hâc ipsa sui ipsius negligentiâ alicujus plurimùm & aliorum læsionem & incommoda conjuncta esse, qvos nimirum sese honestè ac solerter sibi gerendo, honore atqve facultatibus juvare potuisset, imò debuisset, qvin qvod inhonestè vivere est secundùm vitia vivere, parum autem vitiorum sit, secundum qvæ si vivitur, non simul alter lædatur, & per conseqvens eidem non qvod suum est tribuatur.

(a) l. 10. de J. & J. §. 3. J. eod.

Hisce jam præmissis, qvando jus secundùm qvasdam suas virtutes actusve, in conformandis hominum actionibus occupari ponimus, unà intelligere hactenus licet, legalem istam actionum conformationem accipiendam esse, qvatenus in facto simul & non facto seu omissione tanqvam speciebus, sub universo actionum humanarum genere contentis occupetur: item qvatenus motivam qvandam rationem sive actionem probè, ut ita dicam, circumstan-

 tia-

ciatam procudat, vel, (ut idem aliis exprimam verbis) qvatenus actionem cum circumstantiis, aut has illi, benè & congruenter ad finem qvi cuiqve suum est coordinet: qvatenus deniqve actionem legitimam reddat justamve, itemqve sui cuiqve tributivam edat, aut edere faciat.

V. Verum enim verò, utut in confessis hæc ponantur, occupari nimirum legem in conformandis actionibus, & occupari qvidem modis dictis aliisqve similibus: De ipso tamen & objecto & modo & proximo effectu legalis impressionis, unde actio justa profluat, nondum satis liqvere putem, neqve enim jus sed hominem qvarumvis actionum suarum, etiam justarum, patratorem ac principium ortus adspectare licet; & est utiqve ipse homo, qvi cernitur legitimam edere actionem non lex, de qva vel vix etiam est, qvod concipere qveas, qvomodò immediatè actionem ipsam contingat efformetqve. Unde igitur statim id seqvitur, qvod si tamen lex ad actuum humanorum figurationem faciat, ut verè facit, id fieri oportere mediante qvâdam impressione, qvam in ipsum faciat hominem, qvâve hominem ad legitimè agendum afficiat confiniatqve. Sed posito hoc, iterum qværere licet, an totus homo sit, qvi tangatur corregaturqve à lege, an verò aliqva ejus pars, & si pars, an corpus vel animus, & an hic totus vel qvædam ejus pars aut potentia; sin verò totus à qva parte prima impressio justi-activa à lege fiat? Videri posset id lege agi ac dirigi, qvod corporeis etiam oculis rectè agere videmus, corpus videlicet ejusqve membra, manus, pedes, lingvam & reliqva: nisi notissimum in vulgus esset, animum esse, qvi corpus moveat ejusqve organa activa faciat, & è qvo illa & indifferentia & rectitudo actionum radicem trahat. Docente id qvotidiana vitæ & mortis hominis experientiâ, dum donec anima homini adest vitaqve, variè is valeat agere, hâc autem superveniente, & factâ jam separatione animi à corpore, omnis per corporea organa humana actio desinat. Unde adeò, potius qvam corpus, animus erit, qvi à lege plectatur. Et qvidem porrò si aliqva animi pars seu vis est, qvæ non sit audiens enunciati legitimi, nec homini qvà homini dati, cujusmodi est vis vegetatrix, illa rursus videri debet eximenda ac separanda esse ab sillà potentia animi,

qvâ ille particeps humanitatis sive rationis, ut alicubi distingvit Philosophus (a), legisqve homini datæ auscultans est: qvæ duplex existit, intelligens nimirum seu recti ac non recti dijudicans, & deinde appetens. Et est forsassis verissimum, duplicem hanc animi potentiam esse, cui vi suâ lex sese applicat, diversâ licet, si utriusq; potentiæ naturam pauló penitius attendas; & cum aliqvo adhuc per unam potentiam ad alteram transitu, ita tamen, ut ille, qvalis transitus non tollat immediatam qvandam legis in utramqve impressionem. Scilicet alia est tum aptitudo recipiendi, tum vis per conceptum operandi intellectivæ mentis, & ipsius ex sese rationalis partis animæ, rationisve ipsius; alia appetitionis (qvas qvidem partes utiqve distinctas in animo nostro, modo qvodam esse ex eo qvod sibi parere & adversari deprehendantur, colligit loc. cit. Aristot.) nam intellectiva ac rationalis, species rerum, & in his etiam legis ac legitimi ad similitudinem sensuum itemqve speculi, & si qvid aliud paris naturæ est, primò recipit sistitqve, suumqve porrò opus in discursu ac dijudicatione justi injustiqve (de his scil. nunc agimus) absolvit; Ac appetitio, si qvà easdem species recipit, id ministerio ac mediante intellectu faciet, ignoti enim, ut in proverbio est, nulla est cupido, eritq; penes hanc deinde concepti executio, seu in actum productio.

(a) lib. 1. Eth. c. ult.

VI. Hinc igitur, cum à lege facta in animum impressio, & ea qvidem ad effectum rectè operandi, non possit aliter vel fieri vel conducere, qvàm utriusqve potentiæ natura ferat, & qvatenus utraqve suo modo operari valeat; ad illam utiqve diversitatem applicare sese habet virtutibus suis lex: ostensivâ vi sese exhibendo ac ingerendo in intellectum, correctivâ autem sive qvadam suâ qvasi actuali conformativâ executorem voluntatem seu adpetitionem influendo. Et hæc ita qvidem, ut, si respicias, in qvonam ex his singulæ illæ virtutum se primò figunt, (habitis, aliqvo modo pro separatis intellectu ac voluntate) voluntas præ intellectu ea pars animi statui posset, qvam lex ita impetit, ut eam ad justitiam actionum qvasi confingat efformetq;; non obstante, qvod per intellectû ac per ostensionem intellectui factam ad voluntatem hîc transitum fieri qvendam opus sit; utpote cum non medium, sed ipsum

qvod operans afficere decurrit, pro objecto ejus operationis propriè haberi soleat, v. gr. verberationi, aut actui verberandi, itemq; fabrefactioni aut simili afficiendum conformandumve objectum non aër intermedius habetur, utcunqve ille etiam in transitu adficiatur, ac per illum tum conspectus, tum executivi actus penetratio fiat, sed verbero, lignum statuarium, aliudve. Attamen neo vicissim hîc negligendam putem arctissimam conjunctionem imò concursum in rectificandis, ad receptam à lege impressionem, actionibus: qvippe rarissimè accidit, qvod sola adpetitio in non-prævisum, à mente, rectum, feratur: sanè ut plurimum deliberatò per media ad finem appetitio procedit, ubi licet in consultatione voluntas ultimum est concludens ad actum, syllogismum practicum, ut loqvitur alicubi Aristoteles (a) operatione sæpius consummans, ab ipso tamen intellectu plurimum ante agitari & ad conclusum etiam ultimum solet præmoveri: imò verò vel ad minimum primum est recipiens legalis virtutis intellectus, & qvidem tale recipiens, à qvo si non reciperetur, nec transmitteretur, operationem illa suam in appetitione exercere non posset: unde adeo videtur seqvi & intellectum omninò ejus impressionis participare, eoqve utramqve animi potentiam, si non unum, aut uniusmodi legalis acti-formatricis virtutis objectum sint, saltem duo esse conjunctissimæ participationis atqve communicationis ejusdem. Relinqvens suum cuiqve judicium, malim integrum hominem, qvàm solum humanum animum, pro eo accipere, in qvod lex virtute isthac suâ influat proqve dicto effectu operetur: imò uti, unde his sum immersus, emergam, existimem, hominem qvàm latè ejus ex animo per corpus aliaqve extranea organa potentia pateat, eundem esse, vel etiam, si qvis ita mallet, totam humanam arbitrariam potentiam eam esse, qvæ vim legis actionum informatricem agnoscat, recipiat, participet: ita tamen ut impressionis illius virtualis commotrix applicatio animo, sive è parte animi fiat. Nempe animus est, in qvo primò nos lege tangi persentiscimus, idemqve est, è qvo juxta legis pulsum motuatio actionis, ut è principio proficiscitur, veruntamen hoc ita, ut eadem vis legitimæ impressionis ad actum legitimum, per omnem hominis potentiam

(a) lib. 6. Eth.


tiam exferatur, re non fecus fe habente (fiqvidem fimili libeat uti) ac ubi in organo, horologio five automato alio, benè aliàs qvoad formam fuam intrinfecam difpofito artifex per claviculas aut librile jufti ponderis, in prima fiftularum labra, primamve rotulam appenfivumve uncinulum datâ impreffione, univerfam machinam, juxta qvam potentia ejus fert, ad edendam harmoniæ pulchritudinem, ac juftam horarum defignationem, adaptat compellitqve. Conftat de objecto, qvod primò vi fuâ actus formativâ lex incurrit, videndum ulterius de modo conformationis, & fimul de formato effectu legis proximo in illo objecto conftabit.

VII. Si igitur *homo* qvatenus *potentiâ agendi* præditus eft, illud primum eft objectum, in qvod fua actus formatrice virtute lex agit proximè, modus ille ad tria refpiciet, actionem, potentiam & hominem adeoqve triplici illo refpectu videtur confiderari poffe. Legem, qvatenus, ut circa *actionem* rectificandam occupata, confideratur, duplici fefe virtute exferere, præceptione videlicet & permiffione, jam capite præcedente dictum eft, quarum qvidem in ipfa actione communis effectus non alius eft qvàm juftitia actionis, fpecialis verò, permiffam eam ac præceptam effe. Qvatenus verò in *potentiam* hominis jus agere confideres, cum illa, ut fupra cap. 2. dictum, lativaga fit & ex fefe indefiniti delectus, facilè colliges, legis officium fore, hanc ad finem legitimum conterminare ac definire, unde iterum generalis in ea juris effectus erit conterminatum feu definitum effe. fi autem porrò qværas, an & qvæ ratio differentiæ iftius definitionis fit, facilè apparet, fi ponatur, permittendum omninò, imò neceffarium effe, permitti, ut qvædam, qvæ potentiæ humanæ funt, agantur, nec tamen omnia qvæ ejusdem funt, agenda effe; neceffe planè fore, potentiam hominis & laxatam usqveqvo debere effe & adftrictam; & qvia hæc effecta affectionesqve potentiæ, alii alicui qvàm legi adfcribi neqveant, legi laxanti & adftringenti eadem fore tribuenda; laxanti qvatenus qvædam qvæ potentiæ funt permittuntur, aftringenti, dum partim vetando cohibet illa potentiâ, partim præcipiendo in arctû trahit propellitqve: hâc qvidem utrâqve fpecie legis adftrictioni rectè adfcriptâ, dum & ille qvi ita qvid cohibet, ne ulterius in laxum pof-

 fit

sit abire, & qvi ad certam partem ligando trahit attrahitqve rectè videtur dici id in qvod ita operatur adstringere. Ex qvibus adeò postremò liqvere autumem; qvod si legem, sive ut in potentiam sive ut in *hominem* agere potentem, legitimæ actionis configurandæ ergò præagentem, consideres, eandem proximum in homine effectum, virtutisqve suæ actus conformativæ primum characterem duplicem potentiæ hominis infigere: eam nimirum qvalitatem, qva usqve qvo laxata ac libera ipsa sit, homoq; liberè ac licite agere possit; & deinde illam, qvâ attrictus is est, tum ne possit agere, tum ut necessario aliqvid eorum qvæ potentiæ ejus sunt agat; sive qvâ obligatus est ad actum tum omittendi tum committendi. Cum priori illa à lege mutuata acceptaq; conditione aut qvalitate, cum jurisprudentiæ, simul ac communi vulgari usu potentiam hominis *Potestatem* mihi licebit appellare, cum posteriori *Obligationem*: nimirum ita potestas dicitur patria, dominica, magistratus, utendi rei suæ & alienæ, acqvirendi, perseqvendi &c. diciturqve Obligatio, qvâ homo homini, subditus magistratui, debitor creditori &c. est obstrictus. Et sunt dubio procul, duo hi, proxima illa juris opera, proximi effectus, ex qvibus & per qvos omnis deinde prodit humanarum actionum justitia.

LIB.



LIB. II.

De POTESTATE.

CAPUT I.

Communia de Poteſtate atq; Obligatione.

I. Uſus atq; celebritas poteſtatis atq; obligationis.
II. Varia utriusq; denominatio.
III. Diſtinctio utriusq; in naturalem & civilem.
IV. Nulla poteſtas ſine conjuncta oppoſitave obligatione eſt, & contra.
V. Idq; non ut cauſa & effectus, ſed ut effectus ejusdem cauſæ.
VI. Utraq; qvalitas & faciendi eſt & non faciendi.
VII. Ut de actionum ita & de harum juſtitia ex circumſtantiis ſumendum eſt judicium.
VIII. Poteſtas atq; obligatio à jure ſimul atq; actione habent, qvod ſint ſui-cuiq;-tributivæ.
IX. Ille cui utraq; tributiva eſt, eſt tum ipſe qvi iisdem affectus eſt, intellige qvi obligatus eſt, & qvi poteſtatem habet, tum alter. Licet conſpicuè magis poteſtas liberior ipſi affecto, obligatio verò ſtrictior alteri talis ſit.
X. Sed reverà tamen utraq; utriq;.

XI. Qvænam è factis rerum pro hisce constituendis cum lege concurrant causæ?

XII. Ob venerationem ordinis Methodicæ Jurisprudentiæ recepti, prius per subseqventia de potestate agendum.

I.



Otestas legitima & Obligatio, cùm pro rectificanda activa humanæ vitæ, proqve legitimandis in vita actionibus, primi sint juris effectus partusqve in homine ejusve potentia, & vicissim ex ipsa matrice potentia, qvasi gemini porrecti tubi, per qvos omnes, qvæ inde justæ exurgunt actiones, promittuntur; mirum, qvantâ illæ & in omni vita & in juris legumve tractatione; gaudeant celebritate; nunqvam penè non in judicio, & qvalibet propalatio de justo, vana licet verborum figurâ, versatæ: qvicqvid enim nos aliosve agere, egisse, aut acturos cernimus aut desideramus, obortâ animi sermonisqve commotione circa actus alicujus justitiam, continuò consurgit reflexio ad hasce, anqvirens, an ea agendi potestas alicui sit, fuerit, aut futura sit, an obligatio talis, ad hæc talia subsit. Id qvod maximè propalàm fit, ubi in disceptationem actus alicujus justitia cadit, & justi injustiqve examen actio aliqva subit. Provocantibus utrinqve partibus ad copiam potestatis, obligationisve amussim; dum asserit una, tale se jure posse, potuisse, ad hoc illud qvem obligari; altera verò id ipsum negat: dum, qvi virgam stringit censoriam super istiusmodi, in his ferè unicè qvæ lege qvisqvam potest debetve, potuit aut debuit, judicii censuram fundare solet, justitiam simul ac injustitiam conatus cujusqve factiq; exinde definiens, v.g. an jure possint, ab aliqvo bellum geri, magistratus constitui, judicia exerceri, bona acqvīri, alienari, testamentum condi, contractus celebrari? & vicissim an obligatus qvis sit his legibus, judiciis, magistratibus, obtemperare, an testamento dicta, contractu placita, complere &c. hæc & hujusmodi, dico cum examinantur ad legem, penè semper mediante potestate ac obligatione legitima recur-

recurritur. Si qvisqvam amplissimum juris civilis romani campum velit circumspicere, deprehendet ipse, jurisprudentiam plurimùm, imò penè totam in eo occupatam esse, ut de potestate cujusqve atqve obligatione disponat, qvid possit, qvid teneatur sive obligatus qvisqve sit agere: pertinentibus eò, qvæ de potestate Imperatoria, patria, qvæ de dominio in personas & res, de jure qvod dicitur seu potestate utendi re aliena, perseqvendi debiti; & rursus qvæ de obligatione seu officiis magistratuum, judicum, de iis ad qvæ tenentur qvi in domesticis, qvi in civili, & aliis degunt societatibus, de iis ad qvæ ex conventione, ex delicto aliisve causis qvis cui obligatus sit tractant. Versata videtur harũ hæc amplitudo ante oculos, cum aliis, tum Wesembecio nostro, dum commentaretur ad pr. tit. J. de R. D. qvando jus rerum positum esse putabat in dominiis, & in obligationibus; per dominia forte, qvasvis potestates hominum in objecta rerum intellecturus: Imprimis autem scrupulositati Hermanni Vultei aliqvid videtur deferendum, ubi eodẽ in loco illũ reprobans, ipse jus personarũ in duobus hisce positũ statuit: nimirũ, (verba ejus sunt) in *potestate & in obligationibus*. Porro, qvasi manu ductus, qvia videbat non esse potestatẽ nisi agendi, nec obligationẽ nisi agendi, actionẽ unicum statuens juris objectũ, de qvo qvæ dicantur, ex jure (supponerẽ, ex circũstantiis cùm aliis, tùm) personarum & rerum deducenda sint. Cæterum utut tum hos tum alios prudentum sæpius in proclivi videas stare, qvò seriò & unum juris objectum actionem scil. agnoscant, & geminos istos justitiæ ejus fontes, potestatem atqve obligationem, contueantur, vix tamen reperias, qvod prorsus qveant evadere salebras, cohiberi sese ac supprimi perpetientes ab efficaci illo Jurisprudẽtiæ nostræ fascino, cui compingendo primum videntur fascem consarcinasse, arcani illi justitiæ sacerdotes, romani pontifices, per procusas agendi formulas *(a)*. Fovisse, eorum in imperio & sapientia successores, Prætores, perfecisse JCtos, & tandem ex Gay Institutionibus in l. 1. de statu hominum & §. ultim. J. de J. N. G. & C. Compilatores Juris Justinianei nobis credidisse, tantâ religione, à prudentissimis qvibusqve colendum, ut non romanum tantum jus pene omnes, sed & reperti sint *(b)* qvi omnium gentium naturalia ac civi-

(a) de qvib. videre est l. 2. §. 6. de O. J. & t. t. C. de formul. subl. & pass.

(b) Tholosan. Syntagm.

civilia jura, ad hunc ſacrum modum cohibere, ſibi viſi ſunt neceſſe habere; ſed qvorſum dilabor. De poteſtate atqve obligatione nunc qvædam porrò proponenda ſunt, primò junctim, pôſt, prout videbitur commodius de ſingulis magis ſeparatim.

II. Junctim de hiſce primùm prænotare liceat, qvibus & qvàm variis denominationibus utraqve ſoleat inſinuari, qvippe oratorum elegantia, ſi usqvam alibi, hîc multùm in verbis luxuriat. Poteſtatem, qvam potentiam legitimam definires, modò appellatione generica, τὸ *poſſe*, (a) *potentiæ* aut (qvæ huic penè parallela vox eſt), *facultatis* (b), proferri audias; modò μετονύμως à cauſa *jus* (c) eam denominari, dictô definitôqve eô, qvod poteſtas debebat, jus in re, jus alienis rebus utendi fruendi, (d) jus perſeqvendi in judicio qvod ſibi debetur (e) mitto, *poſſibile jure, permiſſum eſſe; conceſſum eſſe* & alia effectu par ſignificantia. Similis eſt varietas obligationem denotantium, qvando nexus (f) juris, æqvitatis; naturale & civile vinculum, (g) dicitur; & porrò per vocem debere; (h) teneri (i); dare, facere, præſtare, ſolvere oportere (k) infertur. Item metonymicè contractus (l) noxaq; inſignitur; multisq; aliis ligandi, obſtringendi, ac ſimilis naturæ vocabulis effertur.

III. Affectiones poteſtati & obligationi communes qvod attinet, cum duo ſint, qvæ easdem qvaſi proximè contingunt, qvorumve in medio, ut effectus & iterum ut cauſæ poſitæ ſint, jus nimirùm & legitimè formāda actio, ſive etiam agendi hominis potentia (liceat hæc nunc promiſcuè ſumere.) vero ſimile eſt, ſi qvid cōmunium qvalitatum ac pariū differentiarū illis inſit, id ab iisdem iis eſſe communicatum: non conducit fortè hîc legere ſcrupulos; ut tamen communitas naturæ utriusqve, qvatenus & cauſam & ſubjectum & effectum reſpiciunt communes, appareat, ſolummodo qvinqve ex illis, qvæ præcipua iis communia fuêre viſa, adnotare ſublibuit. Partim qvæ à jure ut cauſa formali eisdem coinfluant, partim qvæ ab actione ſeu agendi potentia, ut effectu ſubjectoqve formando, perpeti aut recipere habeant, partim qvæ qvaſi utrinqve participent. Ex jure primum omnium congenitas ſibi videntur ferre illas differentias, qvibus utraqve in divinam & humanam, civilem publicam, domeſticam aliamve ſocialem poteſta-

(a) l. 15. de cōdit. inſtitut. (b) §. 1. J. de jur. perſon. l. 1. ff. de eo qvod certo loco. (c) §. 1. de J. actionib. (d) pr. J. de uſufr. (e) pr. J. de actionib. (f) Varr. lib. 4 de lingv. lat. (g) §. 1. J. de fideicommiſſ. hered. l. 95. §. 4. de ſolut. l. 59. de cōdict. indeb. (h) per l. 108. & 178. § 3. de V. S. l. 66. de R. J. (i) l. 152. §. 3. de R. J. (k) per l. 10. 175. & ſeq. junct. l. 48. §. 1. de R. J. (l) l. 20. de judic. l. 19. de V. S. (m) l. fin. de noxal. act.

testatem obligationemqve distinctionem, subdistinctionesqve admittat. Notabilis autem imprimis ac plurimum celebrata illa differentia est, qvâ in naturalem & civilem utraqve dispescitur. Qvam, si rem, qvæ subest, spectes, notasse imprimis Aristotelem (a) putabis, qvando societates tum domesticas, tum civilem perfectam, aliasqve, partim naturæ, partim civili ordinatione coire & constare demonstrat; qvippe qvod omnem societatem si resolvas, totam, qvicqvid ejus tale est, in potestatibus ac obligationibus mutuis consistere reperias. Largiter agnoscunt hoc JCti nostri, ubi non modò disertè sibi opponunt naturale & civile vinculum, (b) civilem à naturali & communi potestate diversam (c) ostendunt; sed & per omnes penè, qvas tractant, utriusqve affectionis hujus species id comonstrare nituntur, qvomodo & qvousqve v.g. patria, dominica, maritalis potestas, dominium in res nostras, facultas exigendi debita &c. naturalis, & in qvantum è converso civilis seu positivæ justitiæ sint. Simile facientes etiam in genere obligationum, ut puta advertentes, qvatenus homo homini, filius patri, uxor marito, servus domino, creditori debitor &c. naturali simul ac civili jure, naturaliter & civiliter obligati sint: de qvibus singulis infra suis locis distinctius erit memorandum.

(a) lib. 1. & 3. polit. & alibi pass.

(b) l. 59. de cōdict. indeb.

(c) §. 2. J. de patr. potest.

IV. Alterum qvod utriqve huic qvalitati, & potestati scil. & obligationi ex causâ suâ, jure videl. commune influit, perpetua aliqva est utriusqve cum utrâqve conjunctio, sive in relativa qvadam oppositione, sive in condecurrentia illa consistat. Nimirum ex lib. 1. cap. 4. liqvet, potestatem ex virtute juris permissiva esse, obligationem verò ex præceptiva tum affirmante tum negante. Porrò ostensum est eodem lib. cap. 3. has virtutes in effectis suis sese semper comitari. Idqve modô, qvi condecurrentiæ videtur posse appellari, qvô non potest qvod præceptum est, simul etiam non permissum esse, & qvod permissum est, simul, ne à qvoqvam impediatur, præceptum esse. Ex qvo primum videtur fluere hoc, qvod potestas, & obligatio ut primi & proximi harum virtutum legalium effectus, sese invicem non possint non comitari, ac juxtà decurrere. Id qvod præter hoc rationis, sollicitæ ad rem attentioni etiam facile potest liqvere, qvando non deprehendetur aliqva

jure qvodam obligatio agendi aut præstandi qvicqvam, aut abstinendi à qvoqvam, qvin eodem jure potestas simul intelligatur data idipsum præstandi, agendi, omittendi. v. g. parentem honorandi, debitum solvendi, non lædendi qvemqvam. Et vicissim qvando omnis qvæ jure est concessa, potestas, nulla esset futura, nisi simul à jure vetante obligationis haberet munimen, qvo obstringerentur alii, ne obstarent, aut contra facerent concessæ facultati, veluti si cui permissum est haurire aëra, capere per terrarum solitudines aut maria feras piscesqve, hunc qvò minus injuria impediat, erit obligatus alter. Porrò verò, ex iisdem fontibus, qvædam etiam in specie, relativæ oppositionis conjunctio, qvalitatibus hisce videtur prosilire, in respectu dominantis & subjecti, dominationis ac subjectionis ad invicem juxta mensuram alterutrius parilem, consistens. Qvando nimirum qvælibet ex permissivo jure potestas, aut is qvi potestate exinde præditus est, qvatenus illa est, ut qvidem omnis est, in aliqvid subjecti, (sive res illud sit in specie sic dicta, sive persona) ne inane & jus illud & potestas fiat, ex jure præceptivo ipsum illud subjectum sibi obligatum, eoqve obligationem in eo sibi respondentem habet. Et vicissim, qvando qvælibet ex præcepto obligatio, aut is vel id qvi qvodve inde obligatum est, qvatenus illa respicit aliqvem, ut omnis facit, cui subjectum obligatum est, potestatem ex jure permissivo supra sese sibi parilem agnoscere videtur. Qvomodo e. g. priori specie, nulla esset competens magistratui potestas in subditos, iisdem imperandi tributum, militiam, operas, nisi ad obseqvium & imperata illa præstanda iidem essent obligati; non domino competeret dominium in servum, nisi hic illi necessitate juris parere obstrictus esset; conditor humani generis qvando viro dominium permittebat in uxorem, hujus voluntatem simul subjectam volebat illi; actio qvã JCti appellant & potestas est, perseqvendi in judicio qvod sibi debetur, obligationem civiliter ac naturaliter debiti præsupponit; similiter si in alteram speciem exempla vertas, è contra obligatio debiti præstandi parere actionem dicitur; si qvis ad obseqvium præstationesqve obligatus est conjugi, domino, magistratui, aliisve, in eundem, qvantum fert illa obligatio, obtinet utiqve potestatem isthæc exigendi alter.

Neq;

Nec verò putari debet, ac si abscedat ab relativo hoc respectu potestas qvælibet in aliam, præter personam, rem, veluti dominica in id qvod nostrum, potestas usurpandi, securitatis ergò tenendi alienum, perseqvendi certum aliqvod corpus vel rem aliam, qvas ferè potestates jus in re & ad rem Juris interpretes appellare solent; qvippe etiamsi non ea ad potestatem reflexio obligationis à re exire potest, qvæ à persona; esse tamen alicui obligatum, imò pars arctissimè alligatum illud, qvod ei invito abstrahi, cujusqve usus, possessio interverti, aut apprehensio impediri non potest, nullus dubitem. Non obstante, qvod vulgò omnia talia obligata nobis non dicantur. Qvippe genere obligationis realis, in alia cognitissima nomina specifica, abeunte, qvibus res nostra, possessio nostra, servitus, pignus &c. appellitentur. Ne dicam accidere, qvod ex his objectis, etiam illa, in qvæ remissior competit potestas, disertè obligari dicantur, & modis qvibus obligationes aliàs constitui solent, constitui, puta qvando in jure civili res pignori dicuntur obligari (*a*), pignus vel hypotheca contrahi (*b*) servitutes pactionibus & stipulationibus constitui (*c*), unde colligere est, qvousqve JCto Paulo (*d*) deferendum sit, asserenti, obligationum substantiam non in eo consistere, ut aliqvod corpus nostrum, aut servitutem nostram faciat; nempe accommodat ille sese ad usum vulgarem, ubi obligatio de personæ obstrictione communiter tantum solet accipi. Qvando & ita ipse ibidem addit, *in eo illam consistere, ut alium nobis obstringat &c.* Porrò nec etiam pro vacante ab hac conjunctione respectuve ad obligationem, haberi debet illa potestas, qvæ est in id occupandi, qvod nullius esse audit; scilicet monitum antea est, relationem hanc alterutrius ad mensuram alterius accipiendam esse; ut adeò, cum talis potestas, qvæ ipsam rem anteqvam capessitur, afficit, in qvadam contingentia, sive in futuro, sive, ut ita dicam, in potentia qvasi consistat; similiter qvoqve illa qvaliscunqve obligatio accipienda sit; qvæ postqvam res occupata aut occupationi proxima fuerit facta, ad potestatem aliam qvoqve arctiorem sortiatur relationem. Ne nunc pro sustinenda hujusmodi acqvirendi potestati suâ, si non hâc ex objecto ipso, saltem qvalicunqve opposita obligatione, confugere opus

(a) lib. 20. t. 3. ff. lib. 8. t. 17. C. (b) d. loco t. 2. & 15. (c) §. 4. J. de servitut. §. 1. de usufr. (d) l. 3. de O. & A.

sit, ad illam ex conseqvente juris prohibitione connatam potestati obligationem non faciendi; in qvâ utiqve, qvin isthæc aliqva relativa oppositio adhuc hæreat, per generalia illa juris principia, (a) qvibus qvisq; vetatur alterũ lædere, alteri iniqvã conditionẽ inferre, inhibere qvenqvam ut jure suo & communi utatur, aut uti id qvod nullius est occupet; negari neqvit.

(a) §.3. J. de J. & J. l. 14. de cõdict. indeb. l. 13. §. ult de injur. §. 12. J. de R. D. l. 55. ff. de acq. rer. dom.

V. Neqve verò etiam apparentia hîc qvicqvam turbare debet, qvasi videantur sæpius sibi invicem loco causæ esse potestas, & obligatio, magis, qvàm ut ex communi aliqva causâ utraqve affectio nascatur, aut junctim prodeat: dum v. g. id fortassis, si negotii prophasin respicias, agi audias, actumve, ut potestas imperatoria, tutoria &c. alicui detur, constituatur; qvod aliqvis imperator, tutor electione, aut decreto sit constiturus: qvod cõventione, contractuqve gignatur obligatio: qvod ipsa obligatio mater actionis h. e. potestatis exigendi juris interpretibus soleat dici. Inqvam fatendum hîc est, unam harum qvalitatum præ altera sæpius in prophasi magis versari, & in tantum prærogativæ constitutionis videri progredi, ut tanqvam antecedens appareat hæc, illa verò ut conseqvens: veluti si cui committitur potestas imperandi, negotium administrandi, non factâ mentione tali: hi homines tibi sunto subjecti, adve obseqvium obligati: Item, si contractu celebrato nil aliud ferè dictu freqventat, qvàm qvod in apice est: dabis facies? dabo faciam, dandi faciendi obligationem esse contractam; non memoratô qvidem: juxta qvam promisisti: aut si ultrò promissum non exhibueris, mihi licebit id exigere, ego jure ejus rei nomine judicialiter agere potero, Cũ tamen reapse, siqvidem fundũ negotii respicias: potestate efficaciter commissâ simul subjectio obstrictioqve rei hominisve in qvos, sancita illa; & obligatione contracta, simul ad normam ejusdem potestas, seu actio qvæ dicitur, nata intelligatur. Unde etiam qvoad hoc, illud in jure nostro freqvens, de natâ ex contractu non modò obligatione, sed & actione; ex pacto non item (b): Neqve verò qvod ob aliqvam rationem aut intuitum videatur parens prior filio esse, ideo & est talis, sed revera per naturam relationis, qvod has conditiones, qvibus pater & filius hi sibi sunt, naturâ simul enascuntur, sunt, ac intereunt: eadem

(b) l. 7. de pact.

ratio

ratio etiam videtur potestatis atqve obligationis esse; tollas enim juris necessitatem obseqvendi, nec concipi poterit, qvodnam jus seu qvæ facultas legitima supersit imperandi: tollatur actio, & frustra erit qværere, de obligatione civiliter efficacissima. Nec refert qvicqvam, si forte in tractatu aliqvo, verborum tenor non tam utriusqve qvàm alterutrius faciat mentionem, cum hic obtinere debeat, qvod alibi commendatur qvoqve, nempe, ut eadem vis taciti sit, qvæ expressi (a); ut constituta potestate intelligatur objecti obligatio, & vicissim, expressa obligatione subaudiatur in altero qvodam potestas.

(a) l. 2. & 4. de pact. l. 4. & 6. in qvib. caus. pign. tac. cōtr. l. 77. de R. J. l. 126. §. 2. in f. de V.O.

VI. Post hæc à subjecto formando effectuqve, hominis nimirum agendi potentia actioneve, potestas, & obligatio, qvæ virtute causæ suæ, juris videl. isthas formant, primum videri possunt non posse non perpeti, qvin, sicut illa, ita etiam hæ *oppositorum* sint, puta agendi, & non agendi, sive patiendi omittendive. Formæ enim bonæ, & egregiè formativę conveniebat, totum objectum (qvod qvidem hic tam latum esse cap. præced. indicatum est) cui formando destinabatur, ad præfixum finem informare. Accidere id autem æqvè utrisqve, potestati scil. & obligationi legitimæ, ut agendi & non agendi sint, vel per manifestissimam experientiam, alia probatione non indiget; qvippe nemo dubitat, hominibus ut agendi v. g. per commercia licita sibi acqvirendi, corpus suum ab injuria tuendi, ita & non faciendi potestatem legitimam competere, veluti non acceptandi qvod à qvoqvam liberaliter offertur, perpetiendi, ut qvisqvam alter re suâ utatur, omittendi vindicationem sui, &c. Qvin multa potestas legitima, ea videl. omnis, qvæ citra strictiorem necessitatem, adstrictionemqve ad alterutrum oppositorum à lege relicta est, ita comparata est, ut æqvè faciendi ac non faciendi existens ad opposita anceps sit, manens tamen utrinqve legitima, vel saltem non illegitima, ita ut etiam ad exercitium procedens qvicqvid alterutriꝰ producatur correctioni tanqvā illegitimū non sit obnoxium. Qvomodo v. g. qvi forum intrat per legē qvod venale extat emere potest, potest etiam non emere, manum qvisqve suam, dum secum sedet, nec forte Deum hoc ipso blasphemare intendit, levare ac non levare potestatem habet. Nec minus

nus ambigere licet, obligationem & faciendi & non faciendi legitimam dari, qvia videl. nil freqventius est, qvàm ad utrumqve, modo scil. ad hoc modo ad illud homines solere obligari, dum v.g. qvi alteri vel gratuitò vel pro accepta pecunia operam suam promisit locator operæ forte, aut mandatarius, qvi pro pretio rem aut pro accepta re pretium præstiturum se pactus est, emptor, venditor, hi dico & hujusmodi ad faciendum aliqvid obligati sunt, ipsa qvadam obligatione faciendi. E converso, dum eum, qvi alteri servitutem h. e. facultatem prædii sui usurpandi concessit, ferè ad hoc obligatum jura dicunt *non ut faciat qvid, sed ut aliqvid patiatur aut non faciat* (a). Patiatur scil. alterum uti re, non faciat, puta impedimentum, qvo minus uti, aut rem qvæ servit reficere alter possit: qvò pertinet obligatio ex pacto, ne qvis petat (b) ne judicem adeat (c). Qvin etiam hic accidit, utrumqve obligationis genus eidem homini circa idem negotium conjungi, veluti cum mandatarius & exeqvi qvod mandatum est, & fines mandati non transgredi tenetur (d). Cum tutor pupillum ejusqve fortunas tueri: & contra non alienare eorum prædia sine magistratus decreto (e) non ducere vel sibi vel filio suo pupillam uxorem, ante, qvam rationem reddiderit, & annus utilis post curatelæ tempus præterierit (f), obstrictus est. Cùm (ut capite dicam) qvisqve hominum divino humanoqve jure obligatus est, ut & suum cuiqve tribuat, & lædat neminem. Ex his obiter licet observare, qvò cum salis grano accipiendum sit, qvando civili jure (g) is qvi rem nostram iniqve detinet, nullo jure nobis dicitur obligatus esse: scil. non adeò eum obligatum nobis esse ad præstandum seu faciendum qvicqvam, tametsi de cætero ad non faciendum, puta non impediendum patiendumqve obligatus sit, ut auferamus ac vindicemus id qvod est nostrum; qvamvis tamen adhuc dici qveat, paulo durius istud dictum esse, vel eo qvod hæc ipsa perpessio nomine restitutionis in jure comprehendatur (h). Posset deinde qvoqve, si conduceret, ut pluribus hæc perseqverer, annotari, qvomodo ex distincta præceptiva legis virtute, imperante videl. faciendi, vetante verò, non faciendi nascatur obligatio: Et præterea colligi, cùm æq; ac obligatio, potestas qvoq; faciendi ac non faciendi sit, virtutem per-

(a) l.15. inf. de servitut. l.6. §. 2. si serv. vind. (b) §. 3. J. de except. l.13. §. 13. l.27. §. 2. de pact. (c) l.3. pr. de cōdit. causa dat. (d) §. 6 8. & t. t. J. mandat. (e) t. t. de præd. minor. (f) l.66. l.36. §. 9. de rit. nupt. l. 6. & tot. l.1. C. de interd. matr. int. pupil. & tut. (g) §. 1. J. de actionib. (h) l.9. de R. V.

permissivam similiter qvodam modo duplicem qvoqve esse. Præterea possemus hîc, paris tum potestatis tum obligationis amplitudinis commonstrandi ergò, simul plures agendi ac non agendi distinctiones ac species pervagari, enarratione factâ, qvomodo & hæc & illa sit internorum ac externorum, compositorum ac simplicium actuum, qvomodo præstandi, dandi vel faciendi utraq; sit; sed qvoniam hæc & hujusmodi, partim ex iis, qvæ supra lib. 1. cap. 4. partim ex illis qvæ cap. de obligatione ad vocem solvendi addenda erunt, partim etiam ex ingenio cuiqve complere, facile est, de iis ulterius non laboro.

VII. Alterum porrò, qvô potestas & obligatio agendi legitimæ, naturam potentiæ agendi sive ipsius actionis communiter imitantur hisdemqve sese adsimilare habent, est earundem (ut ita dicam) *circumstantiatio* sive in circumstantiis constitutio. Etenim cum potentia agendi hominis per infinitam circumstantiarum varietatem vaga, in omnifarias actuum figuras discursiva est, eâdem conditione hæ, ut à jure illi ordinandæ immissæ eam debebant attemperare, & justitiæ actuum eandem juxta qvam circumstantiis circumdata erat, præformare, ita scilicet ut & ipsas illas circumstantias, demptâ vagâ illa indifferentia, juxta ad actionum justitiam componerent. Imò dubitares, an formale ipsum ac totum esse potestatis obligationisqve, qvo legitimæ sunt, in hac circumstantiarum ad potentiam adordinatione ponenda sit; Planè exempla circumspiciens, facile cernet, non minus, atqve de justitia actionum, ita & de justitia harum, qvæ illi matrices sunt, duarum qvalitatum omne judicium ex circumstantiis fieri, ubi vera ac legitima habetur potestas, v.g. principis exigendi tributum, à subditis in necessitatem utilitatemve reipub. modicum, modô qvô qvit commodissimô *(a)*: potestas uxoris, repetendi dotem, è bonis mariti, hoc vel mortuo, vel ad inopiam vergente, in qvantum facere potest *(b)*; similiqve modo obligatio tutoris, dotandi mulierem adultam elocandam, pro modo facultatum, ac dignitate mulieris maritiqve *(c)*. Obligatio debitoris mutuum restituendi ejusdem naturæ & qvalitatis *(d)*. Par ratio est in cæteris, sitqve res prorsus manifesta, si incipias unam alteramve ex ejusmodi circumstantiis tolle-

(a) l. 16. & seqq. lib. 10. C. *(b) l. 1. 2. & t. t. solu. matrim. dos qv̄eadm. pet. §. 37. de act.* *(c) l. 60. & seq. de jure dot. (d) pr. J. qvib. mod. re contrah. obl.*

tollere aut mutare, ubi continuò legitimæ, imò prorsus potestas aut obligatio esse desinunt, veluti si ponas potentiam non à subdito, aut citra utilitatem publicam, tributum exigendi; repetendi dotis è bonis cujusvis extranei; necessitatem dotandi filiam cum majore bonorum parte; necessitatem restituendi mutuum longe majori, qvàm acceptum erat qvantitate &c. Sunt posteriores duæ hæ qvalitates obligationi ac potestati ex conditione subjecti h. e. potentiæ agendi, ejusve effectu; qvi actio est, communiter redinfluentes, non qvidem ex sese facientes ad formam cuiqve potestati & obligationi specificam, qvatenus hæc aliqva his illis circumstantiis vestita; hoc faciendi aut non faciendi est: hoc enim à lege habent; sed qvatenus ipsum qvasi materiale seu esse genericum, & circumstantiatum esse, τὸ faciendi aut non faciendi esse illis coinferunt.

VIII. Deniqve utrinqve videri potest magis descendere communis utriqve qvalitati affectio ista, qvâ sui-cuiqve-tributivæ sunt: nimirum hominis tribuere cuiqve suum, id totum humana actio, idemqve humanæ potentiæ est, ut adeo haud diffitendum videatur, qvin conditio isthæc potestati ac obligationi aliqvo modo inde agnascatur. Cæterùm qvia hoc ipsum tamen suum cuiq; tribuere, qvâ formam specificam, à jure qvoqve est; neqve enim actio per se, aut etiam potentia per se sui cuiqve tribuens est, sed talis demum per formam est, qvam à jure præscriptam habet, sive qvæ mediante juris præscriptione illi adsistit. Unde igitur & qvicqvid illæ hujusmodi sunt, etiam à jure videntur esse; & per consequens id ipsum communis affectionis genus utrinqve participare. Qvod autem sint ambæ sui-cuiqve-tributivæ, dubium esse non potest, cernenti, finem juris circa vitam rationemve vitæ activam occupatum esse, ut suum cuiqve tribuatur, & hujus finis ergò, hasce ut media eidem rationi activæ à jure impressas existere; simulq; idipsum esse per qvod sui illa tributio rectè fiat.

IX. Obiter notaret hîc aliqvis, & tributionem ipsam & potestatem obligationemqve sui tribuendi, tum ad ipsum fontem suum, hominem scil. qvi tribuit aut tribuere potest debetqve, sese reflectere, tum ad alios extra propendere atqve procurrere: Ferè tamen

tamen cum hac diversitate, qvod potestas liberior, penè conspicua magis sit in reflexione illa, qvæ est ad potestate fruentem ipsum; obligatio verò, qvæ qvidē constrictior in ea, qvæ in progressu ad extra est. Id qvod ex communiori observatione itidem patere facile potest. Etenim qvoad obligationem ita comparatum est, qvod aliis, Deo videlic. & proximo, aut si qvid aliud extra nos in simili collocandum est censu, obligari posse nos, divino humanoq; jure, omnes planè autument, Deo v. g. ad cultum, obseqvium; homini ad humanitatis officia, parentibus magistratui ad obedientiam, ad venerationem, subditis, liberis ad tutelam, sustentationem, creditori ad reddendum mutuum debitumve aliud, ac ita in cæteris; Ast vix est qvod aliqvibus intelligatur aut attendatur, qvod & qvomodo sibi ipsi qvisqvam qveat obligatus esse, in tantum, ut etiam vulgaris JCtis nata maxima est: neminem sibi ipsi posse obligari. Cujus axiomatis rami sunt, qvod consolidatione juris, actionis obligationisve confusione, qvas vocant, obligatio, & qvæ illius species aliqva est, servitus, extincta censeantur. (a) Qvod ne qvidem eidem pro eodem obligatus qvisqvam esse qveat (b), puta fidejussor debitoris creditori, si hic per successionem idem cum illo esse incipit, qvod tum simul & fidejussoris persona, sicut accessio debitoris ante qvasi fuerat, huic qvoqve videatur accreta, vel qvia ob ligatione principali, ut loqvuntur, confusâ juri, accessoria obligatio fidejussoris, simul cōfusa videatur; neq; enim hic debebat debitori principali, sed hujus accedens obligationi simul cum hoc creditori obligatus erat. Deinde qvod non ii qvi in potestate alios habent his, puta dominus servo, pater filiofamilias, nec hi illis, jure, qvo pro una persona qvasi habentur (c) obligari putentur (d) unde illa JCtorum: *inter Dominum & eum qvi in potestate ejus est, nulla obligatio nasci potest.* (e) *Domini cum servis suis paciscentes ex placitis teneri atqve obligari his non possunt* (f) *& vice versa* (g). *Non magis cum his qvos in potestate habemus qvam nobiscum ipsi agere possumus* (h) *Lis nulla* (h. e. nulla judicialiter litigandi i.e. agendi facultas, & per conseqvens nec ab altera parte civilis obligatio) *nobis esse potest, cum eo qvem in potestate habemus* (i). Hinc porrò exit, qvod subjecti dominicæ ac patriæ potestati, tanqvam qvædam dominorum pa-

(a) l. 71. de fidejus. l. 75. 95. §. 2. de solut. l. 7. C. d. pact. §. 3. J. de usufr.
(b) l. 34. §. 8. de solut. l. 31. §. 3. de fidejuss.
(c) l. fin. de im pub. & aliis subst. add. l. 22. de agric. & censit.
(d) §. 6. J. de inutil stip *(e) §. 6. J. de noxal. act.* *(f) l. 13. in f. C de transact* *(g) l. 36. de lib. e- ral. caus.* *(i) l. 16. de furt.* *( ) l. 4. de judic.*

 ren-

rentumve accessio, non sibi sed ipsis, cum res alias, tum obligationem acqvirant (a). Ex adverso autem hisce, qvod potestatem sui-tributivam liberiorem attinet, ita plurimum qvoqve videbitur intentione ac effectu in eum redundare, qvi præditus illa est. (Dico liberiorem, nam qvæ cum necessitate conjuncta ac officiosa est, cujusmodi plurima magistratus, patris, tutoris est, vi arctioris obligationis conjuncta ad alterum manifestius pertrabitur) qvo in numero est potestas cujusqve acqvirendi, occupandi, qvod antea nullius, commercandi, recipiendi, vindicandi ab aliis modis licitis, usurpandi rem suam communemve, & qvæ complures sunt aliæ potestates nostræ nobis magis proficuæ, nobisqve adeò tributivæ nostri, nobisve competentis; citra tamen strictiorem necessitatem ejus usurpandæ, qvando pene æqvè liberum soleat esse pleraqve nobis non acqvirere; non recipere, vindicare, aut usurpare nostra, qvàm contra agere.

(a) l. 79. d. acqvir. hered. l. 38. § 17. de V. O. t. J. per qvas person. cuiq; oblig. acqvir.

X. Veruntamen, utut hæc ita sese videantur habere maximè, qvod videl. potestas liberior, nobis, obligatio strictior, alteri magis tributiva videatur esse. Penitius tamen rem inspicienti omninò appariturum existimem, & qvemqve sibi ut alii obligari, & alii ut sibi plurima liberius posse ut sua aliqva tribuere. Ita enim de potestate officiosa, qvam modò dicebam, & inferius suo loco dicetur distinctius, jamdum liqvet; illam per conjunctam sibi obligationem, ad alteri suum qvid tribuendum, aliqvem satis rigidè pertrahere. Liberior potestas, qvalem forte dicere possis facultatem dono dandi alteri, sublevandi in commodo & acqvirendo, levissimam qvam injuriam ab alio propellendi, qvamvis leviorem culpam coercendi, aut redarguendi, & similem; non eqvidem tantopere videri posset trahere adversus alterum; attamen & eam alicujus alteri tributivam interea esse vix potest negari: licet accipiendum id sit secundum laxitatem, qvâ idipsum qvicqvam sui est à lege ipsa tributum, perqve legem tribuendum, puta citra astrictionem arctam & omnimodam, citraqve necessitatem rigidioris sanctionis pœnalis. Tametsi de potestate aliqvâ erga alterum verè legitima h. e. effecta magis à lege, qvàm nudè tolerata, vix videatur commodè asseri posse eam, meram saltem aliqvali sanctione attra-

ctio-

ctioneve legitimâ consistere, per latissimum universale illud præceptum, qvo proximum sicut nos ipsos tenemur diligere, adeoqve & tenemur ei præstare qvæcunqve sanâ humanâ ratione utententes nobis præstare ac præstari bona cupimus; qvomodo & consolari, & monere & hortari & sufferre, nec odisse nos invicem monet, imò svavi præcepto obligat Apostolus (a). Et vicissim qvod de obligatione ante memorabatur, ac si sibi ipsi nemo qvisqvam obligaretur, nec adeò sui ipsius tributiva detur obligatio, non satis qvoqve firmo talô videtur insistere. Namqve certè nostram non possumus modò & tenemur tueri, saltem non abolere vitam, præceptum enim generale est non occides; (b) non animam corpusve possumus corrumpere aut perimere. Qvod de corpore etiam subsensere JCti gentiles, qvando neminem corporis sui æstimatorem membrorumve dominum esse admittunt (c). Ad animæ conservationem tot pertinent & hortamenta in sacris & æternum exitium minitantia præcepta, si contra agatur. Sensere infideles (d), ut homines mereamur dici, oportere nos obstrictosqve esse, animum virtute excolere, honeste etiam nobis vivere, vitia ac turpitudines omnimodò fugere, mentem sapientiâ imbuere, facultates acqvirere, ac conservare, ut inde liberalitatem exercere aliisve benefacere, ipsiqve beati esse possimus. Summa, non dubitandum videtur, dilectionem nostri, intra terminos justi perseverantem, puta qvatenus citra læsionem alterius, vel etiam cum beneficio erga alterum conjuncta est, etiam obligationis legitimæ videri esse, nolo nunc urgere qvod Deo tanqvam Domino ac patri nostro, cui beneplacitum est in filiis hominum, nos ut filios ac servos qvantum in nobis est, conservare atqve ornare *teneamur*. Planè per dicta hæc nullus videtur ambigere debere, qvin sumpto lato vocum sensu, utraqve & potestas scil. & obligatio non tantum sui-tributiva, sed & aliis & sibi qvoqve, id qvod plenè tandem cuiqve sui est, talis sit. Penè hæc sunt, qvæ obligationi ac potestati communia prænotare hîc fuit visum.

XI. Unum autem præ multis pasimarium hujus generis adhuc est qvod hæc inter & seqventia adhuc videtur ponendum, nimirum qvod de causis harum qvalitatum in facto est, qvibus datis positisqve has qvoqve poni conseqvens sit. Eqvidem latius jam in su-

(a) Rom. 12. 1. Cor. 13. Gal. 15

(b) Exod. 20.

(c) l. 13. ad L. aqvil. l. 1. §. 5. de his qvi effud.

(d) Arist. lib. 3. & seqq. Eth.

in superioribus deductum conclusumqve est, qvomodò immediati hi sint in homine hominisve potētia producti effectus juris, & qvomodo jus causa qvædam sit harum conformans universalis. Ast hoc nondum est perqvisitum, perpetuone uniformiter, an casu, an certis qvibusdam in natura datis ac suppositis lex tales hasce effingat? & si qvædam talia jus correqvirat, qvænam illa sint? Uniformes obligationes ac potestates hominibus omnibus à jure indi, reclamat notissima experientia, similiter nec mero casu fieri, ut hic ita alter aliter sit obligatus, alia atqve alia potestate sit præditus, patet facile vitam humanam circumspicienti; qvin potius id in vita deprehendet, qvod posito, qvem esse parentem, maritum, dominum, magistratum, creditorem; idem qvoq; certô genere potestatis gaudeat: qvod factô contractu, comissô delictô, datâ subjectione, obligatio hominibus agnata existat. Unde fortè colligeret qvis, similem hîc fore naturam sibi, & in producendis potestatibus atqve obligationibus, ad modum, qvem in aliis rebus producendis observat, hîc qvoqve eandem processuram; pro certis effectis, certas agnoscendo concausas, qvando v. g. (ut processum hunc naturæ in aliis suis effectis describam) homines non vage, per aëra & campos effingit, sed maris & fœminæ præreqvirit conjunctionem; arbores, fruges, gramina, non ex lapide, ex vento, ex callibus & undis, æqvè protrudit, atqve ex granis, radicibus aliisqve seminalibus, per hortos arvosqve cultos qvietosve pingvesve: dum ex ovis incubatis volucres, ex vaporibus aqvosis, siccis, sulphureis in aëre gignat meteora &c. Cui rerum formandarum rationi, etiam humana adstipulatur ποίησις, qvando, fabrum non visurus sis, ex arenis, lapidibus, aut lignis ad ventos aqvasve vomeres procudere, sed ex ferro ad ignem; non messes cernas per æthera & undas, sed pingvibus præparari in arvis. Ex qvibus inqvam suspicio utiqve est, qvod, qvæ ex naturali, qvæve ex positiva humana lege potestas & obligatio est, præter legem, alia qvædam in natura rerum *data* qvoqve habeat, qvibus suppositis demum excludantur à lege illæ qvoqve. Cæterùm qvænam ea sint & qvot numero, circa hominem ejusqve potentiam; hanc enim illumve ut afficere ita & contingere debere videntur, fortassis non æqvè liqvidum aut facile est à priori demonstrare,

ſtrare. Mihi ſi qvid licentiæ auderem ſumere, earum concauſarum per naturam rerum, qvoad poteſtatem & obligationem, perſonas inter, gignendas, *qvinq;* numero genera extare aſſererem: Beneficium, videl. Maleficium, conventionem, conjunctionem & deniqve in bono præcellentiam; qvoad perſonas inter & res alias, tot qvot modi conſtituendi dominii. Demonſtratio autem horum inde, opinor, facta erit; ubi oſtenſum fuerit, ſingula hæc talia naturâ ſuâ eſſe; ubi eorundem ſapiens, atqve provida per univerſitatem rerum coordinatio ac inſtitutio fuerit monſtrata, facta porrò provocatione ad experientiam, rerum magiſtram, nunqvid ulterius hujus generis præter hæc horumve partes ex rebus depromi poſſit? Et ſiqvidem tale non reperiatur, putem videri poſſe, obtentum eſſe, qvod prætenditur, nempe tales totq; *cum jure cauſas eſſe poteſtatis obligationisq; legitimæ.* Et illa qvidem nobis ſpero probata fore per inferius tractanda, qvandò id agendum erit, ut qvà primariam intentionem, oſtendatur, ex qvibus cauſis naſcatur obligatio, ſubintellectô, ex iisdem etiam ſimul gigni parilem huic poteſtatem.

XII. Qvamvis autem ubi de harum utriusq; natura, cauſis, ac ſpeciebus diſqviſitio ulterior inſtituenda eſt, ambæ qvidem junctim poſſent imò deberent conſiderari & unum qvaſi ſub intuitum cadere, ob multam earundem, qvá prorſus geminæ incedunt, convenientiam; nempe in fine, qvi eſt, ut ſuum cuiqve tribuatur; ſubjecto inhæſionis, qvod homo humanaqve potentia eſt; effectu proximo, qvi actio juſta ſuiqve tributiva: cauſis conformantibus, qvæ jus & modo dicta data per naturam ſunt. Imò vel ideò maxime jungi deberent, qvod, cum ſint relativè oppoſita, magis natura alterutrius, per alteram poſſit illuceſcere, neqve enim temerè poteſtatem legitimam in qvid reperias, cui non par in ſubjecto reſpondeat ſubjectio qvædam ſeu obligatio; & viciſſim non obligationem cui non poteſtas reſpondeat. Attamen, qvia nec deſunt etiam, qvæ ſvadeant, potius ſeparatim qvodammodò ulteriori in progreſſu eas conſiderari, hoc magis nunc reſedit animo. Qvippe viſum fuit & incommoda habere rationem priorem, & poſteriorem ſuis non carere commodis. Dum, ſi illa attenderetur, foret, qvod animus con-

continuò ad utrumqve pariter respiciens necesse haberet distractionem qvandam perpeti, & per hanc minorem singulis, nisi cum temporis longiori tractu, aciem intendere; qvod etiam deinde ipsa sermocinatio fieret laxior atqve incommodior, si geminæ semper tam ipsæ qvàm affectiones earundem proferendæ essent. Commodum autem in hac disjunctione potest esse maximum. Qvod præter liqvidiorem sermonis fluxum, mentisqve vim conjunctam magis, singulæ per eas species distinctionesqve, iisdemqve cum affectionibus qveant proponi, qvas usus in hac aut illa attendit magis laudatqve: qvomodo sanè obligationes magis distingvuntur ex causis v.g. conventione, delictô; potestates autem ex societatum ac negotiorum genere celebrantur magis, qvatenus nimirum vel civiles, vel patriæ vel dominicæ &c. sint. Qvin reapse, qvia nomine ac specie inter se distinctæ sunt, affectionum qvoqve diversitas qvædam de iis præsumenda est: Nec multum adeò pro conjungendis iis in tractationis progressu stringit, qvod ad naturam relatorum accedant, qvippe qvod non tam relata ipsa sint, qvam relatorum seu relationis, ut vocant, fundamenta; nempe magistratus & subditus, pater & filius, creditor & debitor vulgò propriè relata habentur, potestas autem & obligatio singulis accommoda, causæ & affectiones tantum in ipsis, propter qvas illi sunt talia; ut adeo satis causæ igitur visum fuerit, qvare potius, qvam per salebrosam, & ab usu atqve ab attentione vulgari remotam combinationem, pergeremus, sejunctim singulas post hæc perlustraremus, daturi interea operam: Uti in pertractatione alterutrius, alterius ita non omittatur mentio, qvatenus declarationem aliqvam ab invicem mutuare possint: de cætero dum hæc tractatur, alterâ tacite pro suâ convenientia subsumptâ. Progressu factô primò ad genus potestatis, hunc maximè in finem, ut ordinem qvi usqvam publicâ auctoritate extat, concinniorem Jurisprudentiæ, in Institutis Justinianeis nobis exhibitum, qvantum fieri potest, calcemus.

CAP.

CAPUT II.

De potestate in genere.

I. Potestatis genus dictô maximè congruô facultas est;

II. Eademq; agendi.

III. Et legitima qvidem.

IV. Potestas ex duplici, unde est, virtute legis, permissiva videl. ac praeceptiva, vel libera seu arbitraria est, vel officiosa.

V. Libera potestas, pro duplici considerandi modo, qvo vel citra impedimentum, vel in aliqvid rei competens est, aut libertas est aut potestas dominans.

I.

POtestas in genere nobis definita esto: *facultas agendi legitima.* *Facultas* dicta sit, qvæ Græcis ἡ δύναμις: (a)Latinis etiam aliàs, voce generalius usurpatâ, potentia; conjugato atq; æqvè lato significatu, qvo valet τὸ posse. Qvippe qvę species rei, & naturâ suâ est, & sapiëtibus intelligitur ἡ δύναμις, potentia, posse; qvalitas sc. rei in respectu ad actum: talē etiam figura vocabuli facultatis præfert, dicta, ut videtur à faciendo, qvasi faculitas, facilitas, facibilitas, (ignosce lector insvetis dictionibus.) non urgeo ultrò sese insinuantem usum vulgarem, qvis enim latinè callens, qvod facere jus seu potestatem à lege habet, non dixerit ejus se facultatem faciendi habere? Tantum attendo consvetudinem Jureperitorum, qvi, tametsi species potestatis v.g. libertatem, jura prædiorum qvæ appellantur & similia, per genus proximum potestatem videlicet non adeò freqventer definiant, definiunt tamen & describunt per nomen facultatis. (b) & qvidem disertè, ita ut id tanqvam generalius ponant, & juxta per τὸ legitimum, ut differentiam specificam restringant; atq; hoc modò distinctè; modò etiam implicitè, qvando eandem legitimam facultatem exprimunt

(a) *Arist. lib. Categor. c. 8. lib. 2 Eth. c. 5. & passim.*

(b) *l. 4. de stat. hom. l. 1. de usu & usufr.*

munt per vocabulum juris: (a) qvod extra dubium, in plurimis jurisprudentiæ nostræ capitibus, etiam in positionibus definitivis, pro facultate legitima usurpatur (b). Nec verò dubium est, facultatem aliàs generalius qvid designare, qvàm qvatenus terminis legitimi circumscribatur, tum per modò dicta, qvibus patet, & restringi eam per τὸ legitimum; & comparari latitudine τῇ δυνάμει ac potentiæ, qvas voces utiqve Philosophi ita usurpant, ut pœnè, extra habitum ad jus respectum, cum adjectione voculæ τῆς φυσικῆς, naturalis, easdem efferant: (c) tum qvod disertè & vulgari prudentum usu pro potentiâ naturali seu facti, ut supra appellavi, (d) æqvè sumatur, ac pro legitima, qvando e. g. dicimus facultatem nobis esse aut deesse surgendi è lecto, proficiscendi Romam, dicendi &c. fortè qvia sani sumus aut ægri; pecuniâ itemqve doctrinâ aut exercitatione instructi vel minus: qvin & disertè adjici videas facultati τὸ naturale, ut facit Florentinus JCtus (e) in descriptione libertatis, & imitantur Institutistæ nostri (f). Malui autem facultatem, qvàm potentiam, potestati superponere, qvia minus visum fuit consonum dictu, potestas est potentia; & qvia potentiæ vocabulum Philosophorum usus ferè magis ad speciem aptitudinis naturalis factivæ detrudat, uti fieri videas, tùm in genere ab iis, qvi logicè loqventes potentiam naturalem inter qvatuor species qvalitatis ponunt; tùm in specie ab illis qvi politicè sermocinantes, per potentiam plurimùm non tam eam, qvæ in jure qvàm qvæ in viribus est intelligunt, minus interim freqventante hujusmodi ad hanc partem vergente specifico usu voculæ facultatis: non obstante, qvod usu latinorum numero plurativo bona resqve patrimonii nostri facultates audiant; utpote qvod hoc singularem qvandam receptam vocis hujus abusionem metonymicam sapiat, & facilè specificam suam naturam à genere ipso distinctam in hoc significatu infert; dum non in singulari, qvod dicimus numero facultas temerè bona notabit, sed facultates.

II. Qvando porrò *agendi* facultatem potestatem describo, primo agendi vocem eâ latitudine velim intelligi, qvâ superius (g) ex usu imprimis jurisprudentiæ nostræ illam descripsimus, nempe ut accipiatur facultas, tam affirmativè qvàm negativè, ut ita dicam, agen-

(a) tit. de jur. pers. d. bis qvi sunt sui vel al. jur. l. 1. de usufruct. (b) d. l. 1. de usufr. pr. J. d. servitut. pr. J. de act. &c. (c) Arist. d. l. Categor. (d) lib. 1. c. 2.

(e) d. l. 4. de stat. hom. (f) §. 1. J de jur. person.

(g) lib. 1. cap. ult.

agendi, puta agendi faciendive & non faciendi seu omittendi, patiendi, tolerandi, prout hæc ibidem plenius. Scilicet & ita latè sumitur ipsa faciendi vox, & ita facere naturâ ac lege apti nati sumus effectiqve. Deinde fortassis haud faciendum est, qvin moneatur: qvod, si qvis adhuc concisiorem potestatis definiendi rationem hîc adamet, ei videri liberum futurum omittere voculam faciendi, & simpliciter, ut fortè obligationem, necessitatem sive juris sive legitimam qvis describeret, ita & potestatem facultatem legitimam definire. Tùm qvod alterutrâ, imprimis potestatis voce, prolatâ, videatur, non posse non subintelligi, & res ipsa & vocula agendi. Qvò sanè pertinet etiam vulgaris usurpatio verborum, qvibus dicimur alicujus rei potestatem facultatemve habere, omissâ voce activâ, tam in genere qvàm in speciebus suis. It. usus juris, qvo simpliciter potestas dominica, patria &c. efferuntur: tú verò maximè, qvod, ut ante innui, ipsa figura vocis facultas, factionem actionisve possibilitatem præferat inferatqve. Sed utatur hîc, qvi vult, suo sensu; placuit interim facilioris conceptus causâ voculam agendi, definitioni inseruisse, utpote qvæ exprimat disertè, qvod alioqvin virtute tantum sub altero contentum tectè magis inferretur.

III. Qvod autem sive facultas, sive facultas agendi itemqve potentia sit ipso definito nostro, h. e. *potestate* latius genus, neqve omninò hæc æqvè latè significatione pateat, sed communius pro legitima tantum potentia accipiatur, ni fallor, usus qvoqve facilè insinuat: dum non temerè, qvando de facultate jure competente qvæstio, positio aut assertio fit, audias facultatem aut potentiam dominicam, patriam, conjugalem, tutoriam, Imperatoriam, Majestaticam, Magistratus, Judicis &c. Sed talium omnium vel potestatem, vel jus, dici, voce potestatis qvasi alteri facultatis differentiæ, qvâ legitima est, usu appropriatâ; verbô autem, juris, sub causæ denominatione, differentiam eandem manifestè exhibente; ita ut genus facultatis simul includat; eoqve qvasi genus cum differentia, h. e. definitionem, cujus potestas definitum est, in ore gestare aut parturire videatur. Nec igitur ulterius dubitare licet, qvando facultas illa agendi, qvæ potestas est, *legitima* nobis dicitur,

hoc fieri ad ponendum essentiale differentiæ, qvô illius ut generis latitudo ad speciem retrahatur, & ipsa species ut opposita aut diversa statuatur ab altera, qvæ naturalis seu facti est, facultate. Simulqve patere poterit tum ex proximis hisce, tum ex superius (a) dictis, eandem differentiam à causa efficiente seu conformante activæ facultatis, jure seu lege scil. esse desumptam.

(a) lib. 1. cap. 4 inf. lib. 2. cap. 1. pr.

IV. Videtur autem omnis potestas vel libera esse seu arbitraria, vel officiosa seu cum necessitate expediendi conjuncta; & illa rursus vel libertas in specie sic dicta vel dominatus seu potestas dominans. Deductâ priori distinctione à gemina virtute juris eam conformantis, posteriori ab accidente eventus aut conseqventiæ. Licet enim potestas omnis ut jam cap. præced. & ante lib. 1. est commonstratum, ex jure permissivo, seu ex virtute legis permissiva est; alia tamen est ex permissione seu concessione legis merâ primariò, alia verò qvasi secundariò, ex illa permissione, qvæ præceptioni legis conjuncta atqve conseqvens est, cumqve præceptiva juris virtute, tanqvam, capite suo in medium protrahitur. Prior illa videtur dicenda libera, posterior officiosa. Libera illa ideò, qvia illud propriè solemus dicere liberum, qvod citra ligamentum, citraqve necessitatem est propendendi ad alterutrum oppositorum, deligendiqve; qvomodo voluntas nostra libera, arbitriumqve liberum dicitur, qvô possumus deligere, seqvi atqve amplecti bonum (versor in civilibus) vel non amplecti; atqve iterum vel deligere malum, vel etiam idipsum mittere ac non eligere: qvô etiam ex ipso genere bonorum itemq; malorum alterum præ altero eligere aut repudiare qvimus v. g. hanc fœminam in uxorem, hunc agrum eqvumve emendum, aucupium vel sartoriam, vel qvodcunqve aliud vitæ genus pro qværendo victu: atqve ita hominem qvoqve liberum, animalia libera potissimum sub hac consideratione dicimus, qvatenus pro isto suo libero arbitratu agant, qviescant, aut vagentur, neqve vinculo aut limite necessitatis ad hoc aut illud, sive ad alterutram qvandam (ut loqvimur) partem contradictionis sint constricti. Jam verò, qvæcunqve ex mera juris permissione sunt; sive, ut in specie proposita loqvar, qvæcunqve ex mera illa permissione nobis potestas est agere, illa utiq; talia sunt, qvæ qvantum

rum ad jus, æqvè agere ac non agere aut omittere possumus. v. gr. cum nec imperatum mihi nec vetitum, sed permissum est, manum modò attollere; similiter domino, servum jubere, ut se seqvatur, servum retinere in servitute; cuiqve acqvirere sibi beneficium: nemo non videt, seqvi; licere qvoqve manum non attollere, servum non jubere, eundem manumittere: & nec beneficium acceptare. Atqve hæc ita qvidem necessario se habent, qvia permissionis meræ sunt, h. est, neqve imperata jure neqve vetita, utpote, cum ex his demum, imperio scil. ac prohibitione juris necessitas sit. A qva igitur, qvia, qvæ ex solâ permissione directò potestas est, immunis ac libera existit; hæcce meritò libera erit dicenda, idqve præ altera, cujus exercitium ex jure præceptivo simul necessitatem officii habet, cujusmodi est potestas glorificandi DEUM, diligendi proximum, tuendi pupillum, alendi familiam, tutandi bonum publicum, homini, tutori, patrifamilias, Magistratui: Scilicet & hi actus qvod lege exerceri jussi sunt, non possunt non jure qvoqve esse permissi, ne jussio sit inanis futura; Unde etiam fortassis aliqvo saltem respectu talium potestas jure libera poterit appellari, qvatenus nimirum impedimentum legis illa non habeat. Tametsi, qvia non æqvè ut prior illa, anceps hæc potestas est; sed propter præceptionem necessitantem, ad unam partem determinata, ejusq; exercitium alteri oppositorum obstrictum est; Communiter autem ea, qvæ talia aut talis facultatis nostræ sunt, officii nostri solent putari diciqve, prout abundans testis est Cicero per totum qvem de officiis elaboravit tractatum, aliiqve: haud incommodè videatur fieri, si, ut illa qvę ex merâ permissione potestas est, libera & arbitraria; hæc, qvæ præcepti necessitate urgetur, officiosa dicatur: utpote, qvæ expediundo officio cujusqve occupata est. Utramqve in l. 21. C. Mandati Imp. Constantinus junctim pulchrè insinuat hisce in verbis: *Suæ qvidem qvisq; rei moderator atq; arbiter- negotia- pleraq; ex proprio animo facit. Aliena verò negotia exacto officio geruntur.* Cæterum de potestate officiosa, & si qvæ aliæ sunt potestatum distinctiones aut species, qvas proxima tractatio non exhaurit, reliqvæ, inferius pauló amplius & collectim erit dicendi locus. Nunc eam qvæ libera est porrò prosеqvemur, ita tamen, ut, si qvid & hu-

jus speciebus, officii conjunctum sit, id pariter, ubi commodum erit visum, indicemus.

V. Libera potestas; qvam ab arbitrario possessoris ejus seu usurpantis delectu etiam arbitrariam, itemqve electitiam dici non obsisterem; à conseqventi accidentaliqve eventu, ut modò dictum est, distingvere sese videtur in libertatem in specie dictam, & potestatem dominantem, aut si tolerare qvisqvam vocem in hac generalitate posset, dominatum sive dominium. Nempe tametsi omnis cujusqve legitima facultas videatur esse qvomodolibet *in aliqvid rei*; attamen, ut notabilem aliqvam diversitatem considerationis videtur admittere, qvatenus vel in ipsum aliqvid rei est, & qvatenus à juris *impedimento vacat* liberataqve est. Qvo qvidem posteriori respectu, nisi multum fallor, propriè libertas dicitur; licet citra absurditatem, eadem potestas alio intuitu etiam dominatrix dici qveat. Qvippe vacare impedimento ac gravamine, propriè est liberum esse ac libertate frui: sive potestatem actionemve ex illa, ut reflexam in aliqvid objecti, sive qvomodocunq; abstracto modo in animo concipias. Qvin libertatem potestatemqve liberam, ex alio respectu potius, qvàm eo qvi est reflexionis in qvid dici; & qvidem ex eô, qvô & qvatenus obstaculô ac prohibitione potestas caret, argumento qvoqve est, qvod ut modò paulò ante innui, etiam ipsi officiosæ potestati hæc denominatio, eô qvidem intuitu, nõ videatur penitus adimenda; nemo enim dubitabit adserere, liberum esse cuiq; agere, aut liberè posse, imò debere posse id, ad qvod ex officio tenetur v.g. Rempub. pupillum tueri, curare suos, solvere debita: etiamsi propter adjunctum necessitatis onerosum itemqve defectum, contradictoriè eligendi, ad eam ἀκμὴν hæc ab impedimento liberatio qvalitatem hanc non provehat, ut maximè propriè libertas dici mereatur, aut persona affecta inde sese liberam gloriari valeat: nemo enim qvia officium qvis suum, & id qvod necessariò tenetur, facere potest, eum inde temerè laudabit, ut liberum, nec libertatem suam exinde alter jactabit aut venditabit, nisi ipse ille respectus fortassis in qvæstionem cadat. Ex qvibus hactenus qvasi in antecessum videtur fluere, eam potestatem libertatem propriè esse, qvæ citra juris necessitatem, h, e. arbitraria est, & qvi-

qvidem qvatenus eadem tali impedimento caret; liberos verò qvi eâ qvatenus tali præditi sunt. Sed patebit de natura libertatis plenius, ubi observaverimus, qvomodo eam nobis describunt viri sapientes.

CAPUT III.

De Libertate.

I. Libertas est vivendi ut velis

II. Potestas.

III. Corpus libertatis, qvod pluralitas permissarum à lege facultatum est, magis & minus potest ac solet esse grande.

IV. Libertas, qvalitasq; servilis in uno possunt concurrere subjecto.

V. Id qvod probatum reddunt etiam illi justi definitores, qvi in personis maximè obnoxiis, residuum aliqvod libertatis adhuc & restringere & laxare satagunt.

VI. Mensura libertatis, permissio, termini, utraq; praeceptiva legis virtus est.

VII. An vera libertas etiam vi terminetur?

VIII. Libertas alia est facultatis arbitrariè agendi, alia vacantiæ onerosorum.

IX. Hæc instar basis, partis itemq; ac termini est illius.

X. Libertas bonum est hominibus & maximè dignationis & carissimum:

XI. Resq; maximi favoris in vita.

I.

L*ibertas* Ciceroni (a) *est potestas vivendi ut velis* Florentino JCto, (b) qvem seqvitur Justinianus Imp. (c) *naturalis facultas ejus qvod cuiq; facere libet, nisi si qvid vi aut jure prohibetur.* Utraqve positio elegans est, & rei, qvam proponit, naturam pulchre definiens; idem etiam effectu penè dicens utraqve nisi

(a) 5. paradox.
(b) l. 4. ff. de stat. hom.
(c) § 1. J. de jur. person.

nisi qvod strictior sit alterâ, & fortassis etiam ad legem definitionis paulò concinnior. Altera verò declarationi rei subjectæ incumbat magis. Prudentibus autem ita utraqve est adamata, ut ambigas, qvænam calculis potior sit. Rem ipsam verò qvod attinet, ambæ in specifica subjecti essentiâ, arbitrium voluntatis designant; neqve enim re qvicqvam videntur differre: vivere *ut velis*; & *qvod libet* facere: sensu ac respectu, qvô dixi, libertatem à potestate dominante differre; nempe qvô animi nostri destinatio voluntatisve delectio, ad rem actumve delectum procedendi, non sustineat extrinsecus impedimentum aliqvod, aut prohibens aliqvid reprimensqve. Et eò amplius, qvatenus nec ligata eadem animi electiva facultas ad unum est, qvò minus ad alterum etiam contra positum abire; idem scil. qvod facere, etiam omittere possit, & qvod velle, nolle; juxta illud JCti *(a) Ejus est nolle* (ita vulgata legit; Florentina verò *non nolle*) *qvi potest velle.* Cui adstipulatur illud Philosophi 5. Eth. c. 1. δύναμις καὶ ἐπιστήμη δοκεῖ τῶν ἐναντίων ἡ αὐτὴ εἶναι, *facultas, ut & scientia eadem contrariorum videtur esse.* Et per hoc qvidem libertas genere distingvitur ab officiosa potestate, qvâ qvi pollet, velle qvidem etiam debet posse sine obstaculo, sed ita tamen, ut hoc, non etiam contrarium aut contra factum possit. Unde adeò & illud est, qvando eidem Jurisperito *(b) velle non creditur qvi obseqvitur imperio.* Deinde verò utraqve definitio & objectum potentiæ, voluntatisqve arbitrio, diversâ licet phrasi, idem ponit: *Qvid facere scilicet*, juxta qvam habet ipsâ verborum figura posterior, intellectu, ut opinor, vocis, eô generalissimo, qvô sæpius, imprimis verò lib. 1. cap. ult. descripta nobis exhibetur. Cui prorsus & significatu, & amplitudine significandi, conspirare videtur, qvod in altera est *vivere*, sive vivendi ut velis facultas. Nempe de vita morali hominis istud vivere accipiendum esse, vel ex eo liqvet, qvod, juxta qvam ex potestate, ac secundùm arbitrium voluntatis humanæ procedit, exerceturqve, proponatur: talem autem vitam activam esse, inqve faciendo, modò jam annotatô, consistere, civilis moralisqve sapientiæ studiosis comprobatissimum est, connotante id philosophorum principe, 9. Eth. c. 9. ubi, τὸ ζῆν, vivere, hominum communiter definiri refert, δύναμιν αἰσθήσεως ἢ νοη-

(a) l. 3. de R. J.

(b) l. 4. d. t.

ἢ νοήσεως; ἡ δὲ δύναμις εἰς τὴν ἐνέργειαν ἀνάγεται; τὸ δὲ κύριον ἐν τῇ ἐνεργείᾳ facultatem sensus atqve intellectus, cedentem provectamve in operationem; in qva ipsum præcipuum vitæ consistat. jam autem energiam sive activam vitæ rationem, tolerativam itemq; negativam, ut ita dicam, seu omissivam æqvè esse, ac effectivam, satis ante declaratum est. De facultate vivendi faciendive ut velis, aut lubet, pro describenda libertate etiam Aristotelis est illud lib. 5. pol. cap. 9. relatum ex Euripede dictum τὸ ἐλεύθερον δὲ δοκεῖ εἶναι, τὸ ὅτι ἂν βούληταί τις ποιεῖν. Item εἰ ἕκαστος ζῇ ὡς βούλεται, καὶ εἰς ὃ χρῄζων.

II. Absolvit rem Ciceroniana nostra concinne admodum, posito genere proximo libertati, qvod est *potestas*, virtute significationis complectens, ut opinor, qvæ Florentino *naturalis facultas jure non prohibita* aut faciendi cuiqve ejus qvod jure non prohibetur, dicuntur. Scilicet esse libertatem ex genere facultatis potentiæve, ejusdemqve naturalis, seu qvatenus natura eam vim homini communicavit, indubium est, dum extra naturalem cujusqve, inditamqve à meliori natura cuiq; potentiam, libertatem ejus qværere, esset impossibilia fingere, dum qvicqvid cuiqve hanc extra est, eidem qvoqve impossibile est, extraqve metam actionis, & per conseqvens agendi libertatis: ita qvidē, uti nec qvoad impossibilia liberum hominem vel non liberum dicamus, prout nemo, non aut minus liberum aliqvem dicet, qvia volare, aut digito cœlum tangere neqvit. At qvi potestatem dicit, ejusmodi qvoqve naturâ inditam potentiam dicit. Certè aliter non vult eam explicari aut intelligi, qvà genus & qvasi materiale suppositi. Sed & formale insuper specificum, qvi potestatem appellat, eodem charactere comprehendit, carpens nempe ex communi genere speciem, qvando vi propria hujus vocis, naturalem facultatem cancellis legum circumdat, qvippe potestatem, facultatem legitimam definiri debere, cap. præced. ostensum est. Pulchrè igitur omninò genus libertatis nobis definivit orator: qvibus tamen planè, si non unici verbi notâ, saltem pluribus, & omninò paritate sensus, geminus voluit esse & JCtus, qvando liberalem isthanc facultatem ita circumscriptam exhibuit, qvatenus juris prohibitionem non habeat, id qvod

in hoc genere nihil aliud est, qvàm legitimum seu lege permissivum esse.

III. Delineatâ hoc modo breviter libertatis essentiâ, duo circa eam videntur porrò maximoperè attendenda: corpus, qvatenus legitima ipsa est, & terminos ejusdem. Corpus libertatis (qvod liceat appellare qvalemcunqve plurium actionum facultatem, aut plurium facultatum agendi congeriem, vix enim alicui ex tali non constans libertas existet) qvia formam ipsam specificam totam capit ex legis permissione, (jubere enim & vetare legis, non est libertate donare, sed astringere & obligare) tantum utiqve erit, qvanta ipsa permissio est, semperqve illa ad hujus se habebit mensurabitq; mensuram. Unde adeò porrò seqvitur: qvia permissio legis pro circumstantiarum varietate varia est, variorumqve actuum, laxior strictiorqve, plurium pauciorumqve actionum, ipsum qvoqs corpus libertatis hoc modo hominibus diversimodè fore constitutum. Proindeqve fieri, ut alii multâ magnâqve gaudeant libertate, alii minori & paucâ admodùm: forte autem nemo hominum non aliqva. tametsi qvorundam ita in angustum cogantur copiæ, ut nomen liberorum usu amittentes, ob plurima & maxima, qvorum liberam potestatem non habent, jureqve gentium aut civitatis prohibentur, contrariam appellationem communiter subeant, dicti servi homines. Prout hoc ita fieri vulgò perqvàm notissimum est. Ex qvibus porrò videri possunt hic notabilia: primum in genere plurimum esse hic circa modum libertatis attendendum illud *magis & minus* dialecticorum, qvod universæ qvalitatum classi, qvò libertas etiam pertinet, appropriant: fieriqve exinde posse, ut aliqvis sit, maximæ, absolutissimæ, imò infinitæ, cum simili potentia, libertatis, faciendi, ordinandi, mutandi pro beneplacito suo omnia. Cujusmodi tamen libertas, ut soli qvidem Deo verissima, ita de eo qvoq; per sacra oracula decantatissima est: (a) Et accidere deinde, ut observare id est penes homines, horum libertates in maximâ graduum differentia positas posse esse, dum alii longè maximæ atqve absolutissimæ existunt libertatis, veluti domini terrarum ac civitatum absolutissimi qvi sunt; medioximæ alii, uti sunt, qvi nulli familiari potestati, herili videl. paternæ aut simili sunt subdi-

(a) Psal. 115. 3. Job. 9. 5. seqq. Dan. 2: 21. Prov. 21. 1. Eccles. 3. 15. Jer. 27. 5. Matth. 11. 25. Philipp. 2. 13.

ti, sed sui, ut dicimus, juris, sui privatim arbitrii; Alii minimæ, uti sunt qvos servos jure gentium appellamus, filiosqve familias & ejusmodi reliqvos.

IV. Deinde notandum videtur: libertatem qvoad essentiam suam non habere contrariam servitutem, eô modô ut non possint in eodem subjecto simul stare, & aliqvis non qveat sua aliqva libertate frui, ac pariter sub aliqva servitute aut libertatis carentiâ ingemiscere: ita qvidem, uti modô, pene pares sint utraqve illa qvalitas, modo verò hæc, modo etiam altera præpolleat. Intellige tamen hæc diverso respectu actionum passionumqve. Et certò qvidem ita esse testantur exempla hominum, qvos de servitute deqve libertatis suæ jactura affatim sæpius conqveri audias, qvibus tamen fortassis in una atqve altera facultatis specie, ritus v. g. suæ religionis publicè exercendi, tributorum aut aliorum qvorundam onerum haut evitandi, tyrãnica lege libertas tantùm sua imminuta est; cum de cœtero tamen longè plurima libertate, potestateqve vivendi ut velint, gaudeant, ac propterea, extra isthunc respectum, imô simpliciter loqvendo liberorum appellatione prorsus cluant. Ita tamen hoc, ut vicissim negari non possit, qvin habito, ad istam carentiam, onerisqve supportandi necessitatem respectu, revera alicujus qvoqve servilis sint conditionis. exemplum in hujusmodi facile apparet eorum, qvibus utraqve qvalitas, libertas nimirum servilisqve conditio simul adest, præpollet autem libertas. Mediam qvodammodo, & in æqvilibrio positam putes utramq; qvalitatẽ, in addictè admodùm regnatis hominibus, sub imperio multum tyrannico. Libertatis autem defectum æstimes plurimum, in ante memoratis & jure gentium, & jure civitatis factis, & communiter qvasi κατ᾽ ἐξοχὴν dictis, servis, constrictisqve per maleficia sua, alisqve, proprio etiam facto, conventioneve, strictiori nexu innodatis. Qvibus tamen omnibus, qvomodocunq; maximâ ac vehementissimâ necessitate nexuqve pressis, existimem, non posse non, dùm qvisqve eorum vivit ac vescitur aurâ, aliqvam saltem adhuc partem libertatis superesse. Ponas, qvod manum attollere, aut pedem movere servus à domino prohibeatur, habebit adhuc facultatem, ejus implorandi humanitatem, qvam, dominos servis, ut hominibus,

(a)Aristot.8. Eth.c.11.

debere gentiles qvoqve perspexerunt. (a) Sed qvid, si miser sub truculento domestici tyranni imperio contortus, ne mutire qvidem ausit; ecce, spiritui tamen ejus dixeris, libertas superest, ad Deum vindicem iniqvitatis appellare. Nec fortassis parvum auctoramentum libertati universæ est, libertas animæ cuiqve à Deo indita talis, ut etiam nulla externa vi penitus qveat deleri; ita ut in omnibus ac singulis hominum, si non conspicua libertas, saltem libertatis aliqva radix non qveat non residua manere. Utut nomine libertatis vulgò hæc non veniat, nec inde homines liberi vocitentur; sed ob pondo servitutis, præponderans, potius servi, & tanqvam libertate destituti habeantur.

V. Notabilis hic est interpretum juris scrupulositas, circa qvalemcunqve illam sive libertatem sive facultatem naturalem, qvæ superest illis, qvi etiam aliàs addictissimè alienæ potestatis jugo naturali simul gentium atqve civili jure submissi, eòqve qvàm maximè privi propriò arbitriò ac libertate habentur atqve utiqve sunt. Qvando & aliqvid naturalis libertatis jure legitimo illis superesse ostendunt, speciesqve ejusdem notant; & præterea multum sollicit sunt, qvomodo præterqvam, qvod jam ante illud facultatis residuum ad angustos terminos à potestate imminente redactum est, ejusqve juribus qvasi captivũ ducitur, idipsum tamen magis adhuc sanctionibus legitimis innodant. Ita priori speciei censeri possunt pupilli (lubens sileo, qvos mitius constringens vinculum laxiores tenet) qvos etiamsi & natura potestate bene judicandi destituit, eoqve ut affectibus deditos, Cicerone judice (b) serviles hactenus reliqvit, & lex potestati tutoriæ subjecit: iisdem tamen sine authoritate tutoris meliorem conditionem suam facere licere illi concedunt, contrahere item & alios contrahendo obligare, (c) acqvirere sibi stipulando & per traditionem accipiendo. Filiifamilias, iisdem adstructoribus, utut arctissimo imò tenaciori dominicô vinculô, patribus obnoxii civili lege olim habebantur, (d) libertatem habuerunt consentiendi vel non consentiendi in adoptionem sibi factam, in dationem, in adoptionem, emancipationemqve paternam, (e) in nuptias, in sponsalia etiam filiæ (f) vel citra crimen ingratitudinis, aut gravius castigandæ inobedientiæ.

(b) paradox.5 (c) l.9.ff. de auctorit.tut.pr. J.eod. (d) §.6 J.qvib.modis patr.potest.solu. Cai. 1. Instit.t.6. (e) l.5. 6.11. de adopt. §.7. J.eod. §. 8. qvibus modis jus potest. solu. (f) l.2. de nupt. l.7. §.1. de sponsalib.

tiæ. (a) Contrahere qvoqve & contractu se obligare filiusfamilias ex omnibus causis præterqvam ex mutuo, potest (b) peculium castrense administrat deqve eo disponit liberè (c). Servi deniqve, illi rigidissimi nexus homines, iisdem à prudentibus, non utiqve jure naturali pro nullis habentur, (d) qvin tales qvi & ipsi obligationem aliqvó eventu efficacem contrahere eodem jure possint (e) alimenta à dominis sibi relicta ex æqvó deposcere (f) &c. Ita illi ab hac parte. Ab altera verò iidem qvoqve prudentes, homines serviles multumqve obnoxios, etiam magis videri possunt obstrictos reddere, qvando ultrà censurà proprii nexus hosdem constringunt, levius licet ex contractibus ipsorum, (g) vehementius autem ex delictis, (h) in tantum, ut in qvibus atrocitas facinoris vel sceleris, ut illi loqvuntur, subest, repugnare etiam mandato dominorum, severitate coercitionis eos adigant. (i) Qvod utiqve in vanum esset futurum, si nullum tali in casu propriæ voluntatis arbitrium legislator in ipsis adhuc præsumeret: & per conseqvens etiam aliqvod adhuc libertatis corpus apud homines minimè liberos observaret. Obiter notari potest, videri ex his fluere, ac si compositio sive conjunctio utriusqve definitionis, libertatis nimirum & servitutis non satis cautè & in loco à juris Romani compilatoribus, facta sit, (k) si qvidem, eó respectu, ut videtur apparere ex superposita divisione personarum in liberos & servos, id fecerint, qvasi contrariè oppositæ illæ sint, eoqve ex subjecto sese mutuo pellentes, nec inibi compatibiles. Qvę qvidem incôcinnitas vel maximè inde videtur apparere, qvod libertas hic definiatur respectu potissimũ habitó ad arbitrii non impediti indifferentiam; servitus autem intuitu ac relatione ad dominium. Tametsi hoc interea negari non debeat, servitutem, qvam dicunt, libertati tamen esse perditè inimicam, ac pro suó, qvo invaluit modó, ejusdem in eodem subjecto destructivam.

(a) per N. 115. c. 2. §. 11. (b) l. 39. de O. & A. l. 57. de judic. §. 6. J de inutil. stip. junct. f. ad SC. Maced. (c) t. 1. de castr. pecul. (d) l. 32. de R. J (e) l. 14. de O. & A. (f) l. 17. de alim. leg. l. 113. §. 1. de legat. 1. (g) per d. l. 14. de O. & A. (h) d. l. 14. l. 4. C. an serv. pro suo fact. l. 14. §. 4. de accusat. l. 1. §. 8. de his qvi effud. (i) l. 157. l. 67. §. 1. de R. J. l. 4. & 8. C. de vi pub. (k) d l. 4. de stat. hom. §. 1. & 2. J. de jur. pers.

VI. Termini veræ cujusq; libertatis, hujusqve corporis, nisi plurimum animo fallor, iidem sunt, qvi sunt ejusdem causæ ac mensuræ, puta permissioni legitimæ termini: jussus nimirum, ac prohibitio, verbo, vis præceptiva legis. Qvicqvid enim mensuræ terminus, simul etiam est terminus mensurati. Permissioni autem meræ ac primæ legis, ut mensuræ justæ libertatis, præceptum h. e.

jussum seu prohibitionem juris terminum esse, vel inde liqvet, qvod medium est permissio, permissumqve, inter jussionem, & prohibitionem, inter jussum & prohibitum; medium verò clauditur qvasi ac terminatur ab iis, qvorum est medium. Qvin si, qvod disertè permissum tantum est, describere vis, necesse habebis ab utroqve extremo, illud disterminando describere, nimirum, id hoc esse, qvod neqve jussum neqve prohibitum est. Dico permissum tantum; (hoc autem tantum veræ arbitrariæ libertatis causam & mensuram dixeris) excludens illam permissionem, qvæ præcepto omni comes conjuncta est, & supra fuit notata. Sed qvomodo dixerit qvis, à terminatione permissionis, facta à præceptione, pervenitur ad terminationem libertatis? dixi permissionem eam, qvæ subjecto alicui magis mera est, mensuram esse libertatis, qvippe qvod in qvantum permissum est, non verò ultra, ulla potest fingi potestas libertasqve: sed illam, ut modò dictum est, terminat utraqve præceptio. Seqvi igitur putem, qvod proponebatur. Qvia proximius etiam per effectum proximum præceptionis, ad idem in promptu est pervenire; qvando nempe lex, qvatenus præcipit, necessitatem inducit: necessitas autem qvod contra positum ac terminans libertatis sit, ambigit nemo. Mirare, sis, prudentiam conditoris, duas illas præceptivas legis facultates ita permissioni utrinqve constituentis ut eam tanqvam amicam multâ libertate gravidam cautè amplexari videantur, ac sustinere, ne qvoqvò versum ipsa labatur, ac injustæ fortè licentiæ abortum faciat. Arbitrium naturale si ad potentiam naturâ datam, omnimodò interminatum h. e. liberum esset, ad omnia utrinqve sese applicandi, in proclivi foret ut duo seqverentur incommoda, pulchritudinem universalis symmetriæ deformatura, prout neglectis terminis hæc etiam seqvi solent: nempe, aut omitterentur pro isthoc fine facienda, aut fierent omittenda. qvid enim obstaret, uti qvi omnia æqve possit & facere & omittere, nullâ necessitate legis circumdatus, toties laberetur atqve rectè incederet. Ecce hic tibi sapientiam ordinis, qvo conditor rerum sui simulachri pulchritudinem singulis hominum in ipsa hac libertate conservat, utriqve tamen isti inconvenienti pro congruitate ad universum, pulchrè consulit; dum usqve-

qveqvo permittit nobis agere, qvæ possumus, liberè, itemq; omittere: de cætero, jubendo vetandoqve nos constringit facienda facere, nec omittere; omittenda omittere nec facere: dum utrinqve libertatem nostram, ne vel resiliendo, vel prolabando justitiæ campum excedat, perqve circumjacens vagabundum naturalis arbitrii planum in injustitiæ incongruum proruat, cohibet, suæqve dignitati ita conservat, ut tanqvam intra cubile nobilis justitiæ ingenua sit, ac ortu nobilis libertas, non libertina ac spuria ex impuro injustitiæ thoro turpis producta licentia: Atqve hi limites illi sunt legitimi libertatis legitimæ, hæc libera illa legum servitus, legibusqve serviens libertas, ex qva verè sumus atqve dicimur liberi (*a*).

(*a*) *Cic. pro Cluent. Imp. §. 1. J. de jure person.*

VII. Unum nobis adhuc memorandum scrupulum in definitione h.e. circa essentiam libertatis, in sua illa memoratâ positione, cætera Ciceroni par, exhibet Florentinus, qvando juxta legis prohibitionem vim qvoqve libertati apponit, prohibentem: id qvod speciem fert, ac si æqvè hæc atqve illa circumscriptiva sit libertatis. Et fortassis, tanqvam in confesso poneret qvis, *vi* libertatem mirè solere coërceri, & in tantum qvidem, ut etiam homines qvidã sola violentiâ cõstricti, & sibi ipsis & aliis facile videãtur perdidisse omnem libertatem: qvomodo enim unqvam liberũ judicaret, aut diceret qvisqvam, constrictum qvadrupedem, pistrino alligatum, repagulis ferreis, spiculis fistulisqve igniglobivomis circumseptum. Imò forsan negari minimè debet, hactenus qvemq; re libertate demum uti, actuq; liberum esse, qvatenus hisce ac hujusmodi violentiis libertas ejus non reprimitur; de cætero libertate carentem, ac non liberum, aut etiam, si qvis ita malit loqvi, servum dicendum esse, similitudine, qvâ vincti in ergastula, pœnasq; alias, servi pœnæ appellantur. (*b*) Unde adeò forsitan hactenus rectè observavit JCtus, qvalecunqve facultatis naturalis existens corpus re & actu libertatem h.e. vivendi ut velis potentiam esse, qvatenus ut non jure ita nec vi circumdatum sit terminatumqve: eò, qvod non minus vis qvam lex eandem potentiam actu terminare ac non liberam reddere valeat, imò fortè magis qvia legis virtus svasoria, & ad summum minax tantum sit, violentiæ autem robur impetuosum cumqve impetu factivum; qvia illius limites transilire possibile:

(*b*) *§. 1. J. de cap. minut.*

bile sit, hujus autem, siqvidem potentior est, impossibile. Verum, utut hæc ita sint, qvod plenè atq; absolutè liber aliqvis demũ haberi possit, qvatenus & lege & citra impedimentũ facti liber est; qvandò tamen libertatem in genere potestatis facultatisqve legitimæ collocamus, ejusqve adeò & formale esse & terminum, legi acceptum ferimus, hactenus utiqve, qvoad esse nimirum suum, legitimum verum, facti violentiâ videtur illa nõ esse delebilis: qvomodo enim competentia juris, qvoad esse, violentô factô poterit impediri aut extingvi? utut fortassis largiri oporteat, exercitium juris libertatisqve facto posse impediri, eòqve potestatem juris ab hac accidentali suâ plenitudine, qvâ simul etiã exercitii seu facti est, facto qvoqve posse præpediri qvidem, non autem qvoad essentiam suam qvâ legitimæ competentiæ est, tolli. Cui argumento qvoqve sunt qvęrelæ ac prætensiones eorum, qvi fortè injuriâ contra libertatem premuntur, fundari solitæ à pressis, non in libertate qvam habuerunt olim, sed eà, qvam adhuc sibi esse sibiqve competere asserunt, v. g. suo more citra dominicum imperium vivendi, eundi, ambulandi, tributa non solvendi &c. In qvod etiam conspirant Jureconsulti, in casu captivitatis, eô videl. qvô citra jus gentium, meri violenti facti detentio illa est, statuentes: (a) à piratis aut latronibus captos, liberos permanere, servos latronum non esse, nec proinde postliminiô opus habere. Qvod si verò qvispiam urgere velit, etiam ipsam facultatem facti seu exercitii, qvam dixi, videri qvandam qvasi partem libertatis, qvatenus legitima illa est; qvia vel eò etiam lex simul intendere, cumq; competentia adeò simul licentiam exercitii indulgere videatur: fortè non sine exemplo foret, admittere, libertatem legis, etiam per violentiam facti aliqvo modò hebitari posse; utpote cum etiam JCtis phrasis illa non incognita sit, qvâ & ipsis, qvi re atqve natalibus liberi sunt, servire; item libertati, ingenuitati, natalibus, restitui dicuntur. (b) Imo tandem non repugnandum qvis putaret, aut negandum, qvod in hoc etiam, Ciceroniana, cum JCti definitione, conspiret: qvando plena potestas vivendi ut velis, tibi haud videatur esse, donec vi prohibearis. Sed de his amplius cogitandum.

(a) l. 19. §. 2. l. 24. l. 21. in f. de captivis & postlim.

(b) §. 4. J. per qvas pers. cuiqve acqvir. l. 1. de natalib. restit. l. 4. C. de ingen. l. 1. C. de adsert. toll. &c.

VIII. Præter hæc, de libertate videtur notandum esse ulte-

s,

rius, eandem, prout communiter accipimus, vel facultatis agendi; vel vacantiæ onerosi: sive ut aliter dicam, vel positivam actionis vel negativam passionis esse. Prior satis descripta est hactenus; posteriori verò sensu freqventer satis libertatem qvoq; sumi cernimus, tum in ipsa hac nominis specie, tum in conjugatis ejus: cujusmodi sunt liberare, liberum esse aut fieri &c. qvando v. g. libertatem nos obtinere prætendimus à tributis, metatis, hospitationibus, à muneribus realibus atqve personalibus aliis; qvando liberi dicimur à dominatu: liberati à vinculis, liberasse à jugo alios, à debito, ab obligatione &c. Ubi hoc qvidem notare est; hoc significatu non attendi adeò distinctionem legitimi & nec legitimi seu facti; sed simpliciter cujusvis onerosi, modo vacabile id est, vacantiam solere hisce dictis respici diciqve, æqvè vulgò insignitâ libertate, qvæ à subjectione legitimâ, qvàm qvæ à tyrannide injustaqve tribulatione est; qvæ à potestate patria, qvàm qvæ è manibus ac vi latronis est. Definires hanc libertatis speciem, aut hoc intuitu ipsam libertatem *ab onere vacationem*. Vacationem dico, usurpatâ aliàs voce, in specie munerum, onerumqve publicorum, (a) qvæ vulgo habentur, eam producendo ad illam, qvam præterea non videtur respuere, significationis generalitatem, dum vacare, vacuumve esse ab aliqvo, nil aliud videtur esse, qvàm id qvod hoc significatu est liberum aut non oneratum esse aliqvô. Per onus autem ut vel modò dictum est, intelligere erit, qvidqvid nobis oneri solet ac potest esse, v. g. munus, dominatus, debitum; sive jure sive injuriâ id nobis incumbat, modò tale sit qvô humana conditio carere possit, qvô enim non potest v. g. dilectione erga Deum & proximum, ejus, qvia nulla etiam per naturæ congruentiam est, dari utiqve potest vacatio nulla: nulla qvoqve ab ejusmodi vel fingi debet liberatio aut libertas. Species hujus libertatis pro numerositate onerosorum, à qvibus ipsa vacantia esse potest, innumeræ videntur; fortassis distingveres eandem, qvod sit ab onere vel naturali vel morali vitæ gravi; naturali, veluti stoliditate mentis, improbitate appetitus, morbo, labe corporis, insectatione ferarum ac simili: morali: & illo qvidem, vel in justo, veluti tyrannico dominatu, vexatione Diaboli & improborum hominum; vel justo sive eo

(a) *lib. 50. t. 5. ff. 10. C. t. 41. & seqq.*

qvod per se ex genere non injustorum est, puta omnis generis legitimâ in personas dominatione, civili simul atqve domesticâ. Illa vacantia, ferè liberationis aut alio cognato vocabulo magis qvàm libertatis communiter exprimitur: sicut & ex parte isthæc: qvia libertas propriè loqvendo penè in legitimis recensetur & de eo aliqvo, qvod legitimum est usurpari solet; unde igitur fit, ut hæc qvæ de onere aliàs communiter non illegitimo liberatio est, magis specifico qvodam libertatis nomine usurpetur, prout usu videmus freqventari in iis vacantiis ac immunitatibus designandis, qvæ sunt ab oneribus publicis, à civili aut à domestico dominatu.

IX. Non diffitendum est, hunc sive respectum sive speciem libertatis, qvæ vacantiæ ab onere est, instar basis ac fomenti esse alteri illi, qvæ est potestatis agendi qvod velis. ut enim nil magis inimicum libertati est qvàm fascis onerum, ita certè levatio ipsaq; vacantia onerosorum, qvò est amplior, eò in majori potentiæ latitudine ipsam libertatem agendi collocat. qvomodo extra dubium est, majorem libertatem ac longè plura liberius agendi potestatem habere, qvi à jugo patriæ, dominicæqve potestatis liber est, qvi privilegio gaudet, de qvibusdam non gestandis oneribus publicis; qvi ab ære alieno aut qvâvis præstandi obligatione liberatus est, qvàm qvi ita beatus non est: qvia nempe potest omnia ista, qvæ aliàs vi talis subjectionis facere tenebatur, omittere, v.g. solutionem, præstationem rei aut operæ &c. & qvæ prohibebatur, facere v.g. negotiari omnibus civilibus modis, deqve substantia sua prolubitu liberaliter disponere. Vel etiam videri posset, ipsam hanc distinctionem libertatis, qvâ in facultatem arbitrariè agendi, & vacantium oneris, puta legitimi imprimis, dispescitur, non tam generis esse in species essentiâ diversas, qvàm totius in partes, pro diversitate respectus: qvarum altera, puta vacatio onerosi qvasi antecedens ac basis sit alteri, nempe facultati liberè agendi; & vicissim hæc illius pro modo conseqvens. non obstante, qvod pro duplici illo respectu, qvasi diversa facie libertas sese soleat aprico offerre. Qvin, si ita malles, videri posset, habere sese hæc duo, ut rem ac terminum qvendam rei terminatum, utpote, qvod libertas legitima propriè videa-

videatur esse, & fimbrias suas qvasi extendere, usq; qvo onere legis non tenetur restricta repressaqve.

X. Si ullum vitæ humanæ magnæ dignationis bonum, & qvod carum hominibus est, datur; aurea sanè libertas in dignissimis habenda erit, habeturqve hominibus in carissimis. Patet sanè ex ante dictis, *(a)* in divinissimis eam esse, inqve iis, in qvibus præcipuus aliqvis typus imaginis ejus, qvi liberrimus est, in mortalitate prostet. Prudentes rem inæstimabilem vocitant, bonumqve infinitæ æstimationis judicant *(b)*: inde ulterius inferentes: libertatem nullâ posse lui pecuniâ; *(c)* liberum hominem non esse in humano commercio; *(d)* ubi de statu hominis controversia est, non posse ejus nomine judicatum solvi, aut de rato caveri, qvanti res est; *(e)* nec suam aliqvem posse vendendam præbere libertatem, si & emptor qvod agatur sciat: *(f)* saltem in pœnam sordium ac vilitatis tandem concessum esse, ut, qvi ignorante id emptore ad pretium participandum sese venundari passus est, libertate hominibus ingenuâ illâ, qvâ extra jugum herile ipsi existunt, privetur. *(g)* Qvod autem in carissimis hominibus habeatur libertas, nullô negotiô manifestum est, qvando in nullo se magis efferre, nihil dulcius, nihil jucundius sibi reputare homines videas, & qvô magis privari sese indignentur, qvàm ipsâ libertate; cujusq; obtinendæ ac recuperandæ ergò turbas, pericula, molestias maximas, subiri magis cernas; qvæ deniqve unicum ferè, à parte pressorum, publicorum omnium motuum & caput & finis est. Videas homines miseros, qvibus longè felicior posset status vitæ obtingere, si potestatem subirent aliqvam, sive domesticam sive civilem; magis tamen abhorrere libertatis suæ amissionem, qvàm mille incommodorum tolerantiam: putà, qvod molestius adhuc videatur, subdere animum liberum alteri, cui naturâ par is est, voluntati; & qvod nil videatur onerosius, ac magis ingenuitati liberæ mentis inimicum, ac onerosum, qvàm captivatô suô, alieno parere arbitrio: *omnes liberi esse malumus qvàm servimus*, ait ille apud comicum. Sentias sæpe afflictissimos mortalium, qvi tamen adhuc multum gaudeant in sinu de sua qvalicunqve libertate, & audias eosdem tales magnificè satis hoc suum bonum qvandoqve jactare. Fortasis hæc omnia ita;

(a) c. 3. h. l. b. c. (b) §. 7. J. qvi & à qvib manumiss. lib. l. 106. 176. §. 1. de R. J. (c) l. 9. §. pē. de stat. hō. (d) §. 2. de inutil. stip. (e) l. 8. §. 2. ratam rem haber. (f) per l. 7. §. 2. l. 33. d. liber. causa. (g) §. pen. J. de jur. pers. l. 5. §. 1. de stat. hom.

qvia videri poteſt libertas qvàm maximè nobis ſecundùm naturam eſſe, talibus enim plurimum ſolemus delectari, plurimumqve concupiſcere eadem; id qvod in cibo, potu, conjugio, ſanitate, prudentia, & reliqvis eò pertinentibus apparet contingere. Eſſe autem eam nobis ſecundùm naturam imò intimius naturalem, vel ex eo liqvet, qvod ſuperius memoravi, de radice ac fonte libertatis, animô hominis ſcil. cui facultas volendi libera in tantum naturâ affixa infixaqve eſt, ut, anteqvam deſtruatur humana compages, nullâ vi inde penitus evelli qveat. qvia ex ipſa & noſtri totius & membrorum conformatione elucet, motum liberum & qvandam agendi facultatem liberam nobis maximopere naturalem eſſe: indicant id greſſus, indicant membrorum aptitudo ad flexum, indicat vis abjiciendi evitandiqve oneris. Certè appetitum ad libertatem potestatemqve vivendi ut velis, nemo non ſibi ineſſe perſentiſcit, ne dicam in ipſis animantibus brutis pro ſua potentiâ & aptitudinem & affectum hunc libertatis pellucere. Notanter JCto (a) in ſpecie libertatis, qvæ ſervituti Juris gentium opponitur: *jure naturali omnes homines* (addit Imperator; (b) *ab initio*) *liberi naſcebantur*: incuſaturqve eadem ſervitus tanqvam qvæ *juri naturali*, intellige, prout initio res conſtitutæ erant, *contraria ingenuitatem invaſerit*. Obſervaſſe hanc qvoqve homini naturâ competentem libertatem, Impp. videntur, qvi, qvando videri voluerunt ſervilem characterem etiam ab ipſa usq; nativitate aliqvibus impreſſam ſeſe extingvere penitus poſſe, *reſtituere* ſeſe eos dixerunt *iis natalibus, in qvibus ab initio omnes homines* (putà liberi) *fuerunt*.

(a) l. 4. d. J. & J. (b) §. 2. J. d. J. N. G. et Civ. add. pr. J. de libertin.

(c) tit. de natal. reſt.

XI. Adnotationem meretur inſignis favor libertatis, qvo juris diſqviſitores plurimùm ſacris ſuis annotationibus eandem perſeqvuntur; non tantùm, qvoad ſpeciem, qvâ contraria ſervituti vulgò illa ponitur; ſed omnem; etiam qvatenus cum qvovis civili onere, obligatione, aut etiam dominatu confertur hisdemqve præfertur. *Libertas omnibus rebus favorabilior eſt*, JCto Gaio. (c) ſecundùm Ulpianum: (d) *Arrianus ait, multum intereſſe, qværas, utrum aliqvis obligetur, an aliqvis liberetur. Ubi de obligatione qværitur, propenſiores eſſe debere nos, ſi habeamus occaſionem ad negandum: ubi de liberando, ex diverſo, ut facilior ſis ad liberationem.* juxta Paulum (e) *Inter*

(d) l. 122. de R. J. (e) l. 47. de O. & A.

(f) l. 38. de re judic.

Inter pares numero judices si dissonæ sententiæ proferantur, in liberalibus qvidem causis (secundùm qvod à D. Pio constitutum est) pro libertate statutum obtinet, in aliis autem causis pro reo. Id qvod de reo repetit Gaius, (a) *Favorabiliores reos potius qvàm actores haberi* scribens: putà qvia actor reo onus ferè intendit, à qvo is se liberatum cupit. qvo etiam, qvæ ad rei præferendam liberationem, pertinet vulgatum illud, *satius esse nocentem absolvere qvàm innocentem damnare*: sive ut id exprimit Ulpianus: (b) *satius esse impunitum relinqvi facinus nocentis, qvàm innocentem damnare.* Item omnis ratio negationis, collata cum actione, qvâ *actore non probante reus absolvitur*; (c) *potior censetur causa possidentis qvàm petentis*; (d) *ex pacto nudo jure civili, cum non actio, exceptio tamen nascitur.* (e) facit, qvod cum inviti & citra nostrum consensum ab alio non possimus obligari: *& inviti* tamen *& ignorantes liberari possimus.* (f) Affatim autem imprimis & regularum & exemplorum & remediorum jura suggerunt, versantia in casu ac specie libertatis, qvatenus ea servituti domesticæ opponitur, inqve ipso casu vindicandorum hominum à jugo hujusdem servitutis aut dominii. Pauli est (g) *In obscura voluntate manumittentis favendum esse libertati.* Qvo in casu interpretationis pro eâ facienda, adhuc generalius est Pompinii hoc: (h) *Qvoties dubia interpretatio libertatis est, secundùm libertatem respondendum erit.* Qvin ex dicto Imperatoris: (i) *favore libertatis antiqvos legumlatores multa etiam contra communes regulas juris statuisse manifestum est.* Qvem præit Ulpianus JCtus, (k) ex cujus sententia *non ignotum est, qvod multa contra juris rigorem pro libertate sint constituta.* e. g. ut ad voluntatem unius communium dominorum servus liberari possit, altero domino jusso, contentum esse satisfactione dimidii pretii: (l) non obstante qvod aliàs nemo cogendus sit, rem suam alienare invitus: (m) *si qvis servo pignorato directam libertatem dederit, licet videtur subtili jure inutiliter relіqvisse, (servus enim pignori datus, anteqvam debiti nomine fiat satis, sine consensu creditorum manumitti non potest.* (n) & hoc, qvia alteri jus illud suum nec deterius reddere nec adimere potest alter.(o) *attamen qvasi & fideicommissariâ libertate relictâ, servus petere potest, ut ex fideicommisso liber fiat. favor enim li-*

(a) *l.125. de R. J.* (b) *l.5. de pæn.* (c) *l.4. C. de edendo l.2. ff. l.2.23. C. de probat. l. fin. C. de R.V.* (d) *d. ll. & §.4 J. de interd. l. 128. l 126. in f. de R. J. l.9. §.4. de public. act.* (e) *l.7. §.4 l. 21. in fin. de pact.* (f) *l.23, 53. de solut. l. 40. de negot. gest. l.8. d. novat. pr. J. de solut.* (g) *l.179 de R. J.* (h) *l. 20. de R. J.* (i) *§. fin. J. d. donat.* (k) *l. 24. §.10. de fideicom. lib.* (l) *§. 1. de donat.* (m) *l.6. C. unde vi §. fin. de his qvi sui vel al. jur.* (n) *l.4. 27. §.1. qvi & à qvib. manumiss. lib. non fiunt. l.3. C. de serv. pign. dat. manum.* (o) *per l. 14. de condict.*

libertatis ſvadet, ut interpretemur &c. (a) *ſervo legatô, eidemq; à legatario libertate dari juſſa; deficiente legatô libertas ſalva manet.* (b) *Ancilla libera eſſe juſſa, ubi primum marem pepererit. Parit ipſa primum gemellos, marem & fœminam, & habetur pro ea qva marem pepererit prius, eſtq; libera & ipſa & filia* (c). Plura iſtius irregularis favoris paſſim occurrunt exempla, (d) qvæ omnia memorare non attinet. Imprimis autem & ſpectatur iſte favor, in modis illis qvàm plurimis, qvibus civilium legum cautio æqvum putat, ut ex ſervitutis calamitate, regreſſus ad libertatem pateat; paucioribus contra admiſſis viis libertate excidendi. Ita nempe jus manumittendi & introductum & varia forma ac facilitate eſt ornatum. (e) qvâ in re notabilis eſt caſus, qvando etiam obæratis unum ſervum, ut neceſſarius hæres ipſis ſit, liberare permiſſum eſt, neglectô qvod in fraudem creditorum bona hoc ipſo minuantur: (f) qvando adſimulatur manumiſſioni liberatio & evaſio è manibus hoſtium, jure poſtliminii pro recuperandis omnibus priſtinis in civitate juribus proviſa. (g) pertinet favor ventris, aliqvo tantum momento liberi: (h) pertinent porrò plures cauſæ libertatis adipiſcendæ ergò excogitatæ, veluti meritum ſervi, tum publicum erga civitatem (i) tum privatum in manes Domini; (k) domini ſævitia neglectusqve officii circa alimoniam ac ſuſtentationem ſervi (l) juris dominici uſurpandi neglectio, (m) alia (n). Pertinet huc ſtabilitas inſuper libertati indita, ut, qvemadmodum ante etiam monui, ſicuti ingenua libertas vi aut errore ſuppreſſa ſemper proclamari vindicari qveat, (o) ita libertina qvovis modo ac juris ſpecie ſemel collata retrahi non qveat, ſine ſpeciali principis decreto. (p) Qvàm lentè autem in univerſum ad ſtatuendam amiſſionē libertatis procedant legumlatores civiles, facilè liqvet ex eô, qvod præter modū qvi ex jure Gentium captivitas eſt, (q) qvam adhuc colorare nituntur, qvaſi huma-

(a) d. l. 24. §. 10 de fideicom. lib. (b) l. 26. §. 6. d. fideicom. lib. (c) l. 10. §. 1 de reb. dub. (d) v. g. l. 19. l. 20. §. 3. d. ſtat. lib. l. 14. 16. C. de fideic. lib. l. 32. §. fin. & praced. ad L. falcid. (e) pr. §. 1. & ſeqq. J. de libert. & paſſim. (f) §. 1 qvi & ex qvibus cauſ. manum. non poſſ. l. 42. & ſeqq. de hæred. inſtit. (g) t. t. ff. & C. de captiv. & poſtlim. §. 5. J. qvib. mod. jus. patr poteſt. ſalv. t. C. de long. temp. præſcr. qvæ pro libert.

nius

(h) l. 5. de ſtat. hom. t. J. de ingen. (i) l. 2. & ſeqq. qvib. ſerv. pro præm. lib. l. 4. C. de præpoſ. ſacr. cubic (k) l. 1. C. pro qvib. cauſ. ſerv. pro præm. t. C. de SCto Claud. (l) l. 2. & 3. C. de infantib. expoſ. l. 2. qvi ſine manumiſſ. ad libert. perven. (m) t. C. de præſcript. qvæ pro liber. (n) l. un. C. de latin. libert. toll. (o) l. 7. de liberal. cauſa (p) l. 9. §. ult. & l. ſeq. de minorib. l. 7. pr. de dol. mal. §. 5. J. de eo cui libert. cauſa bon. addic. &c. (q) l. 4. de ſtat. hō. §. 3. J. de jur. perſ.

nius ſit, captivos ab hoſte ſervare ac ſervire facere, qvàm non ſervatos trucidare;) nullum facile admiſſum ire videas modum, homines in ſervitutem pertrahendi; niſi forte proprio delicto ſuo, ac propriâ vilitate, liber indignum ſeſe libertate reddidiſſe viſus eſt. (a) Conſenſum ſine dubio in hoc poſtremo habituri paradoxiſtæ, (b) cui omnes ſtulti omnesqve improbi ſunt ſervi. Simulqve adſtipulationem philoſophi, cui vulgus voluptatem affectusqve ſectantium mancipiorum eſſe ſimilimum, atqve pecudum vitam ſectari videtur. (c) qvibus & brevi manu adjungentur, qvos alibi (d) ob defectum prudentiæ ſibi proſpiciendi naturâ ſervituti natos idem autumat.

(a) §.1.J.de cap.minut.1.C.de SCto claud.§.4.J.de jur.perſon.l.1.C qvib. ad libert.proclam. non lic. (b) Cic.parad.5.(c)1.Eth.c.5.(d)lib.1.polit.

CAPUT IV.

De poteſtate dominante.

I. Poteſtas libera vel citra reſpectum ad certa rerum objecta conſideratur, & libertas eſt; vel cum eo; & dicetur nobis poteſtas dominans.

II. Poteſtas dominans eadem cum libertate qvalitas eſt; ſed cum reſpectu ad certa rerum ſubjecta.

III. Subjectum poteſtati dominanti exiſtere contingunt, omnia genera perſonarum & rerum, diverſo tamen pro ſua cujusqve diverſitate modo.

IV. Dubitatur, an omnis in qvid objecti poteſtas dominans ſit & dicatur commode.

V. Manifeſtè talis eſt ac dicitur, qvæ ſuperioris eſt in inferiorem, qvatenus talis in talem.

VI. Minus manifeſtò qvidem, reverà tamen etiam omnis in cæteras perſonas talis eſt:

VII. Non obſtante conditione, qvâ aliàs ii, in qvos illa competit, æqvales vel ſuperiores ſunt iis qvibus competit.

VIII. Præterqvam qvod in reſpectu humanæ poteſtatis ad Deum ſingulare qvid præter exiſtat.

IX. Po-

IX. Potestas hominibus competens in res dominans qvoqve est omnis. Et ita qvidem vulgò etiam audit ea, qvæ cuiq; in propria est.

X. Sunt verò, per homogeniam qvam cum dominio propriè dicto habent, etiam tales reliqvæ in res alterius alicui competentes, veluti possidendi, utendi re aliena &c.

XI. Observantibus id qvoq; per plerasq; species prudentibus.

XII. Res qvas nullius vulgò dicimus, utiq; communitatis alicujus, & per hoc pro suo cujusq; modo etiam hujus membrorum sunt.

XIII. Facultas singulorum acqvirendi sibi res dominii naturâ communissimi, qvo ad hos ipsum illud commune dominium aut aliqvid ejusdem potissimum est.

XIV. Sed modi hujusdem varietas probè conspicienda est.

XV. Non pugnat, qvasdam interea res nullius dici, & tales haberi, qvarum dominium aliqvod tanqvam nondum constitutum constituendum sit.

XVI. De potestatibus in rem multum remissæ dominationis.

XVII. Potestas qvandoq; dicitur & illa, qvæ facultas facti est.

XVIII. Potestas vel propria est, vel vicaria.

I.

Libera arbitraria potestas, ut etiam alterô abhinc capite memoratum est, duplici modô considerari potest; unô, qvatenus citra necessitatem & imperii & prohibitionis ita est ad unam partem, ut contra positam non excludat; sive qvatenus qvis aliqvid liberè per eam agere potest, ita, ut etiam idem non possit, aut diversum ab eô possit: alterô deinde qvatenus eadem potestas est *in aliqvid objecti*. Nimirum, etsi omnis qvidem potestas ejusmodi sit, qvod in aliqvid rei objectæ sese exoneret, utpote cum vel principalis etiam cujusqve potestatis circumstantia ipsum videatur objectum esse. nil tamen impediet, qvò minùs ipsa potestas diversimodè considerari, & pro diversô illô respectu denominari, ac describi qveat. prout id usu etiam obtinere jam ante cognovimus; qvando nempe potestas hæc, qvatenus aut qvousq; ab onere aut impedimento libera, simulqve non necessariò ad alteru-

rerutram partem oppositorum executiva, verbô, citra certum objecti, in qvid illa competat, respectum, arbitraria est, à sapientibus *libertas* vocitatur, *potestasq; vivendi ut velis, facultas ejus qvod cuiqve facere libet*; describitur: E diverso verò, in respectu, qvô eadem potestas ad aliqvid est; *potestas, potestas dominans, dominium*, aut aliter denominatur & rursus sub hisce nominibus talis qvæ in, sive *ad aliqvid* facultas est, definitur; Qvando de priori genere rem dedimus præced. cap. peractam, de posteriori nunc qvidem videndum est ulterius, potestasqve consideranda, qvatenus cum respectu ad aliqvid rei seu subjecti est.

II. *Potestatem in qvid subjecti* dari nemo dubitat, qvi cernit dari potestatem in liberos, in servos, in subditos, in debitores omnes, in res deniqve omnigenæ conditionis. Hanc nunc qvidem dominantem liceat appellare, nominis ratione paulò pôst plenius reddendâ: Et primò omnium juxtà annotare: Per *potestatem dominantem*, qvoad primam ejus essentiam, non diversum qvid à libertate; sed idem prorsus denotari; qvicqvid autem diversitatis accidat, id in consideratione ejus consistere respectus, qvo in certum qvid subjecti illa est, idemqve respicit. Eôq; simile qvid huic accidere, qvoad libertatem, qvod Aristoteli, (a) justitiam universalem inter, & universam virtutem, intercedere adnotatur, ὅτι ἔστι ἡ αὐτὴ, τὸ δ᾽ εἶναι οὐ ταὐτὸ; ἀλλά, ἡ μὲν πρὸς ἕτερον (liceat hæc ab Aristotelis objecto ad nostrum deflectere (νομίμη δύναμις κυριακή; ᾗ δ᾽ τοιάδε ἕξις (δύναμις) ἁπλῶς νομίμη δύναμις, ἥδε ἐλευθερία. Scilicet præterqvam qvod genere idem sunt libertas ac potestas dominans, seu ea qvæ in qvid objecti est. utraqve namq; potestas est. hanc necesse qvoqve habemus ponere, talem esse, qvalis à lege concessa libera i.e. citra impedimendū aliqvod juris est; sic autem nobis antea qvoqve describebatur libertas. Deinde, absoluta libertas nobis describebatur talis potestas qvæ esset arbitraria utriusqve oppositorum. Potestas etiam dominans non videtur temerè alius posse statui conditionis; qvippe qvod astricta ad alterutrum contradictionis, necessitatemqve, ut ita dicam, ad unum oppositorum; vix videatur notam servitii posse evadere, eòqve qvasi in partem dominatui cōtrariam discedere. Tametsi qvoad hanc posteriorem

(a) l. 5. Ethic. 1. in fin.

omnimodæ libertatis conditionem, ex genere poteſtatum dominantium, nolim rigidius aut etiam prorſus ejicere, qvasdam ampliores facultates legitimas in objecta perſonarum ac rerum, veluti ſunt tutorum, magiſtratuum, aliorumqve; etiamſi illæ cum neceſſitate qvadam officii ſint conjunctæ: qvia nec à genere & communi qvadam eſſentiâ libertatis eas licebit excludere: tum qvia ſaltem alteram illam ſpecificam libertati communem conditionem retinent, qvâ citra legis impedimentum, aut usqve legitimæ permiſſionis terminos liberæ ſunt conſtitutæ; in qva cõditione qvaſi baſin & primum etiam ipſiusmet libertatis conſiſtere cap. præc. commonſtratum eſt: tum qvia nulla hujusmodi eſt facultas, utut officioſa, qvæ non cum aliqva arbitraria libertate conjuncta ſit, ſæpè etiam longè plurima, uti eſt magiſtratuum: tum deniqve qvia nulla tam abſolutè dominans eoqve liberrima eſt, qvæ non officioſi aliqvid conjunctum habeat, prout in ſubſeqventibus hæc patebunt pluribus. De genere igitur, & qvod etiam hæ, qvæ cum officio aliqvo, paulò ſaltem ampliores aliàs poteſtates, conjunctæ ſunt, libertatis exiſtant, hujusqve eſſentiæ qvid participent, eòqve totum genus poteſtatis dominantis libertati ut generi ſubdendum eſſe, haud exiſtimem dubitare eſſe. Qvam tamen nec viciſſim, ut aliam à libertate ſpeciem communis generis, poteſtatis videl. ſtatui, haud abſonum dixeris, ſiqvidem libertatem qvatenus genere talem citra notabilem mentis reflexionem ad certum aliqvod ſubjecti; poteſtatem verò dominantem qvatenus in ſubjectum aliqvod rerum ac perſonarum talis eſt, conſiderari poſſe admittas.

III. *Subjecti* generali nomine libet appellare id omne, in qvod poteſtas dominans eſt directa, cuive incumbit ipſa, ſive perſona illud ſit, ſive res alia, reſpiciendo ad uſitatum in hoc genere loqvendi morem, qvò hæc rei ad poteſtatem ſubditiva relatio, hâcce in ſpecie voce, ferè ſolet exprimi; veluti ubi perſonæ qvæ v.g. in poteſtate parentum, dominorum, ipſis illis ſive ut loqvimur alieno juri ſubjecti; (a) ſubditi magiſtratui, res qvçvis nobis dominiove noſtro, ſubjectæ dicuntur. Ubi tamen multum velim notatum, pro generalitate ſenſus, qvem definito huic dari intendimus, generalius paulò, atqve communiſſimè & ita qvidem vocem hanc ſubjecti ac-

(a) pr. J. d. his qvi ſui vel al. jur.

cti accipiendam esse; ut universum corpus rerum, in qvas cui ulla legitima potestas est, complectatur, cô intellectu, qvo aliàs objectum qvid agentis (patiens) accipitur; & hoc idem rei, modò hoc ipso objecti, modò etiam subjecti nomine à sapientiæ ac disciplinarum studiosis appellari consvevit. Id qvod eò minus abs re erit, qvò magis, omnis legitimæ liberæ actionis, cujus proximè objecta subjectaqve res sunt ac dicuntur, potestas causa proxima est, ut suô locô est ostensum. Corpus igitur sive tota universitas rerum, qvia complectitur in sese & personas, & in specie res qvæ appellantur, naturales artificiales; mobiles immobiles; corporales incorporales; corpora & jura, ut nostris loqvi placet: (a) personas etiam humiles & eminentes, debiles potentes; omnis sexus; omnis conditionis; & in genere substantias & harum accidentia; Deum & creaturas: si qvid cui legitimæ facultatis in hæc aut qvæcunqve horum competit; id liqvet ad genus hoc potestatis dominantis fore referendum; qvamvis fortè non diffitendum, imò multa cum cautione præmonendum sit: illum dominationis respectum, ex multâ illorum subjectorum diversitate, plurimam pati differentiam, nec æqvè usitatè ad incudem disqvisitionis legitimæ solere vocari. nimirum longè alius statuendus est modus potestatis, qvę & qvatenus est in substantialia rerum, qvam qvatenus in accidentalia v. g. qvatenus est in potentiam, in actionem, situm, habitum, robur, furorem, fertilitatem hominis aut alterius rei; qvàm qvatenus est in hominem aut rem ipsam, illorum modo dictorum, mutandorum, introducendorum prohibendorum &c. intuitu. non æqvè freqventer cum potestate nostra conferri audias, substantias, qvæ extra palpabilem, & manu subigentem potentiam hominis sunt. v. g. cœlum, astra, nubes, terræ centralia, marisqve abyssus; qvam qvæ aliter se habent, veluti agri, prædia, oves, boves, & pecora campi, vestimenta ac reliqva mobilium immobiliumqve rerum cohors, personæqve varii generis. non pariter potestatis nostræ possunt dici, qvæ in libertate sua naturali degunt, nec occupata à qvoqvam sunt, ut pisces maris, volucres cœli, feræ sylvarum, & qvæ reliqvæ nullius aliàs habentur res; qvàm qvæ jugô aut fascibus nostris constricta detinentur animalia, qvæ dominii nostri sive res sunt sive perso-

(a) l. 23. d. V. S. l. 15. de R. D. t. 2. J. lib. 2.

personæ. Fortè nec similis specie facultas est, qvæ in corporalia nobis competit, qvàm qvæ in jura qvæ dicuntur, resve incorporeas. Et deniqve non simili modô ea sese potest habere potestas, qvæ inferiori in superiorem, servo in dominum, subditô in magistratum, homini erga Deum, potest esse; qvàm qvæ versâ vice hisce est in illos.

IV. Sed hactenus fortassis benevolè nos tulerit benevolus lector, dum in hæc & talia omnia qvalemqvalem potestatem lege alicui competere posse dicimus: & si examinatis paulò adductis rerum speciebus, ita esse repererit, considerans ante allatam differentiam qvasi specificam hujus ad rem relativæ potestatis, qvâ distat ab ea, qvæ tantum, ut citra impedimentum libere decurrens considerata libertas dicebatur; etiam ὀνοματοποιίαν qvandam pro hac designanda indulserit, utpote cum toti, qvod cum hoc respectu est, potestatis generi, universale nomen non facile usu invenerit. Tantùm, ni fallor, observare nos instituet, qvì dominatus rationem huic toti generi tribuere, potestatemqve dominantem satis commodè appellare possimus! maximè, qvia in aliqvibus enumeratarum hujus potestatis specierum durius sonat verbum dominationis, v. g. ejus, qvæ erga superiores aut æqvales est, qvæ earum est rerum, qvæ nullo dubitante alterius dominii sunt; It. qvæ extra manum nostram in libertate suâ naturali degunt. &c. videndum autem hîc erit de re, & simul constabit de ratione nominis.

V. Distingvère licebit, more legitima tractantium, (a) universitatem rerum, qvæ qvidem sub dispositionem legitimam legeqve concessam sub potestatem possunt cadere, in personas, & res in specie dictas. Et rursus personas, (factâ primâ ad eas animi directione) qvatenus qvidem cum potestate sunt, in eminentiores, æqvales & inferiores, putà iis qvæ eorum potestati sunt obnoxiæ. Potestas superiorum, qvi aliàs communiter tales habentur, in inferiores, qvatenus qvidem illa ut talis in talem competit, qvin dominatus rationem habeat, fortassis haud temerè qvisqvam erit, qvi in dubium velit vocare, constrictus ipsô etiam communi usu, qvô hujus potestatis species, licet non omnes æqvali freqventiâ, plures tamen disertè dominii nomine efferuntur, communicatô etiam

(a) §. fin. Inst. de J.N.G. & C. pr. J. de R. D. §. 1. J. de actionib.

tiur-

titulô domini, eis qvibus insunt. Prout hoc insulsum esset negare de potestate, qvam Deus Dominus omnium habet in creaturas; manifestum verò itidem est in specie humanæ potestatis, qvæ in servos, qvæ mariti in uxorem est; qvarum illa communissimo etiam gentium usu; hæc etiam per oraculum auctoris, (a) dominium audit; qvarum exemplo, qvi novit patriam potestatem jure civili etiam dominicæ solere comparari; (b) jure autem naturæ ipsô, & sapientum traditionibus eandem etiam strictiorem esse, qvàm maritalem, utpote qvæ regiæ comparanda, cum conjugalis civili, qvæ penè parium est, similior sit: (c) utiqve dico hæc videns, patriæ potestati dominatus rationem non dubitabit adserere: prout hoc videmus attendisse Raelem, (d) ubi patri Labano Idola sua qværenti, se excusabat, qvod ipsi assurgendo debitam ei reverentiam exhibere neqviret, dominum suum illum appellans. adde qvod *paterfamilias* nostris simpliciter audit is, *qvi in domo dominium habet*: (e) cujus qvidem dominii objectâ si qværas, in eo etiam liberos deprehendis, prout ad hos illud dominium sese extendere ipse JCtus d. l. innuit, subjiciens: *rectèq́; hoc nomine appellatur, qvamvis filium non habeat.* magis igitur appellaretur si haberet, & qvidem sensu qvo paulò ante definitur, in domo dominium habens. nec prætereundum fortè est, ad domesticum hocce dominium, & re, & vulgò etiam nomine, referri potestates in personas qvasvis illas, qvas conventio aut qvævis alia causa, familiari ministerio obnoxias tenet; ne dicam de aliis, qvæ mediam qvodammodo naturam habent inter has utcunqve laxiores potestates, & inter dominium familiare absolutissimum: cujusmodi est qvæ in homines proprios censiticosqve solet competere, qvæ etiam absqve hæsitatione dominii nomen sibi dari vindicat. Porrò verò & potestas civilis summa, disertè politicis τὸ κύριον, hoc est, dominatus, civitatis audit: (f) nec fortassis dominii naturam imperio huic subordinatis magistratuum potestatibus negabit, qvi sentit, hasdem idipsum qvod sunt, in vicem, imò partem supremi dominatus esse; qvive freqventari audit, personas hinc dominos agnosci eorum, qvibus suo hoc qvovis subordinato imperio præsident. Taceo, qvod, qvi certi, sive publici sive etiam privati officii, ac præstationis ergò aliqvos sibi ob-

(a) *Gen. 3. 16. 1 Tim. 2. 12.*
(b) *t. de his qvi sui. vel al. jur. &c.*
(c) *8. Eth. c. 10. 1. pos.*
(d) *Gen. 31, 35.*
(e) *l. 195. §. 2. de VS.*
(f) *Arist. 4. pol. c. 4.*

noxios habent, veluti vasallos, emphyteuticarios & colonos similes; imò qvod mireris si fundamentum rationis non videas, procuratores saltem rerum suarum; (a) usu peritorum, etiam domini, horum respectu, honorentur. Sed in his & si qvæ sunt hujusmodi, in qvibus speciem superioritatis ac subjectionis vulgus etiam agnoscit, res expeditu facilis est, nec dubitabit potestates dominantes dicere, qvas etiam dominii nomine insignire, & qvarum ratione dominos qvoqve possessores earum appellare non veretur.

(a) l. 8. §. 3. l. 35. §. 3. l. 39. §. 2 *de procurat.*

VI. Cæterùm haud manifesta pariter dominationis ratio est in iis potestatibus, qvas contingit æqvalibus in æqvales, imò inferioribus in superiores competere. qvomodò enim, dicet aliqvis affingi poterit alicui ratio dominandi in eum, qvi ipsi æqvalis, imò qvi superior, & inverso ordine dominium in ipsum potius prætendit? Sed esto, non adeò freqvens est harum in personas potestatum à dominatu denominatio; & esto, qvia laxiores, amplioris-qve potentiæ sunt illæ ante commemoratæ potestates, etiam majore dominatus specie sensus nostros incurrunt illæ qvàm hæ; fortassis sustineret tamen aliqvis, haud tamen prorsus etiam hasce, putà qvæ æqvalium & inferiorum in æqvales & superiores sunt potestates, omni dominatus ratione destitutas esse. & hoc qvoqve per observantiam usq; popularem, licet in aliqvibus ex usu minus directo Ubi qvidem primitùs existimem attendendum esse, qvod superius c. 1. hujus libri observatum est, scil. omnem potestatem sibi in objecto opposito suppositam habere obligationem; adde, cujus obligationis intuitu in ipsum hoc obligatum objectum potestas est, non futura si illa non esset: jam verò minus arbitror ambigendum fore, qvin omnis ex qvalibet legitimè obligatoriâ causa obligatio subjectum, sive res sive persona id sit, aliqvô modô servū reddat ei, cui illud ea obstringit, h. e. ei qvi cū potestate in illud est; tollatur enim obligatio legitima, & vel nulla erit, qvæ aliàs etiam omnium consensu talis est, justa servitus. sanè agnoscunt hocce prudentes, ubi etiam, præter rationem superioris eminentiæ, qvæ pro dominatu alicui adserendo præprimis videri potest militare, aliis qvoqve ex causarum figuris enatis obligationibus, illationem servæ conditionis facile tribuunt; qvando v. g. ex *delictis*, verbis di-

sertis

disertis *servitium pœnæ* noxiis adstruunt: (a)*beneficium si accipis* (ubi ajunt) *libertatem vendis*: qvando ex ipsa *humanitatis* ratione, etiam sacra oracula homini necessitatem adstruunt, proximo *inserviendi*: ex *conventione* sæpius *operæ* solent deberi; debere autem operas, utiqve parum abest, qvin id ipsum hactenus sit servum esse, certè servire alteri necesse habere est, ne dicam, qvomodo ipsum *æs alienum* homines ad servilem rationem deprimat; qvâ qvidem in re notare est ratio illa æralis nexus Romanis olim observata, qva obæratis parata exstabat via, in ipsam propriè dictam servitutem transeundi, (b) testantur de hoc ob æris alieni onus hominibus incumbente servitio, ipsorum gravatorum qværimoniæ, qvibus dolere solent se eo in statu persistere, qvô aliis laborare, aliis, non sibi aut suis, molestâ suâ operâ inservire cogantur. mitto causas alias. Qvid autem hinc argueret Philosophus! sine dubio ex regula (c) τῷ ἐναντίῳ τὸ ἐναντίον (τῷ τὸ πρός τι) ἀκολουθεῖν. *oppositis opposita esse conseqventia*: si obligatio obligatum, ei cui obligatus is est, reddit modô qvodam servum, utiqve potestas hunc illi parili modô reddet dominantem. & foret adeò ex hac ratione omnis in qvamcunqve personam potestas, qvia non est sine obligatione in eandem personam, suô aliqvô modô dominans. Ne nunc urgeam, potestatem, erga qvâvis ex causa obligatum, paris esse essentiæ & naturæ cum eâ qvæ omnium confessione dominica est, qvod nempe qvæcunqve alicujus in alterum sit potestas exigendi officii ab altero sit; qvippe officium latinis est qvidvis, ad qvod alteri obligati sumus. qvare autem qvæ ejusdem naturæ & essentiæ sunt potestates, idem genericæ affectionis ac denominationis non paterentur? puta ut dominantes habeantur dicanturqve.

VII. Neqve verò multum etiam obstare huic & affectioni & genericæ appellationi potest, si qvâ conditione vel æqvalis vel superior sit, imò aliô respectu vicissim dominans, persona illa, in qvam alicui relativa talis potestas competit. qvia, uti præcedenti cap. fuit qvoqve monitum, libertas & servitus, potestas dominans & obligatio, qvalitates sunt, qvæ se in unô aliqvô subjectô personæ, mutuò compatiantur, ita ut eadem persona aliô respectu libera itemqve dominans possit esse, alia autem respectu vicissim obligata

(a) §. 1. C. de cap. minut.

(b) loc. vid. ap. Gothofred. in not. ad t. ff. de cess. bon. lit. n.

(c) 2. top. c. 8. & 9.

gata ac serva. idqve per naturam etiam communem oppositorum, qvâ ut opposita non sunt, aut habentur, qvæ, idem licet objectum occupent, non tamen eâdem parte ac respectu talia ponantur: de cœtero diversa qvidem, sed qvæ juxtà habitare possint in uno numerò receptaculô. Admittunt hanc ipsam harum qvalitatum in iisdem subjectis compatibilitatem sapientes, qvando non ignari inæqvalis humanæ conditionis, *naturam*, asseverant, *cognationem qvandam inter nos constituisse, cujus ratione omnes nobis invicem obligati simus:* (a) qvando etiam dominum & servum, qvatenus homines, inter sese æqvales esse, & ipsum etiam dominum servo ad humanitatis officia, prorsus per communis naturæ jus, obligatum esse (b) statuunt. Si autem obligatus hic est, qvatenus obligatus est, alteri, per conseqventiam th. præced. allatam, qvalisqvalis potestas dominans in hunc erit tribuenda. notanter autem velim dictum, illud *qvatenus* qvis obligatus est alteri, scil. æqvalis terminus modusqve æqvalis cum obligatione ac serva inde conditione, statuendus erit rationi dominanti; utpote, qvæ & qvatenus extra illam relationem nil qvicqvam sunt ambæ. unde adeò seqvitur, qvod, si laxior remissiorqve sit obligatio, minus qvoq; rationis dominantis oppositæ potestati sit; sin strictior & ad ampliora, amplius ejusdem sit & huic. Ex qvibus porrò iterum conceptu facile est, qvomodò huic ratiocinationi non obstet, si non semper talis in personas æqvales aut superiores potestas, dominans, neqve aut conditio harum, serviens vulgò appelletur. qvia nempe juxta illam in eodem subjecto coëxistens superpensum servitutis eandem qvasi occulit oculis vulgi: qvæ verò juxta hanc præpollens potestatis amplitudo est posita, eandem qvoqve splendore suô obscurat. Rei autem ipsius veritas, (qvomodò nimirum maximus etiam atq; amplissimus alicui personæ in alteram competens dominatus, non impediat, qvò minus illa huic alteri vicissim inservire obligata sit, & rursus qvomodò strictissimum, qvod jus unqvam nectit, servile subjectionis vinculum, aliqvid competentis dominativæ rationis, juxta e dem in eandem personam admittat,) per exempla, inferius paulo plenius discutienda, erit manifesta, ubi nempe juxtà, qvàm de dominio ac potestate dominante domini, patris, mariti, magistratus

(a) l. 3. de just. & jur.

(b) Aristot. 8. Eth. & 1. pol.

ſtratus &c. agetur, ob rei connexionem, qvædam de obligatione atq; officio horum erga illos, in qvos illam ſuam poteſtatem habent, erunt commemoranda.

VIII. Et hæc qvidem, qvæ dicta ſunt de poteſtate dominante perſonarum in perſonas, inferiorum etiam in ſuperiores, de illa potiſſimum intellecta velim, qvæ eſt hominum in homines; non verò adeò, qvæ eſt hominum in Deum, niſi per qvandam rationem ſimulachri. Etſi enim & hic qvidem, per ſummam ſuam cum omni-dominante potentia conjunctam bonitatem atqve clementiam, benigniſſimis ſuis promiſſionibus humano generi ſeſe qvaſi obligare, & poteſtatem promiſſa poſcendi à ſeſe, nobis concedere ipſe voluit, eòqve, ut dixi, aliqvod qvaſi ſimulachrum obligationis ſui erga nos ſibi qvoqve affingere. Qvia tamen qvicqvid hujus obligationis ipſius erga nos eſt, non ex aliqvâ ſupernè ſibi ſancitâ lege, (ut noſtræ erga invicem obligationes ſunt,) procedit, ſi qvis enim ſuperior Deo legem obligatoriam ſanciviſſet; ſed ex mero ipſius Dei infinitæ libertatis arbitrio dependet, ejusqve non neceſſitati alicui cogenti, ſed meræ libertrimæ gratiæ acceptum eſt ferendum; utiqve trepidè admodum eam poteſtatem, qvam nobis hominibus vel itidem ipſe, hæc, qvæ nobis debere voluit, precandi, conceſſit, in cenſum dominantium poteſtatum advocarem; & ſi id facerem, utiqve magna cum diſſimilitudine typicâ facerem, in veritate rei Deum ter optimum maximum ſolum ſupremum dominum omnium deveneranș, & noſtri qvicqvid rerum, conditionum, poteſtatum eſt, eidem ſervum ex debito ac neceſſitate agnoſcens. Conſtat de poteſtate dominante hominum in perſonas, qvod qvæ hominum in homines eſt, ſit omnis aliqva talis.

IX. De poteſtate hominum in res, forſan eòdem argumentô conſeqventiæ, qvô ſupra in perſonas illa inferebatur, dominandi qvoqve ratio generaliter inferri poteſt; nempe dominantem hanc eſſe, qvatenus & qvousqve res aliqva cuiqvam homini obligata ſervave eſt, factâ hîc ſimili prorſus modô, ut ibi, utriusqve æqvabili commenſuratione & exiſtentiâ; ita, ut datâ hâc ſubjectivâ qvâdam conditione rei, ſimul intelligatur data illa perſonæ dominans qvalitas, ad modum & menſuram eandem. Verùm juvabit fortaſſis, per poteſtatum rerumqve ſpecies, paulò etiam ad-

huc distinctius, hic transire. Potestas rerum in eas res hominibus est, qvas vulgus cujusq; proprias dicit, aut qvas alienas, & has qvidem vel alicujus proprias vel in particulari nullius. Potestas in res (corporeas imprimis) qvæ cujusqve propriæ habentur; ipsâ hâc proprietatis conditione in tali ad personam potestatemve ejus, (ut inferiùs suô locô patebit uberius,) relatione potissimum consistente, ut pro arbitrio illas sibi ipsa retinere qveat, nec invitæ eidem illæ abstrahi possint; & si pingvior eadem ejusdem conditio est, ipsa pro arbitrio usurpare qvoqve ac alienare easdem possit: hæc, dico, potestas, qvando extra hæsitationem ab omnibus dominium dicitur, dominans ab omnibus qvoqve agnoscitur. Sed non æqvè res liqvida est in cæteris illis potestatibus in res cæteras.

X. Sunt cæteræ illæ facultates, qvæ qvidem in res alienas alicui sunt, potissimæ, vel tenendi res usurpandive, vel sibi ad proprietatem usumve acqvirendi occupandive easdem. hæc vulgò in hoc suo pene consistit nomine, & de eadem nobis postea. Illa qvæ tenendi rem sibi, qvæve usurpandi est, aut similis, vulgò possessio jusqve possidendi, jus alienis rebus utendi, fruendi, jus prædii alieni in aliqvô usurpandi, & similem solet habere definitionem notamve. Jam verò si dominium ipsum, qvod qvidem citra ambiguitatem tale dicitur, & prout maximè plenum id est, qvisqvam considerat, deprehendet, hasdem facultates sub ipso dominiô qvoqve, ut partes ejus homogeneas, solere comprehendi, idemqve ipsas suâ qvâvis accessione aut coëxistentia auctius, magisqve dominans solere reddere. nemo enim facile dubitabit, auctiorem non esse dominatum, qvi cum facultate possidendi rem, usurpandive est conjunctus, qvàm qvi citra hasce est. unde etiam nobis vulgaris illa distinctio enascitur dominii in plenum & minus plenū. jam autem qvæcunqve homogeneæ naturæ alteri accedentia, idipsum eâdem & substantiâ & nomine auctius atqve conspectius solent reddere, ea, etiamsi à toto separatim existant, eandem essentiam idemqve nomen solent præ se ferre v. g. partes aqvæ, terræ, carnis, & similium; mirum igitur, si idem qvoqve de potestatibus in rem variis non sit judicandum; qvod nimirum & illæ, etiamsi à reliqvô dominii corpore qvædam separatim existant; dominii tamen qvandam naturam ac omen non prorsus amittant. Qvamvis hoc

hoc fortassis interea qvis admitteret, omnes sigillatim non existere ejus continuò amplitudinis, ut dominatus ratio in iis cuivis æqvè appareat; utpote cum forte à concurrente in eandem rem majori dominii parte, qvæ ipsa alterius forte est, qvasi sint obfuscatæ: unde sine dubio etiam illud est, qvod non rarò illæ dominicæ potestatis, sive partes, sive species, in qvibus intimus, qvasi umbilicus dominii herescere videtur, (veluti est potestas sibi rem propriam retinendi,) dominii nomen qvasi solæ sibi soleant vindicare, reliqvis ob imperfectionem & paucitatem residui, qvod ex pleniori dominio ipsis suppetit, ad suas qvasdam qvasi seqviores classes nominumqve insignia rejectis.

XI. Qvod si verò paululum ulterius per species harum hominis in rem potestatum, qvæ minus dominii rationem vulgò putantur obtinere, libet discurrere, observabitur; etiam prudentibus generalis illius dominantis naturæ vim in iisdem sæpius exprimi; & licet in aliqvibus rarissimè, imò ob tenuitatem earundem nunqvam fortè exprimatur, ratione tamen, qvò minus illæ communi naturæ subdantur, rem non carere. Prioris generis sunto possessio, usus, facultas vindicandi &c. De possessione, qvæ aliàs disertè etiam à dominio solet distingvi, (a) juxta Paulum (b) tamen *Nerva filius ita inquit: Dominium rerum ex naturali possessione cæpisse, ejusqve rei vestigium remanere de his, qva terrâ, mari, cœloqve capiuntur. nam hac protinus eorum fieri, qvi primi eorum possessionem apprehenderint.* Ubi patere existimem, Nervæ, possessionem rei vacuæ, si non dominium ipsum, saltem rem dominio conjunctissimam esse; & qvâ legitimè h. e. animô & corpore, (c) apprehensâ positâ, dominium qvoqve ponatur. id qvod eôdem affectu, longiori licet temporis tractu reqvisitô de possessione astruere qvoqve ulterius videas civiles legumlatores, etiam in re dominiô ante non vacuâ; usucapionem ipsi vocant. (d) Notabile est, qvod iidem, juri possidendi, etsi in eo sint, ut id dominio proprietario contradistingvere nitantur, tribuant, qvasi ipsum jus dominii ab illo foveatur, donec non meliorem alter conditionem jusqve possessionis in re melius adferat (e). nec despicienda asseveratio legum illa, qvâ bonæ fidei possessorem in percipiendis fructibus, in amissæ rei vindicatione aliisqve, domino ferè prorsus æqviparant: *Bonæ fidei possessor* ait Julia-

(a) titulis jur. d. acqvir. rer. dom. & de acqvir. poss. & passim. (b) l. 1. §. 1. de acqvir. vel amit. possess. (c) l. 8. de acqvir. poss. (d) tit. J. & ff. de usucap. (e) §. 4. J. de interd. l. fin. C. de R. V. l. 52. uti possid. ...

lianus (a) *in percipiendis fructibus id juris habet, qvod dominis prædiorum tributum est.* Idem paulò, (b) *qvod ad fructus attinet loco domini penè est.* & eodem asserente (c) *bonæ fidei possessio tantundem possidenti præstat; qvantum veritas.* similia habentur de hac aliis alibi. Vindicandæ autem rei bonâ fide possessæ & amissæ, qvomodo peculiarem actionem Prætores romani introduxerint, paulianam qvam appellarunt; notum est. (d) qvæ etiam Ulpiano (e) *ad instar proprietatis, non ad instar possessionis respicit.* ita qvidem de possessione dominicantur periti: nec minus imò magis id faciunt de potestate usurpandi rem etiam alienam paulò ampliori commodô aut tempore; qvandò v. g. usufructu, h. e. jure alienis rebus utendi fruendi, ad proprietatem reversô, rem huc devenisse autumat Imp. (f) ut *ex eo nudæ proprietatis dominus incipiat plenam in re habere potestatem:* & conseqventer, fatetur, cum usufructu proprietatem, dominicamqve potestatem, qvò magis composita ea sit, ita & magis esse plenam; sine eo verò minus plenam, & per conseqvens, usumfructum esse jus, seu potestatem qvæ in complementum cedat homogeneum dominio, ipsumq; naturâ suâ aliqvid dominii esse. Aliàs disertum etiam de hoc Pauli est: (g) *ususfructus in multis casibus pars dominii est*; alii similia alia habent; (h) qvæ congerere, &, prout qvædam desiderant, conciliare, hujus non est loci. De juribus prædiorum sive de servitutibus realibus qvas dicunt, consentiunt sanè in hanc ipsam à denominatu sumptam denominationem ex obliqvo interpretes nostri, (i) qvando in §. pen. J. tit. de servitutibus & alibi passim in hac materia, prædium alterum serviens, alterum dominans appellant: ne dicam, in toto hoc genere, nomen servitutis ab altera parte par dominium inferre. Qvomodo iidem concertare secum faciant dominii denominationem in juribus, qvæ habet dominus directus, qvem dicunt; & vasallus itemqve Emphyteuta & superficiarii similes, in re feudali, emphyteutica, ac simili, tribuentes illi qvod illorum est, directi, qvod horum, utilis dominii appellationem, supervacuum est hic multis memorare: taceo qvoq; maritum, qvem, etiamsi is, si rem videas, reapse usumfructum tantum rei dotalis habeat; civilia jura dominum dotis appellari, impensè cupierunt. (k) Minimè omnium in hoc genere] facultatum, qvæ sunt re alienâ utendi, titulô dominatus, illa qvidem vul-

(a) l. 25. §. 1. de usufr. (b) l. 48. pr. de acqvir. rer. dom. (c) l. 136. de R. J. (d) ex § 4. J. de act. t. ff. de Paul. act. (e) l. 7. §. 6. de publ. in rem act. (f) §. fin. J. d. usufr.

(g) l. 4. de usufr. (h) l. 70. §. 2. de fidejuss. l. 66. §. 3. d. legat. 2. l. 25. de VS. l. 33. §. 2. d. usufr. (i) Bachov. Rittershus. alii.

(k) l. 75. ff. l. 30. C. d. jure dot. l. 9. C. de rei vindic.

vulgò venit species, ubi per modum conventionis ac precarii ad breve tempus cui res alterius usurpanda data concessaqve est, veluti ex locato, ex commodato, ex precario in specie dicto: interim facile in hisce tamen etiam colliges; cum hi usurpatores pro modo sibi dato facultatem in illam rem exercere habeant, eam, qvam ipse proprietatis dominus habet, in cujus qvasi vicem hactenus hi manent; qvod aliqvid utiq; rationis dominantis his qvoq; adsit, maximè si consideres eos, respectu habitô ad alios, qvi rei proprietatis domini non sunt, utpote adversus qvos æqvè suam illam facultatem, ac ipsi domini tuebuntur, competentibus ipsis similibus ex authoritate legum defensionibus, etiam præ ipsis dominis qvandoq;.

XII. Qvod attinet potestatem res sibi proprias acqvirendi. Illius, si qva est, dominativa ratio, adhibitâ distinctione subjecti rectius, ut puto, ea explicabitur. Qvippe res qvas acqvirimus aut acqvirēdi potestatē habemus, vel ante jam alterius alicujus sunt, vel, ut loqvimur nullius: prius videndum de his. In his igitur rebus qvæ nullius propriæ sunt, omnium consensu maximè tales sunt, qvas etiam natura rerum ita disposuit, produxitqve, ut nullis peculiariter essent propriæ, in qvibus recensere cum JCtis liceat, terrarum tractus nondum à qvoqvam occupatos, aëra, aqvam profluentem, mare & per hoc litora maris; item animalia fera, donec in libertate suâ naturali, qvæ dicitur, versantur; lapillos, itemqve gemmas, & si qvæ reliqva in litore maris aut alibi terrarum inveniantur, nondum occupata aut etiam per id qvod derelicta sunt, nullius iterum facta. Verùm si paulò penitius rem inspicimus, res qvæ ita nullius dicuntur, forsitan non sunt simpliciter tales; siqvidem nullius non est, qvod aliqvorum est. & verò pars rerum hujusmodi, vel testimonió JCtorum nostrorum jure naturali sunt communes omnium, (a) eoqve, ut opinor, vel ex eorum sensu ad dominium pertinent humanæ communitatis. Est hæc res, qvam illi ex naturæ lumine observarunt; nos verò ex clarâ revelationis luce, clariùs omninò erudimur, audientes vocem supremi domini omnium, generi humano, per protoplastos ejusdem, dicentem: (b) *crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam vobis, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, qvæ moventur super terram:* (not. fera qvoq; animantia, & reliqva, qvæ

(a) *r. J. & ff. de R. D. & A. D.*

(b) *Gen. 1, 28.*

qvæ nostris nullius dicuntur, cōmuni dominio hîc deputari.) *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna &c.* Et iterum ad Noachidas prolatu m,(*a*) paululum immutatô sermonis stylo: *Crescite & multiplicamini, & replete terram. Et terror vester ac tremor sit supra cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum universis, qvæ moventur super terram, omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Et omne qvod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, qvasi olera virentia* (hæc autem leguntur ante tantum, homini in cibum data(*b*) *tradidi vobis omnia.* Et iterum per os Psalmistæ spiritus (*c*): *Qvid est homo, qvod memor es ejus? gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus: oves & boves universos, insuper & pecora campi. Volucres cœli & pisces maris, qvi ambulant semitas maris.* Repetit, ac denuò ad hæc attendit idem spiritus, cor & os agens Apostoli,(*d*) ubi pro commonstrandâ amplitudine dominii humani in omnia, in communitatem nostram adsciscit qvoqve hominem factum DEI filium. Qvibus si credimus testimoniis, ut necesse qvidem habemus, planè seqvitur, res illas, qvæ omnium maximè nullius esse censentur, utiqve alicujus esse, puta humani generis, ejusq; communis dominii: & per hoc, qvia universitas hominum ex singulis constat, pariter & singulorum, pro suâ cujqq; parte aut modo. Inferturq; omninò ex his, simile esse faciendum judicium de rebus aliis, humani generis particularioribus communitatibus communibus, cujusmodi sunt publicæ & aliæ universitatum, qvæ dicuntur, res; puta qvoad illam qvamvis communitatem ejusqve membra, nempe qvod & dominium cùm illis tùm hisce aliqvod in res hasce existat, pro suô modô, illi, qvod ex communissima societate omnium est, simile.

(*a*) Gen. 9. ab init.

(*b*) d. c. 1. Gē. v. 29. c. 2. 16. c. 3. 18. (*c*) Psal. 8.

(*d*) 1. Cor. 15. v. 27. Hebr. 2.

XIII. Sed qværat hîc meritò aliqvis, in qvo genere potestatis hoc harum communium rerum dominium, ejusq; modus, imprimis qvoad singulos ex communitate, sese qvàm maximè exserat? Nisi fallor, potestas iisdem sibi *utendi* illa est. Usui enim sive utilitati communi hominum, etiam usqve singulorum, & natura rerum omnia illa communissima produxit, & qvælibet communitas sua suis communia destinare solet. verum hîc qværat porrò qvis modum iisdem utendi singulorum? ℞. modus hic ex destinatione le-

ne legis, & rerum ad singulorum usum aptitudine, erit dijudicandus: qvatenus enim res ipsa inepta ad hunc est, eatenus utiqve singulis usurpari neqvit, nec debet etiam qvatenus lege huc destinata non est. Si verò consideramus res à natura dominio illi hominum communissimo concessas; deprehendimus usum seu facultatem utendi, in qva potissimum illius dominii vis est, ipsis hominum singulis in nullo magis consistere, nec aliter lege destinatum esse posse, qvàm qvatenus easdem res per partes singuli sibi occupent, & rursus, prout natura ususqve cujusqve rei idipsum fert, vel ad tempus usurpent ac dimittant rursus statui pristino; veluti accidit particulis aëris, itemqve maris ejusdemq; litoris; vel etiam perpetim, donec lubet, sibi easdem retineant, usurpentqve; idq; vel salvâ rerum ipsarum occupatarum substantiâ, prout id accidit occupatis terræ tractibus, aliisqve nonnullis, vel peremptâ etiam eâ consumptâqve, qvod fortè usus illarum rerum in abusu, ut alias nostri loqvuntur, consistat; juxta qvam hoc captis animalibus feris, repertis è terra nascentibus, inventisq; pretiosis aliis, solet contingere. ex qvibus, opinor talis fluit collectio: si potestas res hasce communissimas (qvæ & nullius aliàs dicuntur) singulis acqvirendi nihil aliud est, qvàm facultas singulorum legitima, tales rès per partes sibi usurpandi; ipsa autem hæc facultas singulorum usurpandi est potissimũ dominii humani in hasce res; utiq; & potestas acqvirendi singulorum hasce res, potissimũ dominii humani est in easdem, & per conseqvens dominium aliqvod ipsum; idemqve, ut porrò in promptu est conjicere, qvod fatô illô primævô, divinâq; lege hominibus in hasce res fuit concessum. Qvæ autem hìc communissimi, eadem & in certis particularibus hominum communitatibus communis dominii ad singulos ex illis applicatio fortè non adeò difficulter erit facienda, si solummodò modus applicationis, & qvatenus illud commune dominium singulis in executionem abit, probè attendatur.

XIV. Et *modus* qvidem hic dominii communis ad singulos applicandi & juxtà exeqvendi, in ipso *cuiq; competenti* usu videtur, consistere, ipsâ competentiâ in determinatione actus potestatisve horundemqve circumstantiarum consistente, qvâ usui huic v. g. vel par vel impar fructuum participatio, qvoad singulos deputata est:

est, ut accidit in communione, ac societate commercii; qvâ in singulis rei partibus singulis ex communitate præventio est concessa, sive ad transitorium sive ad abusivum usum; prout evenit ordinatumq; est in rebus, qvæ naturali jure communes omnium, (aliàs & nullius,) qvæ publicæ, qvæ universitatum dicuntur (a); qvâ deniq; vel ipse modus usurpandi aut utilitatis ex re communi percipiendæ, multifariâ his illis definitione limitata est; prout insigniter hæc hujusmodi modificationis ratio elucet in rebus sacris & sanctis, qvas dicunt (b); qvæ licet ex communissimis sint, singulis tamen, non nisi multum limitatô patent usu: simili ratione in aliis rebus utcunq; communibus freqventissimè observatâ, ubi modo æqvalis singulorum omnium, in eas facultas, facultatisq; limitatio, modò eædem hæ multa cum inæqvalitate conjunctæ esse jussæ sunt. qvomodò ferè æqvalis in omnibus communibus rebus singulis usurpationis limes est, ne illa fiat cum injuria injustèq; illato damno cujusqvam. (c) Etiam *maris* arbitratur Celsus (d) *communem usum omnibus hominibus esse ut aëris: jactasq; in id pilas ejus esse qvi jecerit, sed id concedendum non esse, si deterior litoris marisve usus eô modô futurus sit.* Subjungitur his ex responsis Scævolæ (e) *In litore jure gentium ædificare licere, nisi usus publicus impediret.* similia de publicis aliisq; communibus rebus plura suggerunt complura pro hoc cōmunium rerum usu temperando lib.43.ff. proposita interdicta. De ipsâ autem inæqvali usuariæ competentiæ limitatione, ipsiusq; exinde usus cuiq; in communi re competentis modô, facilè cuivis liqvere potest, attendenti: ex legitima communitatum dispositione, alii superiorem in theatro locum, alii inferiorem; alii nullam sæpius ex communi reditu fructus perceptionem, alii parvam, imò ex certa ejus specie, (qvia aliunde ab eo simul bonô derivatum ex publico commodum aliqvod e.g. tutelæ publicæ, forte sentit,) nullam competere; & ita deinceps.

(a) add. pr. & §§. seqq. J. de R. D. l. 14. de acqvir. rer. dom. (b) §. 8. & 10. J. de R. D.

(c) l. 2. pr. §. 1. 10. & seqq. ne qvid in loco pub. (d) l. 3. §. 1. cod. (e) l. 3. cod.

XV. Atq; hisce consideratis, qvatenus nimirum potestas res communes sibi acqvirendi, sese resolvat in potestatem utendi illis rebus, & per hanc in dominium; atq; hæc juxta modum singulis jure competentem; fortassis non offendet qvenqvam tàm facile, qvod tamen eædem plerq; res, veluti in libertate sua vagantia animalia fera; in mari, in litore, in terræ aut superficie aut visceribus exi-

existentia necdum inventa, item qvæ alicujus propria qvidem aliqvando fuerunt, pro delictis autem rursus sunt habita, similiaqve alia, qvod inqvam hæc vulgatissimô etiam usu res qvoqve nullius aliàs dicantur, specie vocis id ferè inferente, ac si eædem res extra omne humanum dominium essent positæ, qvippe qvod ipsum vel occupatione demum subire debeant. Dico istis consideratis hoc non offendet videntem, fieri hoc ipsum qvoqve respectu habitô ad certum universi dominii modum, eum scil. qvô nullus hactenus peculiariter propriam sibi in eam rem dominantem potestatem conqvisiverit. Nec mirabitur porrò, si ipsa hæc peculiariter propria acqvisita alicui in talem rem potestas, in specie & qvasi oppositivè cæteris potestatibus omnibus dominium dicatur. qvippe qvod hoc iterum propter peculiarem illum dominii universalis ad certam personam restrictum modum fiat, qvô exclusâ jam ac hebetatâ potestate aliorum, forte unus aliqvis solus omnem illam dominii vim, qvæ ante penes omnes, pro indiviso, & suô qvodam modô in potentia qvasi singulorum erat, actu sibi occupatam habet, & ad sui arbitrii plenitudinem maximam redegit, proprium nunc tenens, & plenum qvod antea commune, & multâ cum modificatione suum saltem erat dominium. ex hoc usq; jam in vigore constituto illô JCtorum axiomate, qvô ex jure gentium *dominia distincta, agris termini positi* judicantur (a). neqve absurditate per hunc respectum laborantibus illis, qvibus eorum, qvorum jam ante universaliter & in communitate domini sumus, *dominium* occupatione aliisqve modis legitimis nobis *acqvirere atq; nancisci* dicimur (b).

(a) l. 5. de just. & jur.

(b) l. 1. & t. t. d. acqvir. rer. dom.

XVI. Si ausim, dominio hominum universali, potestatiq; eorum in rem dominanti accenserem, omnem, qvæ reliqva dari possit, hominum qvalemcunq; in rem potestatem, qvam Deus & natura humaneq; legitima dispositio ipsis concessit, etsi res illæ extra manualem contrectandi potentiam sint sitæ, & potestas tantum sit lingvâ aut sensu aut etiam mente circa eas agendi v. g. admirandi, scrutandi, demonstrandi, describendi pulchritudinem rerum corporumqve cœlestium. imò referrem ipsam qvalemcunq; facultatem, qvam qvis extraneus in rem alteri alicui propriam, sibi qvovis modô vindicare possit, tanqvam residuum aliqvod ejus, qvam communem pleniori modô ante habuerat, juxta qvam videmus ta-

 les

les in tales res potestates etiam à JCtis nostris attendi, qvandò *usum riparum*, qvas ipsas accolarum proprias agnoscunt, *publicum esse* statuunt *jure gentium, sicut ipsius fluminis &c* (a) qvando publico qvorumvis usui vias per privatorum agros citra præscriptionem tuentur (b). si circumspicimus communem hominum observationem, non illô tantum poëtæ, *qvid prohibetis aqvas, usus communis aqvarum est*, indignatio hominum invehitur in inhumanos, sed sæpius eosdem tanqvam invisos taxat, si modò citra detrimentum suum res etiam sibi proprias in aliqvem noluerunt concedere usum aliis. Qvin referrem ad idem universalissimum facultatis dominantis genus ipsam, qvæ acqvirendi seu potius licitandi est rei alterius propriæ. Veruntamen & hanc & illas & hujusmodi cæteras, multo cum remissionis modô tales velim intelligi, atq; hoc prętereà adhuc ita, ut nolim in hujusmodi aut in aliis similibus superius recensitis potestatibus exigere, ut qvoad appellationem hanc iis dandam, seqvatur qvisqvam; imò abstinendum svadeam à tali denominationis typo, si cum vulgo hominum sit loqvendum; saltem hoc mihi exorem, ut rei communissimæ naturæ, nomine proprio in hac sua generalitate carenti, potestati videl. qvatenus *in qvid rei objecti est*, generale nomen à dominatione qvibusdam ex iis freqventatũ licuerit tribuere: qvi & simpliciter, jus seu potestatem cujusq; in rem, modô loqvendi aliàs qvoq; JCtis usitatô, (siqvidem ita lubet,) eandem dictitabo. Qvin imò, ne ulterius patientiam lectoris sermonis duritie exerceam, simulacra dominatus atq; subjectionis, qvæ in reliqva etiam, infra hominem naturâ, observare licet, lubens prætereo, utcunq; in qvibusdam etiam nomen dominii unà cum conjugatis suis usu haud infreqvens est.

(a) *l.30. §.1. de acqvir. rer. dom. §.4. J. eod.* (b) *per l.2 de via pub.*

XVII. Anteqvam porrò ad species potestatis dominantis, freqventioris amplioris q; per Jurisprudentiam tractationis trãseamus, hisce adhuc duo subnotare libet; Primò: verbum potestatis, qvandoq; propriè, pro ipsa, ut nos, cap.2. descripsimus, facultate legitima, qvandoq; verò, ab ipsis etiam JCtis, impropriè pro facultate, ut ita dicam, potentiæ, seu ut supra lib.1. eam dixi, facti accipi. Pulchrè Paulus Jureconsultus (c) & distingvit potestatem in species hasce, & hanc qvoq; qvæ facti est, simul definire nititur; Qvando *potestatis verbo plura significari*, ait, & post memorata illa plura qvædam

(c) *l.2.15. de V. S.*

dam hujus significatus exempla: hanc ita definitivis insinuat verbis: *At cum agimus de noxa deditione, cum eo qvi servum non defendit, præsentis corporis copiam facultatemq; significamus.* copiam facultatemq; corporis dicit significari hic vocabulo potestatis, exemplo ducto ex jure noxali: qvod ita habet: (memorare id liceat, uti rectius constet, qvid sibi velit hic, corporis copiam facultatemq; habere: servus aut pecus aliqvod nostrum alii noxam h. e. damnum pauperiemve dedit, ex noxa illa sive maleficio servi pecudisve adversus nos persecutio, dicta noxalis actio, jure concessa est, hâc efficaciâ, ut cogamur vel damnum pendere à nostris alteri datum, vel si id nolumus servum aut qvadrupedem noxæ dedere, hoc est, indefensum læsi actoris arbitrio permittere. (a) qvod qvidem posterius si eligimus, id porrò ita debet fieri, ne colludamus cum noxio, fortassis si præsens non est, negantes, nostra in *potestate* esse, eum exhiberi dediq;. imò uti technis his occurreretur, jure cautum est, ut dominus servi pecorisve, juramentô se purget, dejeretq; *servum in potestate sua non esse.* neq; se dolô malô fecisse, qvò minus esset. (b) ubi igitur in specie casus propositi, facilè apparet, per potestatem non intelligi jus seu facultatem legitimam dominiumve domini ipsum in servum, sed qvandam possibilitatem habendi tradendive ejus, qvæ potentiæ non juris sed facti esse potius erit dicenda. *Verbum in potestate,* (ita nititur rem exprimere Ulpianus) (c) *sic accipere debemus, ut facultatem & potestatem exhibendi ejus (non) habeat. Cæterum si in fuga sit vel peregrè, non videbitur esse in potestate.* Similem prorsus significatum verbi potestatis, & in aliis caussis licet observari, ubi v.g. homines ad exhibendum rem controversam teneri solent, itemq; de exhibendo cavere jubentur, *si & qvatenus in potestate rem habent* (d). Ita res furtiva, qvæ ob furti vitium prohibebatur lege Attiniâ usucapi permittebatur, *si in potestatem ejus cui subrepta erat, reversa fuerit,* (e) qvod adstruente Paulô (f) *sic acceptum est, ut in domini potestatem debeat reverti,* qvomodo & Justiniano accipitur (g). qvibus similare est, qvando *exhibere* definitur qvod *sit facere in publico potestatem, ut ei qvi agat experiendi sit copia;* qvando (h) *potestatem sui non facere,* dicitur *qvi id agit, ne adversarius ejus copiam sui habeat.* & qvæ ejusmodi reliqva sermocinatio legitima exhibet; in

(a) per l. 1. & t. t. de noxal. act.

(b) l. 21. §. 1. d. t.

(c) d. l. 21. §. 3.

(d) l. 5. inf. ad exhib.

(e) l. 4. §. 6. de usucap.

(f) d. l.

(g) d. l. 4. §. 12. de usucap.

(h) l. 2. pr. & §. 1. qvibus ex caus. in poss.

qvibus hęc naturalis factiqve facultas satis manifestè per verbum potestatis exprimitur.

XVIII. Deinde in antecessum & illa videtur imprimis suspicienda potestatis differentia, qvâ vel propria est vel vicaria. Propriam intelligo, qvatenus cuiq; ita immediatè à lege sua aliqva est, ut sibi suâ propriâ authoritate eam actu liberè is exercere & non exercere possit. Vicariam autem dictam velim, qvam alienâ authoritate, & qvidem loco ac vice alterius qvis exercere habet. Et hoc iterum vel liberè sibi suoq; commodo, veluti conductor, commodatarius, qvi precario utitur, qvi facultatem percipiendi fructus, non à proprietario, sed à fructuario habet, & similes; vel cum officio erga alterum, uti magistratus, judices, tutores, mandatarii, procuratores, aliiq; aliorum ministerio dediti, utriusq; potestatis tùm propriæ tùm vicariæ exempla conjungit in ante adducta l. 215. de V.S. Paulus Jurisperitus: *Potestatis verbo* inqviens *plura significantur, in persona magistratuum imperium* (nota, vicariam; & porrò propriâ) *in persona liberorum patria potestas, &c.* De vicaria si Deus volet qvædam subjungemus, ubi species propriæ nonnihil perlustraverimus: Propria autem isthæc, freqventatâ in jure nostro civili distinctione (a), vel in rem est vel in personam. De hoc genere ut prius agamus, partim ordo Jurisprudentię observatus, partim subjecti dignitas, partim deniq; laxior nobiliorq; effectus, qvem, qvæ in personas potestas, præ illo, qvem, qvæ in beluas resqve inanimes est, causari potest, postulat. Distingvi autem videtur posse hæc in personas potestas in domesticam sive familiarem, & in civilem; civilis in socialem & crediti: Familiaris, qvæ & ipsa socialis, in dominicam, patriam & maritalem. Sunt species, qvas observatô ordine, qvô natura in genere humano eas notabiliter constituit, initio factô à familiari, & ab hujus usqve specie, qvæ maritalis est, paucis licebit pertexere in iis qvæ hæc seqventur.

(a) pr. J. de R. D. §. 1. J. de act.

CAPUT V.

De poteſtate per familiam in genere.

I. Poteſtas familiaris qvadruplex eſt, Trina vidèl. in Perſonas.
II. Una in res.
III. Deſcriptio familiæ, & per hanc poteſtatis familiaris in genere, qvoad perſonas.
IV. Hujus typus dominans in totum & partes ſubjecti.
V. Ejusdem antiqvitas.

I.

FAmiliarem qvandam dari ſuperioritatem, qvotqvot in familiis nati atq; educati ſumus, hoc eſt, omnes honeſtè progeniti habitiq; novimus. Itemq; antiqviſſimam ac primam cum ſocietate familiari, cujus rectrix eſt, hanc hominum in homines poteſtatem eſſe, & ſacris edocemur elogiis (a) & conſiderationi ſapientum, etiam per naturale lumen, obſervatum cernimus: qvando pleniores perfectioresqve hominum conſociationes primum ex familiis coaluiſſe, hisqve ut primis fulcris inniti; ipſam autem familiarem ſocietatem qvotidianæ vitæ causâ ex pluribus membris, ſub domeſtico ſuo imperio vigere ſtatuunt (b). Qvoniam autem omnis familiaris plenior ſocietas, tribus conſtat partibus homogeniis, ſocietatibus nimirum ſpecie tribus, putà herili-ſervili, paternâ-filiali & conjugali; & qvartâ qvâdam heterogeniâ, eâ nempe, qvæ circa rem familiarem ratio eſt: Qvadruplicem qvoq; hinc familiarem dominatum futurum eſſe ex neceſſitate videtur ſeqvi. trinum nempè qvi perſonas intercedit, & unum qvi perſonarum in res familiares, qvæ dicuntur, eſt.

(a) *Gen. 1. 2. 4. 9. 10. &c.*

(b) *Ariſtot. 1. Pol. 1. 3. & ſeqq.*

II. Multi ſunt, in familiæ ejusqve partium ac imperii ratione

tione describendâ, & Philosophi & JCti. Et primo qvidem non personis tantùm, sed & rebus constare familiam, observat & tractat Aristoteles, qvando rem familiarem *partem domus*, itemqve *multitudinem organorum ad vitam definit;* artesqve ejus comparandæ tractandæqve docet (*a*). Observant disertè & Juris nostri auctores, (*b*) *familiæ appellationem variè acceptam, & in res & in personas deduci. In res ut puta in L. duodecim tabularum* his verbis; *agnatus proximus familiam habeto:* Item (*c*) familiæ nomen & pro *substantia* oportere intelligi. Pertinent verò remqve arguunt, & aliæ legibus nostris usitatæ locutiones (*d*), qvibus e. g. *familiæ emptor, familiæ mancipatio, familia herciscæ* dicitur: qvæ omnes etiam ad hunc significatum in specie respiciunt. Et multum notabile existimem: Imperium familiare hoc solo ad rem respectu, & nomen & speciem tueri; dum patresfamiliarum nobis appellantur *omnes, qvi sunt suæ potestatis sive puberes, sive impuberes*, teste Ulpiano: (*e*) & iterum: (*f*) dum *paterfamilias appellatur, qvi in domo dominium habet: rectèqve hoc nomine appellatur, qvamvis filium non habeat;* qvia designatione hàc, *non solam personam ejus, sed & jus demonstramus. Deniq; pupillum, patrem familias appellamus, & cum paterfamilias moritur, qvotqvot capita ei subjecta fuerint, singulas familias incipiunt habere, singuli enim, patrum familiarum nomen subeunt.* Idemqve *eveniet in eo, qvi emancipatus est; nam & hic sui juris effectus, propriam familiam habet.* Certè, familiam & in domo dominium alicui tribuere, & eidem tamen aufferre filium, uxorem (fortè etiam servum) ut in his exemplis JCtus fecit, est nomen & omen dominii, potestatisqve familiaris ex solo in rem respectu illi relinqvere, imò tribuere. Ast hujus qvidem rei familiaris dominii ratio ac vis plenior, ut opinor, in conspectum prodibit, ubi infra in specie natura dominii in rem examinabitur, nunc solummodò in respectu ad personas versari propositum est.

(*a*) lib 1. Pol.
(*b*) l. 195. §. 1. de VS.
(*c*) l. fin. C. d. VS.
(*d*) §. 1. 10. d. testam ulp. l. 20. §. 1. l. 25. §. 5. l. 1. & t. t. famil. hercisc. §. 20. J. de act.
(*e*) l. 4. de his qvi sui vel aliê juris sunt.
(*f*) d. l. 195. §. 2

III. *Familiæ*, habitô (juxtà qvàm hic modò supponimus) ad personas respectu, JCto (*g*) describitur, *corpus aliqvod personarum domesticum; qvæ jure proprio continentur.* ubi fortè primum notare est, cum Goddæo: (*h*) familiam dictam ab antiqvo, *famul*, voce osca, qvod servum & *famulitas*, qvæ servitutem denotabat: inde fortè

(*g*) d. l. 195. §. 2. de V. S.
(*h*) ad d. l. §. 4 in fin.

fortè latinis, famulus, famulitium & ejusmodi reliqva descendunt; & illud præterea videtur esse, qvod toties, penè dixerim, infinities, in jure civili Romano in respectu ad servile genus vox familiæ usurpetur. (a) Qvod autem *in corpore* familiam ponit JCtus, eô omninò primitùs ipse infert, familiam hoc personali respectu, in unitate non consistere, sed pluribus constare personis, prout alibi etiam in hac eadem specie id notatur, (b) Per id autem, qvod eorum dicit hoc corpus, *qvi jure proprio continentur*, patet eum voce, *proprii*, removere velle corpora alia, qvorum inter personas non tam actu domestica, aut familiaris conversatio est, qvàm aliqva saltem ex domesticâ verâ originem fortè trahens alia; qvomodò nimirum aliàs etiam extra hujusmodi singularis ac propriæ familiæ terminos qvandam agnatorum gentiliumq; pluralitatem familiæ appellatione contineri novimus. (c) Sed pergit porro ille, familiam hancce, ut proprio jure contentum corpus definire ita. (d) qvod sit *plurium personarum, qvæ sunt sub unius potestate, aut natura, aut Jure subjecta.* Ubi id apprimè existimem notandum, qvod *JUS* istud proprium *in potestate & subjectione* legitima à JCto prorsus ponatur: & qvidem ex naturali simul ac civili jure; id enim, etiam qvoad hoc verbum *naturâ*, inferre, haud erit ambigendum; qvia, etiamsi non veniat negandum, qvod alicubi ad hanc familiarem cum subjectione potestatem producendam, qvædam naturæ factiva cooperatio, qvæ tamen moralis juris naturæ non est, concurrat, puta qvæ in productione corporis cujusdam huic subjecti v. g. filii occupata est. Jus tamen naturale omnino illud est, qvô ipsa potestas, qvæ e. g. patri in filium naturâ hîc concedi dicitur, conceditur. Ponatur enim patrem gignere filium, nec addatur, jus, aut legem dari, qvâ hic illi subjiciatur, ille in hunc potestatem habeat; certè non magis inter hos, illos respectus locum habere, concipi potest, qvam hos inter, ac qvosvis alios; prout hujusmodi, cum dissociatione potestatis subjectionisqve annihilationem plurimis adultis bestiis, ab invicem licet natis, accidere videmus, dubio procul non aliâ ex causâ, qvàm qvia jure, pro hujusmodi effectis, destituuntur; qvi proinde effectus, qvia hominibus familiariter intercedunt, hisdem utiqve non alio qvàm juris beneficiô aderunt.

(a) d. l. 195. §. 4. d. V. S. l. 40. 166. eod. l. 1. pr. §. 5. l. 12. de publ. & vect. l. 1. pr. §. 16. & seqq. de vi & de vi armat. l. 1. & t. t. ad SC. Sylan, etc.
(b) l. 40. § 3. d. VS. (c) d. l. 195 §. 2. in fin.
(d) d. § 2.

Unde

Unde sine dubio etiam est, qvod iidem effectus respectusq; hoc loco anteqvam in potestatem & subjectionem ab invicem distingvuntur, junctim nomine *Juris* efferantur, vel saltem sub ejus vi concludantur. Ad enumerationem partium, ulterius procedens dictus Jurisperitus: *Utputa ait, patremfamilias, matremfamilias, filiumfamilias, filiamfamilias, qviq; deinceps vicem eorum seqvuntur, ut puta nepotes, & neptes & deinceps.* Et paulò pòst: (a) *servitium qvoq; solemus appellare familias. interdicto, unde vi, familiæ appellatio omnes servos comprehendit.* Et ita in effectu, *caput dominans* unum hujus familiaris corporis, & *subjecta membra* tria, *uxorem, filium, servum*, ponit. juxta qvam & communiter philosophis facere familiare est. Prorsus autem nervosa atq; elegans, opinor, memorata hęc JCti familiæ descriptio est, pulchrè continens, & qvid genere illa sit & qvibus ex partibus, qvove ordine constitutis, existat; & deniqve qvâ continentiâ mutuâ, partium illius subordinatio consistat; qvando nimirum unum notat superiorem patremfamilias, cui jure sit potestas, (siqvidem plenior familia ejusqve corpus est) in tria hominum genera; uxorem scilicet, liberos & servos; & hos vicissim illi jure esse subjectos. Qvâ de mutuâ per potestatem & subjectionem continentia & competentia, & si qvæ juxtà monere visa fuerint, nunc qvidem paulò amplius nobis erit agendum, respectu potissimum habito ad præeminens, qvod est *familiaris potestas*.

(a) §. 3.

IV. De hac autem familiari potestate, præter ea, qvæ proxima thes. definitio familiæ, ut subjecti hujus potestatis exhibuit, pauca qvidem sunt, qvæ in genere ampliorem aliqvam annotationem videntur mereri, siqvidem ex iis, qvæ ante de potestate generalius dicta sunt, modò recolligatur, esse ipsam facultatem legitimam, esse potestatem liberam in personas familiæ incorporatas; & siqvidem ita modò simul in conceptu mentis versetur, qvid ratione hujusmodi generalis naturæ suæ affectionum habeat, e. g. esse *à lege, liberam, in qvid subjecti, &c.* Nisi qvod obiter non videatur committendum, qvin audiantur JCti, qvomodo hujus potestatis naturam *dominatricem* inculcent: disertè *Dominium, Principatum,* & qvandoqve, qvasi singulari pondere, *potestatem* appellantes: qvando patrem seu *caput familiæ, familiæ principem*, eumq; dicunt,

qvi

qvi in domo dominium habet (a), qvando servis ac filiisfamilias, respectu hujus potestatis, disertè subjectionis characterem imprimunt, *personas eas* dicentes, *alieno juri subjectas, in potestate parentum ac dominorum existere* (b); *Potestatis verbum ad omnem sexum, item ad omnes, qvi sunt alieno juri subjecti porrigendum esse:* (c) *In potestate accipi utriusq; sexus filios filias, servos servas* (d). *Verbum potestatis non solum ad liberos trahi, verùm etiam ad servos*, & qvæ passim plura ejusmodi alia pro dominatu herili patrioqve occurrunt. Qvin si in specie ad singula subjectorum hanc familiæ dominantem auctoritatem conferas, disertè qvidem ex usu vulgi & jureperitorũ reperire est: potestatem qvæ in servos est, dominium designari, & ipsos qvi eam habent ab ea dici dominos; Et qvamvis ad distingvendam illam ab hac, qvæ in filios parentis est potestas, non tam voce dominii, qvàm patriæ potestatis hæc efferatur; & vicissim, ut ab hac etiam distingvatur, illa, qvæ & mariti in uxorem est, rarius vel ipsius potestatis nomine veniat; rem ipsam tamen, ipsamq; dominandi rationem huic per familiam potestati, qvoad has ei subjectas personas qvoq; tribui, forsan nemo ambigit, qvi videt filiosfamilias servis, qvoad rigorem hujus potestatis, in qvàm plurimis comparari; qvi cernit, uxores qvoqve viris suis ad multum servile obseqvium omni jure obnoxias esse. Qvò pertinet illud ex antiqviori romanorum consvetudine, qvô, ut intimiori jure maritis addictas uxores demonstrarent, ritu coëmptionis aut confarreationis, ut vocabant, has illis jungebant, inqve manu viri hanc aliqvam esse aut convenisse dicebant (f): qvod qvidem *in manu esse idem etiam aliàs est, qvod in potestate esse* (g). Taceo, etiam disertè aliàs reverentiam à mulieribus erga viros civili lege communiter reqviri, (h) & nec paucos hujus potestatis effectus, de qvibus dicendũ est post, inibi observari. Qvin ne vel hoc saltem taceam, pro asserendo potestati maritali dominii typo, pro omnibus sufficere potest illud unum (i), *& ille dominabitur tibi.*

(a) *d.l.195. & seq d.V.S.*
(b) *l. 1. de his qvi sui vel al. jur. sunt pr. In. eod.*
(c) *l.1.§.4. de trib. act.*
(d) *l.1.§.21. de exerc. act.*
(e) *l.3. §.2. de donat. int. vir. & uxor.*
(f) *Ulp. t. 9. t.22.§.12.t.26 §.6.t.29.pr.*
(g) *pr. Inst. d. libert.*
(h) *l.1.§.7. de rei uxor. act.*
(i) *Gen.3.*

V. Nolim hîc multum pugnare circa prærogativam antiqvitatis, domesticis potestatibus præ civilibus, aut etiam unis istarum præ alteris inter sese competentem. Id saltem manifestum qvidem esse dixerim, antiqvissimam esse introductionem omnium.

Ut tamen civilis societas non possit extitisse, anteqvam auctus esset hominum & familiarum numerus, qvod ipsum tamen brevi post prima hominum initia evenisse, testantur urbium exstructiones, digressiones populorum in partes, potentiæ maximæ tyrannorum, in sacris, ex hisce initiis tum ante, tum post universale diluvium memoratæ: (a) omniumqve penè gentium remotissimæ antiqvitatis monumenta. Civilis commercialis seu crediti potestas qvin cum ipsa hominum pluralitate, sua jam tum habuerit qvasi materialia fundamenta, non dubitabit, qvi cogitat fieri potuisse, ut sibi homines invicem promitterent, beneficio sese afficerent, sese læderent: imò vinculum humanitatis cum hominibus simul in mundum esse illatum, adeoq; nexus debiti vel usq; hinc hominibus mutuò extitisse; eoqve nec fieri potuisse, qvin potestatem simul homines habuerint, jure æqvitatis, qvod sibi ab alteris deberetur, exigendi. Serviles qvoqve, impotentes, ac stupidioris ingenii homines ab initio rerum accidisse potest, ut juxta prudentiores gignerentur, qvi adeò juxta Philosophum lib. 1. Politicor. aliis per naturalem aptitudinem dominaturis, naturâ in servitium essent producti. Et fuisse proximum, ut ex maris & fœminæ conjunctione, statim enascerentur liberi, atq; ita patris naturalis potestas statim talum posuerit, nemo ambiget, nec per sacra testimonia dubitari debet. Uti neqve id, qvod ex familiaribus omnium primò conjugalem societatem & cum hâc dominium maritale mundus conspectarit inter homines. dico inter homines; qvia, si Deum cum hominibus velis conferre, citra dubium paternæ atq; dominicæ superioritatis sive vestigium sive exemplar in Deo benignissimo patratore atq; absolutissimo conditore hominum reperire est: sed versamur in humanis. In qvibus, qvoniam prius plures habuit natura qvasi formatas domesticas, qvàm civiles, & in his omnium primam maritalem potestatem, & naturâ, & positivâ sanctione scimus constitutam, stabilitamq; (b), licebit per species hasce paucis transituris, ad hanc progressus facere initium.

(a) vid. Ge. 4. v. 2. 8. 10. 16. cap. 6. v. 4. c. 10. v. 8. & seqq.

(b) 1. & 3. Gen. Arist. 1. Pol. 1.

CAPUT VI.

De conjugali Dominatu.

I. Maritalis dominatus natutali jure, gentiumqve moribus, stabilitur.

II. Mariti in uxorem potestas, à duplici conjugalis societatis fine, duplex est.

III. Una tuendi thori.

IV. Altera exigendi à muliere familiaris vitæ adjutorium in operibus.

V. In bonis ab illa in familiam conferendis; non qvidem ex necessitate status conjugalis.

VI. Ex ratione tamen congrui, siqvidem benè habeat mulier, unde.

VII. Qvale mariti dominium, in dotalia collata.

VIII. Dominium mariti in uxorem multo cum officio nexus; Et vicissim subjectio uxoris, multâ cum potestatis libertate in virum & familiaria reliqva sunt conjuncta:

IX. Sive thorum respicias conjugalem;

X. Sive alia, libertatis, commodi, officii &c. competentia mutua.

I.

FUndamentum *maritalis dominatus*, itemqve *uxoriæ subjectionis* in natura observat Philosophus: maris præ fœminâ ad imperandum majorem aptitudinem & hujus præ illo imbecillitatem *(a)*; scilicet animi simul atqve corporis virtutibus communiter masculum fœmineo sexui præire facile cernebat. Cui hactenus astipulatur Divus Petrus Apostolus *(b) infirmius* pronuncians *muliebre vasculum*; & communis totius orbis experientia. Qvod autem posuerit atqve communiverit hanc ipsam conjugalis dominii rationem ipsa intentio creatoris extra dubium collocat, tùm ratio finis, qvem etiam ipse anteqvàm fœminam conderet, operi

(a) 1. pol. c. 8.
(b) 1. Ep. c. 3, 7.

operi futuro præferebat, nempe ut socia atq; adjutrix (*a*) & per consequens non dominatrix, sed obseqviosa viro esset; tùm expressa primævæ illius sanctionis lex ita indicta mulieri (*b*): *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi*, qvam indicat (*c*) & toties inculcat Apostolus. *Mulieres* inqviens (*d*) *viris suis subditæ sint, sicut domino, qvoniam vir caput est mulieris, sicut & Christus caput est Ecclesiæ.* Item (*e*) *Mulier in silentio discat cum omni subjectione, mulieri non permitto dominari in virum, sed esse in silentio. Uxor timeat virum suum:* (*f*) Et iterum: *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in domino &c.* inculcatum habebat hoc jus Sara, Abrahamum virum vel secum dominum appellans suum (*g*), observatum id ipsum volebant Persæ, qvando Magnus rex Ahasverus, ad consilium Manuchan, misit epistolas ad universas provincias regni sui, ut qvælibet gens audire ac legere posset, viros esse principes ac mulieribus majores, (dominos) in domibus suis (*h*). In genere agnoscit id legislator qvoqve civilis, (*i*) judicans, *in officio mariti esse debere* uxorem, & *reverentiam* illi exhibere *maritalem* (*k*). Et agnovere communiter omnium gentium mores, ubi temerè non invenies, communi aut lege aut more invaluisse, ut justum putatum fuerit, mulieres oportere dominari maritis, & caput familiarum constituere: nisi fortè fabulosas Amazones producas in medium. De qvibus tamen notari adsolet, (*l*) istas à maribus habitasse separatim. Taceo polygamiam viris, non autem mulieribus, apud complures gentes usurpatam.

(*a*) *Gen.2.18. & 23. c.3. v.12.* (*b*) *Gen.3.16.* (*c*) *1.Cor.14.v.36.* (*d*) *Eph 5, 22.* (*e*) *1.Tim.2.* (*f*) *Col.3.18.* (*g*) *Gen.18.12.* (*h*) *histor. Ester.* (*i*) *l. 48. pr. de oper. libert.* (*k*) *per l.1. §.7. de rei uxor. act.* (*l*) *Diod. Justin. alii.*

II. Si autem qværitur, in qvæ hæc maritalis potestas potissimum dirigatur, maximè ex fine conjugii res decisionem videtur expectare, utpote, qvod, ut omni, ita etiam conjugali societati suus necessariò sit finis; ad hunc autem obtinendum prædominans cujusqve societatis potestas, qvæ maritalis hîc est, officia cujusqve ex societate habeat dirigere. Jam verò fines matrimonii duo sunt potissimi & proximi, honesta sobolis procreatio, & vitæ deinde adjutorium. *Crescite & multiplicamini & replete terram*, divina primis con-

conjugibus occinebat benedictio (a); repetita horum propagini tanqvam in novam generationem post cataclismum (b). *Dixitq; Dominus Deus* (c) qvando viro mulierem sociare instituerat: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* In hoc *adjutorium vitæ* atq; commodum à conjugio sperandum commendaret hic Aristoteles, (colligens ex positis lib. 9. Eth.) amicitiam, alteram hominis vitam, qvam, honestissimam & jucundissimam inter paucissimos, h. e. duos, possibile sit rectiùs coli. Et Imp. Leo (d) in hoc etiam computaret id boni auxilii, qvod à liberis est sperandum: & JCtus Callistratus *jucundè speratam nobis diuturnitatis memoriam in ævum relinqvendam* (e); *Sobolis* procreandæ finem laudaret Justinianus; (f) *Nihil putans hominibus utilius esse nuptiis, tanqvam qvæ solæ facere homines* (intell. decorè & legitimè) *valerent*, commendarent hunc & mandarent plurimum mores legesq; gentis castorum matrimoniorum admodum studiosæ, romanæ (g). Ab his, inqvam, finibus (qvi enim præter sunt, veluti Dei gloria, reip. per augmentationem civium commodum, fornicationis evitatio, mysterium fœderis DEI cum fidelibus & similes, hisce subordinati ac remotiores sunt) ut totum conjugalis societatis jus, ita videtur & potestas regens maritalis dimetienda ac dispescenda esse: nimirum qvatenus & honestam castamqve sobolis procreationem curare & subsidium familiaris vitæ, uxorem poscere, jus habet: qvatenus thoro, operæqve conjugali præsidet. Intendit huc opinor Hugo Grotius, (h) qvando *maritum uxoris* dicit *caput in rebus conjugii & in rebus familiæ.* Per illud thori, per hoc familiaris auxilii curam, ut videtur, expressurus.

(a) Gen. 1. 28. (b) ib. c. 9. ab init. (c) Gen. 2. 18. (d) Nov. 26. (e) l. 220. in f. de V S. (f) N. 39. in f. pr. (g) N. Leon. 26. d. l. 220. de V. S. A. Gell. lib. 4. l. 22. § 7. solut. matrim. l. 1. & seq. de infirm. pœn. cœlib. pr. J. de nupt. & pass. (h) lib. 2. d. Jur. bell. ac pac. c. 5. num. 8.

III. Potestatem thori marito competentem respicit absqve dubio Apostolus, (i) qvandò vult, ut *debitum reddat uxor viro, & ut mulier sui corporis potestatem non habeat, sed vir.* In qvibus simul, & benignè cum conjuge cohabitandi & animadvertendi ad conjugii castimoniam, viro dixeris jus esse commissum. Grotius (k) definitiva

(i) 1. Cor. 7. v. 3. & seqq. *(k) d. loc.*

tiva qvadam ratione, utrumq; exprimere intendens, *conjugium* existimare se dicit, *naturaliter esse talem cohabitationem maris cum fœmina*, (ita & castè prius, & porrò cautè sic posterius) *qvæ fœminam constituat qvasi sub oculis & custodia maris.* Qvam castimoniæ in conjuge custodiam, in tantum divina humanaqve jura viro commissam indultamqve solent relinqvere; ut ad singularem etiam ac rigidum usqve vindicandi modum eam patiantur procedere; qvando non tantum domo pellere ac repudiare adulteram [not. in hoc etiam mitissimum christianorum jus conspirare *(a)*,] itemqve singulari prærogativâ, judiciô pudicitiam ejus perseqvi ipsi permittunt *(b)*, sed etiam privatim eam vindicanti ita indulgeant, ut nec peremptam adulteram capite temerè cogatur luere *(c)*: imò & privatim ulcisci qveat adulteram *(d)*. Qvæ autem dicuntur de potestate mariti, jurisqve maritalis autoritate, in uxorem, ea, de officio uxoris in maritum, & hic & in cæteris simul debent intelligi, & contra: veluti ut, obsecundet illa viro, ut castum conservet thorum, matrimoniiq; reverentiam habeat. Cui ut alia ita hoc Imperatoris inclusum existimes, *(e)* qvò maritum absentem, fortè in expeditione degentem, jugiter expectare jubetur uxor, nec alii nubere, usqve dum exploratam habeat ejus mortem, à Duce militiæ: aut pro moribus nostris, usq; dum legitima intercesserit cognitio concessioqve judicialis. Imò huc pertinet, qvod etiam morte solutum matrimonium integro annô, luctu honorare, civili lege teneatur, anteqvã alii nubat, sub pœna infamiæ *(f)* & amissione bonorum, qvæ occasione matrimonii acqvisierit *(g)*; qvod transiens ad secunda vota, existentibus ex priore matrimoniô liberis, qvicqvid à parte viri nacta sit, ejus tantùm usufructu ad vitam retentô, proprietatem statim ad liberos prioris matrimonii transmittat *(h)* & si qvæ sunt ejusmodi reliqva, qvibus vel solùm, vel qvodammodò respectus ille matrimonialis reverentiæ fovetur.

(a) Matth. 19. 9. c. 5. (b) Num. 5. 12. Deut. 32. 20. & seqq. l. 37. §. 1. de minorib. l. 14. §. pen. l. 3. de adult. l. 6. 30. C eod. (c) l. 38. §. 8. de adult. l. 1. in f. de sicar. (d) l. 24 de adult. l. 4. C. eod. (e) N. 22. c. 4. 117. c. 11. auth. hodiè C. de repud. (f) l. 1. 8. 11. de his qvi not. infam. (g) l. 1. 2. & auth. eùdem C. de secund. nupt. (h) l. 3. cum auth seq. C. de secund. nupt. N. 22. c. 23. 25. add. c. 46. §. 2.

IV. Ad-

IV. Adjutorium vitæ sive familiare auxilium, qvod de potestate exigendi viri deqve officio præstandi mulieris est, in operis & re, sive suggestione bonorum, etiam ex suo, si habet, consistere videtur. Qvippe, cum hæc sint qvibus juvari commune familiæ bonum potest, mulier autem socia sit familiæ, divini & humani juris communicationem in ea adipiscens (a) honoris mariti bonorumq; omnium familiæ particeps existens (b), idq; eò meliori modo, qvò pingviore conditione capiti familiæ qvasi ad latus posita est: Utiqve hisce etiam pro viribus, ac qvantum convenit familiam juvare ipsa tenebitur, poteritqve maritus eadem ab ipsa hactenus exigere. In officio operum numerarem observationem mariti, & curam familiæ reliqvæ; nempe ut ante omnia maritum, ut suũ & communem familiæ dominum, revereatur, & comis ac blanda ei conversetur; virtutibus marito gratis ac honoratis studeat, vitia qvæ sibi & illi dedecori esse possint, v. g. fastum, asotiam, & reliqva, pro possibili vitet. In familia autem liberorum probæ educationi sedulò coincumbat; Servitia ministrorum coordinet, urgeat; ubi præter decori jacturam potest, manus admoveat, parta sedulò custodiat, conservet; domum tuetur, & qvæcunq; alia ad familiæ decus atq; commodum faciunt, qvantum in se est, sedulò præstet. Non possum, qvin audire hîc faciam miram qvandam svavitatem sapientis, qvâ simul & laudat & mandat hujusmodi mulierum in familia officiositates: *Mulier gratiosa*, inqviens, *sustentabit gloriam. (c) Mulier diligens corona est viro suo: qvæ autem confusione res dignas gerit, putredo est in ossibus ejus. (d) Sapiens mulier ædificat domum suam: insipiens extructam etiam manibus destruet. (e) Si qvis invenerit mulierem præstantem, ea longè pretiosior est margaritis; confidit in ea cor viri, & opes illi nõ deerunt: Reddet ei bonũ & non malum omnibus diebus vitæ suæ. Qværit lanam & linum, & operatur cum voluptate manibus suis, de nocte surrexit, deditq; pabulum domui suæ & cibaria ancillis suis, manum suam misit ad colum & digiti ejus apprehenderunt fusum. Nobilis in portis vir ejus, qvandò sederit cum senatoribus terræ, os suum aperiet prudentiâ, & clementia in lingva ejus.* His & aliis prætereà multis virtutem operamq; domestici mulieris officii decantat ille (f) cui respondent hæc Ecclesiastici: (g) *Mulieris bonæ, beatus.*

(a) l. 1. de rit. nupt. (b) l. 8. de senatorib.

(c) Prov. 11, 16.
(d) cap. 12, 4.
(e) cap. 14, 1.

(f) Prov. 31. à v. 10. ad fin.
(g) cap. 26, 1.

tus vir: numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit, & qvæ seqvuntur. Item (a) Qvi *possidet mulierem bonam, incheat possessionem: adjutorium secundùm illum est, & columna & reqvies. Ubi non est, semper diminuitur possessio, & ubi non est mulier, ingemiscit egens.* Qvæ omnia, siqvidem ut officia, lege societatis domesticæ & conjugalis, à muliere præstanda, consideres, facile patet, qvid operarum uxori in domo ex debito incumbat, & hinc, qvid viri auctoritas naturaliter desiderare & à tardiore exigere valeat; & è converso in contrariis vetare. ubi fortassis & specialem animadversionem meretur, qvod Deus ipse in repub. hebræorum viro permiserit, vota à muliere facta improbare (b). Sed pergendum.

(a) *cap 36. v. 26.*

(b) *Num. 30. v. 7. & seqq.*

V. Ad bona qvod attinet, ut illa qvædam ex suo, vel aliunde etiam, in familiam inferant & potestati mariti subdant, non eadem fortè nec tanta omnibus mulieribus naturaliter est necessitas. Qvid enim si non habeat fœmina bona, an ideò matrimonii non erit capax? qvin imò si habeat, dubites fortassis, an non & plura possit habere, qvàm qvæ proportio familiaris debiti in collationē vocet? & annon propriæ libertatis status admittat, ut qvædā peculiaria retineat? Nisi qvidē fallor, id ante omnia hîc erit ponēdū; bonorum collationem à parte mulieris, nec ad substantiam aut perfectionem pertinere matrimonii, nec ex necessariis conseqventium ejus esse; utpote qvod, qvoad substantiam, matrimonialis contractus vinculum ac perfectio, sicut non concubitu, qvi etiam intimiorem matrimonii spectat finem; ita multò minus dotis datione coeat; sed consensu patrioqve ritu: in connexis necessariis autem itidem non æqvè videbitur collatio facultatum, qvam operum modò memoratarum præstatio, locum poscere: nempe operas mulier jure intimo societatis præstat, tum qvia particeps ipsa commodorū familiæ, tum qvia obseqvium marito debitum hæ habent. Bonornm autem factam extrinsecus illationem ad officii abundantiam, & inter ea dixeris magis videri referendam, qvæ abesse & adesse matrimonio possint, vel ideo etiam, qvod mulier, statim atq; intrat matrimonium, pro obseqvio præstito prǣstandoqve, alimoniam jure æqvo inibi debeat reperire. Qvæ qvidem ipsa ratio

tio, siqvidem in sua qvadam simplicitate matrimonium considerес, magis à marito domino familiæ, ut aliqvid facultatum afferat, videri posset reqvirere, qvàm ab uxore, cum utiqve alere ille debeat, qvos sibi familiariter obseqvi ac inservire cupit. Et est fortè eadem illa, qvæ gentes nonnullas etiam legibus moribusqve aliàs sic satis rectè excultas moverit; qvod à maritandis maribus potius reqvirerent, qvid amplius rerum pro futura sustentanda familia in conjugiū adferri, de fœminis rem ferè in medio relinqventes, prout de Germanis antiqvis ex scripto Taciti de moribus Germanorum (*a*) adnotare licet. qvibus juxta ipsum *dotem non uxor marito sed uxori maritus offerebat*: Et de Lacedæmoniis refert Justinus, (*b*) *Virgines apud eos ex lege Lycurgi jussas sine dote nubere*, per rationem, *ut uxores eligerentur, non pecunia; utq; severius matrimonia sua viri coërcerent, cum nullis dotiū frenis tenerentur.* Cui penè gemina ratio Æliani, (*c*) de Atheniensibus: qvod apud ipsos ex lege Solonis *tenuem admodùm dotem, tres vestes* nimirum & *qvædam parvi pretii vasa & præterea nihil*, mulier afferre opus habuerit, *ut conjugium non pretio sed charitate liberorum conciliaretur.* Ad casum qvo opulentior fœmina est, & ex more fortè civitatis dotem conjugio adfert, aut adferre cogatur, notare est, non tamen statim ei necessarium solere esse, ut omnia bona sua mariti potestati subdat; qvin potius usitatum esse, sua ei paraphernalia bona permitti, in qvibus nihil juris nanciscatur maritus, ipsa autem, pro suo peculiari commodo, ad proprium arbitrium, possit omnia; pro ut in his, de romanorum usu civilibus Justinianeis (*d*), Germanorum verò, nostris Saxonicis legibus (*e*) compertum redditur. Ita tamen, ut Saxonum mores mulieribus in hisce minus sint favorabiles, cum eorundem bonorum usumfructum etiam marito permittunt, salvo mulieri jure proprietatis (*f*). Porrò verò & ex ipso illo supposito videtur esse, qvod nec jura (*g*) illa, qvæ mulierem in qvotam liberorum portionemq; aliam, post dissolutum morte mariti matrimonium, vocant, multū svadere volunt, cogi mulierem, ut vel aliqva vel ampliora qvædam bona illius legitimæ ergò, ex suo in familiam conferat, qvippe qvod pro labore & opera, qvam durante matrimonio familiæ præstitit, benignitas legum hæc ei videri possit contulisse;

(a) cap. 18. n. 2
(b) lib. 3. c. 3. n. 8. E.
(c) Hist. var. 6. 6.
(d) l. 9. §. 2. & seq. d. jur. dot. l. 31. § 1. d. donat. l. 8. C. de pact. convent.
(e) Landr. lib. 1. art. 31. & 45.
(f) vid. Wesen. in eod. tit. de Jur. dot. n. 11 post med.
(g) vid. Wesen. tit. π. unde vir & ux. n. 2. & 3.

prout hoc etiam aliarum societatum æqvitas consvevit exposcere, ut opera cum re ad lucrum communiter partum, socios pariter admitti mereatur (*a*). Ex his igitur apparere existimem, non esse utiq; de substantia conjugii, aut etiam de necessitate officii uxorii, vel aliqvam, vel ampliorem pecuniam à muliere conjugio inferri, dominioqve conjugali submitti. ac etiamsi qvædam inferat submittatqve, non tamen solere reqviri, ut sua omnia. sed qværitur tamen de convenientia, siqvidem in familiam ventura fœmina benè habeat, unde.

(*a*) §. 2. *Inst. de societat.*

VI. Qvia certè grandia sæpius sunt onera matrimonii, idq; tum in communem usum decusqve tàm uxoris, qvàm mariti; tùm etiam particulatim uxoris; qvandò fortè augusta in commune servitium sustentanda familia est, liberi in communem honorem gaudiumqve educandi; mulier verò etiam ipsa è domo paulò honoratiore advenerit, sive etiam in nova familia splendidioribus, aut æqvè splendidis mariti radiis fulgere, ejusq; honore nobilitari, ut alicubi Impp. loqvuntur (*b*), incipiat; eòqve vestitu, mundô, servitiô alioqve matrimoniali cultu lautior haberi cupiat; utiq; convenientissimum videtur, uti & ipsa aliqvid pecuniarum, unde hujusmodi sumptuosa expediantur, tamq; gravia matrimonii onera sustententur, à sua qvoqve parte inferat. Ne dicam, eô ipsô, qvod accidat mulieri, honoratiori matrimonio fortè honorari, in pensationem hujus beneficii, eam etiam ad qvid collationis videri teneri. Et verò hæ & hujusmodi causæ, (superiori morum simplicitati, indulgentiæq; adversæ,) videntur fuisse, qvæ plerisq; gentium humanarum in more esse fecerunt, uti qvid dotalitii uxor marito communiter afferret, re qvibusdam etiam in qvandam necessitatem provectâ. Undè, etiamsi de germanis nostris, prisco sub inopiæ seculô adhuc degentibus Tacitus adserere audeat: *Dotem non uxorem marito, sed maritum uxori afferre;* cum tamen paulò pôst, ubi retulerat qvæ illa dos esset; *boves nempe aliqvot frenatus eqvus & scutum cum framea gladioq;*, videre licet, his dictis addere: *atq; invicem ipsam armorum aliqvod viro offerre.* qvod qvidem armorum viro oblatum, nescio an etiam propriè pro usu & facultatibus majorum nostrorum locum dotalitii habuerit: Eoqve interpretationem admit-

(*b*) *l. 13. C. d. dignitat. l. ult. C. de incol.*

mittat superius scriptoris dictū, de nō afferenda à mulieribus dote; qvod nempe comparativè ad mores romanos, qvadam libertate sermonis isthæc ille loqvatur. exprimere cupiens, qvod, qvæ apud Germanos à mulieribus loco dotis viris inferantur, si cum amplissimis Romanensibus conferantur dotibus, propter summam rerum allatarum tenuitatem, ne nomen qvidem dotis mereri commodè videantur. imò si conferatur qvod illæ, & qvod viri ipsi more gentis, conjugio adferre haberent, simulq; attendatur modus, qvô præsentes qvasi tam hi qvàm illæ matrimonii primis auspiciis exhibere isthuc tenerentur; qvod tum iterum respectu ad morem romanum habitô mariti potius collationes speciem dotis habeant, qvàm eæ qvæ erant uxoris. De Lacedæmoniis, etsi ex lege Lycurgi, pro peculiari à Nomothetâ inspecta ratione, nullam deberent mulieres dotem afferre; est tamen qvod Aristoteles posterior illorum morum observator, eos redarguat, (a) qvod modò nimis magnas dotes dent. Romanorum jura plena sunt de dotibus dispositionum, qvibus etiam usq; eo processum est, uti parentem cogerent filiam elocandam pro modo facultatum ac dignitate mariti (b) dotare, (c) paterni hoc officii prorsus reputantes, (d) simile ostendi potest ex lege Hebræorum. (e)

VII. In definienda autem potestate mariti in dotes jam collatas: imprimis & multi & notabiles sunt romani: qvandò disertè marito dominium dotis tribuunt (f), idqve, juxta qvam res in dotem data, vel fungibilis, [h. e. ita comparata, ut usu ejus in abusu consistente, aliâ specie, qvàm qvâ data est reddi consveverit (g).] vel non fungibilis est, pleniore aut minus plenâ, amplâ autem semper potestate. Nempè rem fungibilem acceptam non secus ac mutuatarius, non usurpare tantum, sed etiam distrahere pro arbitrio potest (h); sicut & res soli æstimato datas; siqvidem electio ei relicta est, remne an æstimationem restituere velit (i). Qvæ non fungibilis, seu soli res est, veluti fundus dotalis qvidam: Hanc etsi alienare non possit, uti frui tamen eâ, ut suâ potest (k); itemq; vindicare amissam (l) & reliqva qvæ dominii aliàs sunt, libere ejus rei nomine obire (m): Idqve cum continuatione donec vivit, etiam post matrimonium finitum; siqvidem morte uxoris, aut aliàs citra

(a) lib. 2. pol. c. 9. (b) l. 60. 69 §. 4. & 5. de jur. dot. (c) l. 19. d. rit. nupt. l. 22. §. pen. ad SCtū Trebell. l. ult. C. d. dot. promiss. l. 19. C. de haeretic. (d) l. fin. C. d. dot. prō. l. 81. pro socio. (e) Exod. 21. v. 10. (f) pr. Inst. qvib. aliē. lic. v. non. l. 75. d. jur. dot. (g) l. 2. §. 1. d. reb. cred. (h) l. 42. d. jur. dot. (i) l. 11. d. fund. dotal. l. 1. C. so-lut. matrim. (k) l. 20. C. l. 3. 7. 76. ff. de jur. dot. (l) l. 9 C. de R. V. (m) per l. 1. C. d. jur. dot. l. 20. C. d. jur. dot. l. 7. sol. matr.

ejus culpam id diremptum fuerit, si modò liberi ex illo conjugio supersunt (a). Tantummodò substantiam & mulieri & hujus simul ac suæ soboli probè servare tenetur; in eventū ut ubi vel morte vel culpâ ejus, matrimonium, aut etiam jus qvod in hanc rem ipse habet, finitum fuerit, isthæc vel uxori vel liberis salva permaneat (b). Id qvod jure Saxonicô etiam ad paraphernalia in parte extendi, modò ante memorabatur. (c)

(a) l. 2. 3. 4. 6. C. de bon. qvæ lib. l. 1. C. de bon. matern. (b) l. 4. 5. d. fū. dotat. l. 9 sol. matr. l. un. C. d. rei uxo. act. l. 6. C. d. bon. qvæ lib. (c) Ex Landr. lib. 1. art. 31. n. 45.

VIII. Cæterùm, utut hæc ita se habeant omnia, qvoad potestatem dominantem mariti, in uxorem, ejusq; corpus, operas, ac bona societati conjugali illata; itemqve officium ac subjectionem uxoris in hisce omnibus; observabile tamen omninò & moderamen est, temperamentumqve, qvod è converso officium mariti, ac libertas jusqve uxoris, hisce infert ac juxtà collocat. Deus, qvi & conditor hominis & conjugii author est, etsi subjectam volebat conjugem fœminam viro, non tamen infimæ subjectionis servam, sed ex costâ, virilis corporis medio exemptâ, effictam, homini eam adjutorium, simile sibi instituit adjungere (d). Prout etiam agnovit id statim primus ille maritus, os eam ex ossibus suis & carnem de carne sua dicens, & viraginem putans appellandam, qvoniam de viro sumpta esset, judicansqve, fore, qvod homo relinqvat patrem suum & matrem, & adhæreat uxori suæ; & qvod futuri sint duo in carne una (e) qvin postqvam seductus ab hac sua socia vir esset, & jam reatus poscebatur maximi à Deo, mulier inqvit, qvam dedisti mihi *sociam*, dedit mihi de ligno, & comedi (f). Repetit hæc qvoad partem majorem ipse salvator (g). Et mysterium, conjugio divinitùs impressum, similitudinis unionis Christi cum Ecclesia, inculcans Apostolus (h), pluribus isthuc officii enucleat, *diligere* inde jubens *viros uxores suas, sicut & Christus dilexit Ecclesiam ut corpora sua ut seipsos.* & alibi, *viri* (i) ait, *diligite uxores vestras & nolite amari esse adversùs illas.* Et sanctus Petrus (k) *viros similiter* vult cohabitare *secundùm scientiam, qvasi infirmiori vasculo muliebri, impartientes honorem, tanqvam cohæredibus gratiæ vitæ.* Ita eloqvia sancta. Philosophus (l) ad rationem civilem, statum conjugalis societatis conferens, potestatem, qvæ naturaliter mari in uxorem competit, civili populari potestati comparat, cujus ferè est, in homines

(d) Gen. 2, 18. 21. (e) d. cap. v. 23 & 24. (f) cap. 3. n. 12. (g) Matt. 19, 5 Marc. 10. (h) Eph. 5. à v. 25. (i) 1. Pet. 3. 7. (k) Col. 3 19. (l) 1. polit. cap. fin. 8. Eth. c. 11.

mines paris conditionis moderatum ac liberalem dominatum esse; inqve pluribus alternativum, inter eos qvi parent & qvi obtemperant. JCti nostri plurimùm *societatis*, *communionis*, ac simili svaviori nomine matrimonium insigniunt; ipsam uxorem sociam appellant; nuptias in modum contractus mutui, sponsione, conventione, consensu coire volunt; qvando videl. *nuptias* Modestinus definit (*a*) *maris & fœminæ conjunctionem, consortium omnis vitæ.* (Justinianus habet (*b*), *consvetudinem omnis vitæ*) *divini & humani juris communicationem:* dicente Imp. Gordiano (*c*) *uxor socia rei humanæ atq; divinæ domus suscipitur: Cum audis* per Ulpiani monitum (*d*) *matremfamilias, accipere debeas, notæ auctoritatis fœminam:* qvando alibi dignitatem, honestatemq; ejus commendant ipsi JCti, præ conditione concubinarum (*e*), pleno ore etiam aliàs ad dignitatem, honorem, jura ac privilegia mariti eam evehentes (*f*) imò, juxta maritum, & ipsam *caput suæ familiæ* indigitantes (*g*).

(*a*) l. 1. d. rit. nupt. (*b*) §. 1. J. d. patr. potest. (*c*) l. 4. C. d. crim. expil. hered. (*d*) l. 3. in fin. d. lib. exhib. (*e*) l. 47. §. 4. d. leg 3. l. 41 d. rit. nupt. l. 1 ff. d. concub. (*f*) l. 13. C. d. dign. l. fin. C. d. incol. l. 8 ff. d. senatorib. (*g*) l. 195. §. fin. d. V. S.

IX. In specie verò de debito conjugali & castimonia thori à parte mariti qvoqve videmus divino humanoqve jure constitui qvamplurima. Apostolus *similiter* reqvirit (*h*) *ut uxori vir debitam benevolentiam reddat, qvàm ut uxor viro.* Et similiter, ut mulier sui, *ita nec vir sui corporis potestatem habeat, sed mulier. Et nolite* addit *fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi, & iterum revertimini in unum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, & non secundùm imperium.* Ubi tamen de uno aliqvo videas, qvi dubitent: utrum nempè æqvè natura justitiæ sit, ut uni mulieri vir, qvàm ut uni viro mulier adhæreat. Id qvod difficulter admittere videntur, & plurimi gentium mores, & ipsa divina indulta virorum *polygamiam* foventes tolerantes. scil. juris multorum populorum, eam fuisse, hodieqve esse, orientalium imprimis, Græcorum etiam, aliorumqve; monumenta veterum, & hodierna experientia testantur pluribus; propugnantq; eandem ipsa plurima sanctorum patrum exempla; & qvædam in lege data præcepta his, qvi plures unà habuerunt uxores (*i*); prohibitio item regibus facta, solummodò, ne nimium augmentarent uxorum numerum (*k*): Imputatio deniqve qvæ Davidi à Deo fit, qvasi in beneficium à se accepisset plures ac illustres

(*h*) 1. Cor. 7. v. 3. & seqq.

(*i*) Deut. 21. 15. (*k*) cap. 17. 17.

lustres uxores (a). qvæ qvidem, allegante Grotio (b), qvasdam disertas patrum qvorundam sententias elicuerunt, qvibus illi statuerent, polygamiam virorū, sub veteri fœdere nondum fuisse in illegitimis, cujusmodi est illud Chrysostomi de sara (c): *nondum talia vetita fuisse*: Augustini (d) *uxorum plurium simul habendarum inculpabilem fuisse consvetudinem.* cujus rei & causam hic in multiplicationem posteritatis confert. (e) Verum enim verò, utut hæc urgentia appareant, dubites tamen, an ad strictam amussim juris divini atq; naturæ, isthuc moris possit applicari; Certè abludere apparet primævum circa hæc Dei institutum à divinissimo hujusdem interprete Dei filio repetitum, qvando ait ipse (f): *Ab initio creatura, qvi fecit hominem, masculum & fœminam fecit eos; propter hoc homo adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.* Ubi fœminæ, uxoris, duorum in carne una, non fœminarum, uxorum, plurium &c. fit mentio. qvæ, si simul ad vim taciti Dei placiti, per ipsum institutionis factum ostensi, referantur, si non rigidius præceptum, saltem svasionem pro ea parte naturæ videntur inferre, ut unâ vir contentus uxore sit. Ne dicam, parum abesse, qvin Apostolus in necessitatem præcepti rem producat, ubi non virum mulierum, sed mulieris; nec mulieres, sed mulierem potestatem habere vult corporis viri (g), Aristoteles, ut supra memini, utiqve & ipse, ex bono, veræ atqve perfectioris amicitiæ, pro unâ uxore argueret: Et sine dubio ex avertendis qvoq; domesticis jurgiis ac contentionibus, qvilibet domesticæ contentionis osor. Si exemplis foret certandum, possent sancti sub novo fœdere illis sub veteri opponi, & gentes gentibus omni tempore: qvando utiqve de ipsis nostris majoribus etiam in barbarie constitutis proditum reperias, eos unâ uxore vixisse contentos (h). Apud cultissimam omnium, Romanam gentem liqvet, infamiâ fuisse notatos bigamos. *Neminem*, ajunt Impp. (i) *qvi sub ditione sit Romani nominis, binas habere uxores posse vulgo patet: cum etiam in Edicto prætoris hujusmodi viri infamiâ notati sint.* (imò (k) qvi tantum bina habeant simul sponsalia) *qvam rem competens judex inultam esse non patietur* Nec fortè indulta ista divinam, tam jus, qvàm conniventiam qvandam, ad digressionem ab ipso limpido naturæ justo continent; prout in simili casu salvator rem expli-

(a) 2. Sā. 12. 8.
(b) lib. 2. d. jur. bell. ac pac. c. 5. in annotat. ad n. 9.
(c) vid. id. 1. ad Tim. c. 3.
(d) d. doctrin. Christ. lib. 3. c. 12. (e) lib. 16. de Civit. Dei c. 38.
(f) Gen. 1. 27. cap. 2. 24. Matth. 19. 4. Marc. 10. 1.
(g) 1. Cor. 7.
(h) Tacit. d. mor. Germ.
(i) l. 2. C. d. incest. & inutil. nupt.
(k) l. 1. de his, qvi notant. infam.

plicat (a) de concessâ judæis repudii mittendi facilitate, ob duritiem cordis ipsorum; clarè interea exprimens qvid ingenuæ in hac re justitiæ sit, nempe, *qvod Deus conjunxit, homo non separet.* Et qvamvis talis qvædam durities cordis, in sanctis Dei viris non temerè sit præsumenda, qvoad inclinationem ad consvetudinem plurium fœminarum, homines tamen fuisse recordandum est; & vixisse præterea eos in populo, cui ex more talia erant; & fortassis etiam, obtinuisse ipsos in intimo divino beneplacito ad hoc ipsum qvid privilegii, ob causas soli divinæ ordinationi cognitas. Ut adeò haud dubitarem concludere: qviçqvid illorum sit, aut fuerit; regularis tamen justitiæ esse, ac purgatissimo divino naturali juri convenientius: Virum, non nisi uni fœminæ obstrictum esse, qvæ sola, juxta Apostolum, potestatem habeat corporis ejus.

X. In cæteris deinde officii seu obligationis cum potestate maritali temperamentis est, æqvum esse, *ut uxores à viris defendantur ab injuriis* (b). qvod jure & divino & civili nostro, potestas repudiandi conjugem, ad strictiores terminos sit redacta (c); parqve in hac re facultas mulieri tribuatur ac viro (d); qvod uterq; mitiori, ac minus turpitudinis inferente remedió, alterius offensionem vindicare jubeatur, qvàm qvô aliàs contra extraneum in simili uti potest (e): qvod ab invicem non ultimum debiti teruntium ad medullam ossium usqve exigere possint; sed in qvantum facere possint, ne egeant, mutuo sibi condemnentur (f): qvod usumfructum qvendam ab invicem relictum similiter ad secundas etiam nuptias transientes retineant (g). Qvomodò etiam moris jurisq; sit, mulieri sua parapherna, sive extra causam dotis constituta bona permitti, in qvibus ne qvicqvam juris maritus, jure civili habeat (h) ante memoratum est. Memorabilis a. imprimis circa dotem familiæ illatam est, cùm potestas uxoris, qvâ, durante etiam matrimonió, vim dominii maritalis ita cohibet, ne vel alienare, vel deteriori conditione afficere rem dotalem, qvæ soli est, qveat (i), hactenus naturali dominió cùm effectu hoc civili sibi manente (k): tùm favor maximus; qvò plurimùm causam dotis civilia jura sublevant, qvando *semper & ubiq; præcipuam causam dotis;* (l) *in ambiguis pro dote respondendum,* (m) *mulierem in dote præferri omnibus mariti* cre-

(a) Matth. 19. & Marc. 10. (b) l. 2. de inj. (c) Matth. 19. l. 8. C. d. repud. N. 117. c. 9. auth. sed novò, d. t. (d) d. l. 8. & N. 22. c. 15. (e) l. 1. & 2. 15. 26. ff. rer. amotar. l. 4. C. expil. hæred. l. 1. C. d. jur. dot. (f) l. 20. d. re judicat. (g) l. un. cum auth. seq. C. si secund. nupt. mul (h) per l. 9. §. 2. & seq. de jur. dot. l. 31. §. 1. de donat. l. 8. C. de pact. convent. (i) l. 4. 5. 11. de fund. dot. l. 1. C. eod. l. un. §. 11. de rei uxo. act. (k) l. 30. C. de jur. dot. l. 75. ff. eod. (l) l. 1. solu. matr. (m) l. 85. pr. d. R. J. l. 70. d. jur. dot.

creditoribus (a) cupiunt; & plurima alia pro fœminis hac in re salubriter disponunt. ad qvem mulierum favorem & mariti ergacam officium, omninò etiam referes dispositionem illam legitimam, de donatione propter nuptias doti adæqvandâ (b). Sufficiant hæc de potestate maritali, ejusqve, ob liberalioris uxoriæ conditionis respectum, temperamentis.

(a) *l.12.C. qvi potior. in pig. h.ab.* (b) *t. J. d. donat. & t. C. d. don. ante nupt.*

CAPUT VII.

De patria potestate.

I. Potestas parentum in liberos, horumq́; erga illos obseqvium, omni pariter jure æqvô stabiliuntur.

II. Datâ iis intensione omnium maximâ, qvatenus statui filiorum in familia impuberum applicatæ existunt.

III. Laxiori, qvatenus extra familiam adultos respiciunt:

IV. Hujus status ratio utrinq; perpenditur.

V. Modò qvodam medio res incedit, ubi adulti sunt in familia liberi.

VI. Potestas patria filios coërcendi.

VII. Ad qvam pertinet & ea, qvæ est abdicandi eos familiâ ac bonis.

VIII. Potestas utendi filiis continebat & facultatem vendendi eosdem.

IX. Imprimis autem eam, qva est acqvirendi per eos bona. Et hoc qvidem cum diversitate juris peculii, qvâ id vel castrense est; vel profectitium.

X. Vel adventitium,

XI. Potestas parentum liberis suis præ aliis consulendi.

XII. Officium parentum erga liberos & in specie qvoad alimoniam & victum.

XIII. Item qvoad amplius facultatum ac disciplinam.

XIV. Facultas libertasq́; liberorum, qvâ gaudent hi, etiam erga parentes ipsos, per omnia tria, cum statu diversô, diversa tempora.

XV. Et

XV. *Et in specie qvidem tempore medio.*

XVI. *Analogia paterni filialisq; respectus, & per hunc juris similis, permultam observare est vitæ partem.*

I.

PArentibus in liberos aliqvam competere potestatem, ac vicissim liberos aliqvô ergà hos obseqviô obstrictos esse, idqve toto vitæ tempore naturalis simul atqve divinæ, eòqve immutabilis videtur esse justitiæ: Cui enim naturali vinculo magis te obligatū putares, qvàm à qvo beneficiorū maxima habes, vitam scil. ipsam, & sæpius insuper alia multa? Cujus te obseqviô magis putes natum, qvam qvi & per ætatem prudentiâ, te, donec judicio perfectiori cares, prævalet & qvi optimè omnium tibi cupit consultum. Sunt rationes, qvas etiam urget Aristoteles (a) pro potestate paterna. Explicans divinum de honore parentibus exhibendo præceptum (b) Apostolus (c). *Filii, inqvit, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. Honora patrem tuum & matrem tuam, (qvod est mandatum primum in promissione) ut bene sit tibi & sis longævus super terram.* In multis egregia, super hâc re sunt hæc Ecclesiastici (d): *Judicium patris audite filii, & sic facite, ut salvi sitis. Qvi timet Dominum honorat parentes, & qvasi dominis serviet, his qvi se genuerunt,* (nota beneficium nativitatis.) *In opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio &c.* Ita positivè, negativè pro arcendâ à parentibus filiorum injuriâ similiter in lege licet reperire: *Qvi maledixerit patri suo vel matri morte moriatur,* (e) *Hujus lumen* dicit Salomon (f) *extingvetur in mediis tenebris.* Potestatem corrigendi & sub disciplina educandi filios, plurimum qvoqve sacris paginis referri videas (g). In qvibus omnibus, sive à potestate descendas, sive ab officio ascendas, primo notandum erit, qvod divinum ac naturale justum attinet, id matri cum patre commune esse, nisi qvatenus fortè cum paterno maternum concurrens, seqviori gradu nonnihil habeat incedere, & qvoad strictius obseqvium fortassis etiam citius remissionem aliqvam patiatur, maximè in prole mascula, qvod nempe citius videatur futu-

(a) 1. Pol. c. ul.
(b) Exod. 20. 12. Deut. 5. 16.
(c) Eph. 6. ab init.
(d) cap. 3.
(e) Exod. 21. 16 Lev. 20. 9.
(f) Prov. 20. 20.
(g) Eph. 6. 4. Prov. 13. 24. c. 19. 18. c. 12. 15.

futurum, ut virtutem atqve prudentiam matris filius exæqvet, qvàm patris; loqvor de iis qvæ communiter solent contingere.

II. Deinde non negligenda, circa conditionem potestatis ac obseqvii parentum filiorumq; rectius dijudicandam distinctio, apud Grotiū(a), per tria tēpora, aut tres, qvæ juxta temporis decursum plerūq; aliæ atq; aliæ solent evadere liberorū qvalitates; qvas utiq; maximoperè jurisprudentiæ nostræ, & communiter familiari usui observari videas. Eam nempe conditionem, sive id tempus, qvô per ætatem, aut aliâ de causâ, imperfecti sunt judicii liberi; id, qvô judicium qvidem ætate maturuit, sed tamen adhuc pars existunt familiæ parentum; & illud deniqve ubi ex familia parentum filii excesserunt. Qvæ qvidem tria tempora, maximam juris diversitatem hic solent fovere atqve inducere. *In primo*, loqvitur Grotius, *omnes liberorum actiones sub dominio sunt parentum:* puta naturaliter, argumentô, qvod juxta dictum Æschyli; *Ætas prima, ceu brutum pecus, ut educetur, mentis alienæ indiget; qvia*, ut porrò ipse, *æqvum est, ut qvi se regere non potest, regatur aliunde: qvod regimen cui committatur potissimùm, alius naturaliter non inveniatur, qvàm parentes.* Atqve hæc qvidem Aristoteli, æqvum naturæ indaganti, prius qvoq; pulchrè observata cernas(b). Curæ autem civilis jurisprudentiæ eadem commendatissimæ attentionis qvoqve esse observes, qvādo primò, (qvæ naturaliter ut excrescentis potentiæ prolificæ, ita adventantis facultatis, provide magis agendi signa sunt, tanqvam verenda naturæ operta relinqvens, respectu ad eam, qvæ naturæ communior est, veritatem habito) pubertatem certô annorum articulô verecundè definit. Et deinde multa singularia de impuberibus, ac parentali circa eos potestate designat. Rationes, *qvibus naturâ pater & filius eadem esse persona penè intelligantur(c):* qvâ non ita dudum pars viscerum maternorum extitit (d), matrisqve sub corde facta ac nutrita est soboles: qvâ nulla per naturam creatam ardentior charitas, cura ac providentia magis sollicita reperiatur, qvàm qvæ parentum in liberos: has inqvam similesqve rationes, qvoad potestatem parentum in liberos, circa ætatem impuberem, in multis civilis Nomothetica disterminat, eidemqve præ pubere peculiariter applicat. Dum v. g. patri concedit, simul

ac

(a) d. lib. 2. c. 5. n. 2. & seqq. de jur. bell. & pac.

(b) d. c. ult. lib. 1. pol. & 4. Nicom. c. 3.

(c) l. fin. C. de impub. subst.

(d) l. 1. §. 1. d. ventr. insp.

ac ſibi, filio filiæqve impuberibus qvoqve teſtamentum facere, cujus diſpoſi-io valeat, ſi, donec pubertatis annos illi nondum egreſſi ſunt, hic moriatur (a): exemplô re extensâ etiam ad mente captos puberes (b). dum à muneribus publicis ita immunes hos conſervat, ut nec ipſe pater onera prolis ſubire teneatur (c); ſecus ac ubi pubes factus, filiusfamilias licet, à muneribus pub. prohiberi non poterat (d). dum patri, etiam emancipati tutela legitima præ aliis relinqvitur (e): Et aliàs circa eum, qvem impuberem in poteſtate habet, liberior, de futura ei poſt mortem ſuam tutela teſtamentô conſtituenda poteſtas conceditur (f): re, adhibitó qvodam moderamine, etiam ad emancipatos extensâ (g). Pertinet, qvod qvi in poteſtate parentis impubes eſt, ne authore qvidem patre conventione obligetur (h), ſcil. hoc in caſu, jus poteſtatis patriæ ita abundans eſt in filium, ut qvaſi abſorbeat; qvicqvid hic propriæ poteſtatis (qvalis omninò in ſui obligatione aliqva reqviritur) perſonæ filii aliàs, ſiqvidem libera ab hac poteſtate eſſet, poſſet competere. Unde neſcio, an non hoc in caſu etiam illa modò adducta JCtorum maxima, de identitate perſonæ patris & filii, imprimis in vigore ſuô conſiſtat? nempe, videtur poteſtas illa, filium, hactenus per ſe ſuamqve imbecillitatem civilium negotiationum expertem, ita proprium, addictumqve parenti facere, uti qvicqvid hoc modo agatur, totum à patre agi conſentiriqve videri poſſit; utpote cujus usqve huc qvaſi pars ac merum familiare inſtrumentum, qvoad civiliter agenda, filius familiaris ſit: Tametſi nec celari debeat, has, à poteſtatis abundantiâ, perſonarumq; identitate deſumptas rationes, qvoad diſpoſitionem illam legitimam, de non (æqvè, ut pupillo accidit accedente auctoritate tutoris,) obligando filio in poteſtate, auctoritate patris, forſan non parum interea qvoqve juvari aliâ qvâdam ratione, filii ſimul ac reip. commodum ſpectante; qvandò nempe actus parentis extra examen exigendæ rationis poſitus eſt, ſecus ac tutoris (i). Liberorum autem ac Reipubl. intereſt, potiùs liberos ſe ſuosqve à privato habere nexu, qvàm eidem aſtrictos, puta eo imprimis tempore, ubi jam illi ſui juris civiliumqve munerum ſunt capaces. Præterea in ſpecie etiam de jure matrum, circa impuberem ætatem peculiari, notare eſt, eis curam tutela-

(a) pr. & t. t. d. pupill. ſubſt. t. ff. & C. eod. (b) §. 1. J. d. t. l. 9. C. de imp. & al. ſubſt. (c) l. 2. §. 1. d. R J. l. 2. §. 1. d. jur. immū. junct. l. 21. §. 6. ad municip. (d) per l. 9. de his qvi ſui vel. al. jur. ſunt. (e) l. 3. de legit. parent. tut. t. J. d. leg. par. tut. (f) § 3. J. d. tutel. t. ff. & C. d. teſtamēt. tut. (g) §. 5. J. d. t. t. ff. d. cōfirmat. tut. (h) §. 9. J. de inutil. ſtipul. l. ult. §. 2. d. V. O. (i) t. de adminiſt. tut.

telarem impuberum filiorum ſuorum, etſi virile munus aliàs tutela ſit, ante alios tamen propinqvos, permitti; modò præſtanda præſtent, h. e. ſecundis nuptiis & SCti Vellejani privilegio renuncient (*a*). & ubi de loco educationis pupilli qværitur, nulli magis qvàm matri hanc jure committi, modò non prægnans qvædam ratio diverſum ſvadeat (*b*); imò, circa ipſam tutelam poſt mortem ſuam liberis conſtituendam, matribus non parum facultatis reperiri indultum; dum factâ circa diſpoſitionem ejus inqviſitione, ſi de cætero paritas rei invenitur, ipſius voluntas aliorum juri præfertur (*c*). Taceo jus diſciplinæ & reliqva, qvæ utriq; parenti in minorenni hâc liberorum ætate, ſecundùm naturam videntur modò liberiori competere. Item qvod ipſa hæc parentalis poteſtas, caſu, ubi mortalitate parentes citius liberis abſtrahuntur, in tutoribus qvaſi continuata appareat, ſcil. juxta Imp. (*d*) *Impuberes in tutela eſſe, naturali juri conveniens eſt, ut is qvi perfectæ ætatis non ſit*, (idem Ariſt. idem Grotio pro patrio in hos ætate jure ut ante dictum, fundamentum aliqvod primum eſt) *alterius tutela regatur.* Neq; verò poſtremò hic extra oculos fortaſſis ponendum, qvod de definita ad tempus pubertatis parentum poteſtate dictum eſt; in multis, juxta ulterius continuatam aut caſu obventam judicii infirmitatem, ſuam etiam, & naturali & civili ratione, continuationem parilem meritò admittere. Qvomodò & emancipatis filiis pater dat tutores (*e*) itemqvè puberibus minoribus 25. annis, tàm pater qvàm mater, ſaltem ut legitima, cum, aut ſine accuratiori inqviſitione, confirmatio accedat (*f*). Ita niſi fallor, jus diſciplinæ in ſtolidiores liberorum manebit diutiùs fuſtigatorium aut alius arbitrarii modi. De continuanda tutela, ſub nomine ac modo curæ, Imp. (*g*) *Maſculi*, ait, *puberes & fœminæ viri potentes, usq; ad viceſimum qvintum annum completum curatores accipiunt: qvia licet puberes ſint, adhuc tamen ejus ætatis ſunt*, (not. cauſam, qvare & hic poteſtatem aliam admittere convenit) *ut ſua negotia tueri non poſſint.* cui rei is tandem effectus neceſſitatis manet, *ut etiam inviti adoleſcentes in litem* (forenſem) *curatores accipiant* (*h*). Pertinet, qvod plenior pubertas (*i*); jus exeundi è tutelâ (*k*), ſumendi prætextam (*l*), alio atq; alio provectiori tempore civiliter definitum obſervemus.

III. Qvod

(*a*) l. 1. 2. auth. matr. & t. t. C. qvando mulier. tutel. (*b*) per l. 1. C. ubi pupill. educ. deb. (*c*) l. 1. & 2. d. confirm. tut. l. un. C. ſi cōtr. matr. volunt. tut. dat. ſit. (*d*) §. penul. J. d. attil. tut. (*e*) §. 5. In. d. tutel. (*f*) l. 1. & t. t. de confirm. tut. (*g*) ſupr. J. d. curat. add. l. 1. pr. de minor. (*h*) §. 2 J. d. curat. add. l. 1. pr. de minorib. (*i*) l. 14. §. 1. d. alim. leg. l. 40. §. 1. de adopt. §. ult. J. eod. (*k*) Aur. Bull. Carol. IV. Imp. (*l*) Gell. 1. c. 23. Plutarch. in Romulo.

III. Qvod *tertium* attinet *tempus* (de secundo autem ultimo dicetur loco) qvô filius non subjectus amplius, aut ut pars cohærens familiæ paternæ est; sed in omnibus αὐτεξούσιος, suiq; juris est; in hoc utiqve amplior illa atqve imperiosior potestas patria locum sibi naturaliter vendicare non potest, nec civiliter solet. qvippe cùm naturæ & familiæ huc stringens ratio cessare soleat; Naturæ; dum causam strictioris illius addictionis, h. e. judicii infirmitatem è subjecto paulatim remotum it, facultatemqve dominanti similem, prudentiam videl. sibi aliisqve prospiciendi, eidem supponit: Familiæ; qvia hujus pars non est amplius, eoqve nec in hujus aut ministerium aut finem potestati familiari, eô modô, qvô dum filius familiàs adhuc erat, addictus est. Anteqvam ad potestatem & officia in hoc secundo tempore superantia consideratio se patiatur protrahi, videtur prævideri velle terminus, à qvo hoc ipsum tempus incipiat currere: & qvô datô, hactenus filiusfamilias à familia illa separatus, strictiori illâ familiari potestate exemptus, & sui juris, qvod dicunt, esse incipiat? Naturaliter qvidem videtur filius eô ipsô, qvô ad prudentiam facultatemqve sibi prospiciendi, sua curandi, propriamqve familiam constituendi, fovendiqve excrescit, luctam cum potestate familiari in qvâ degit obire, & ad liberationē ab eâ emergere; nempe huc, ipsum jus naturalis propaginis & ampliandæ universalioris societatis, in qva degit illa familia, eum videtur protrahere, & natura, facultatem sibi sufficientem illi concedens, propellere. Ita tamen ut vicissim æqvitatis videatur, uti qvamdiu communi focô utatur, familiæ pristinæ beneficio sustentetur, vel etiam bonâ ac competente cum gratia capitis illius dimissus nondum sit, nec-dum dominatu illius penitùs possit exiisse videri; magis, qvod hactenus qvasi continuatò utrinqve consensu videatur subligari ad mansionem, usqve dum & qværat & obtineat, amicabilem, si fieri potest, vel saltem ex æqvo non denegandum abitum, & ad propria digressionem. Undè adeò hoc videtur primum ultrò fluere: naturaliter filium videri è paterna familia ejusq; strictiori potestate convenientissimè exiisse, ubi, filiô jam factô sibi sufficiente, utrinqve in id consentiatur, ut imposterum is suus sit, suasqve res sibi separatim ab hac familia habeat; dico utrinqve; namq; nec bene habitus, morosè invitôq; familiæ

capite, ad abitum debebat prosilire; nec ipse vicissim invitus ultra culpâ suam, hactenus & filius & de familia meritus, ex parte etiam à natura eidem in præsens & futurum destinatus dominus, temerè abjici poterat. Qvibus ex parte adstipulantur jura, qvæ, *Non potest*, dicunt, *filius qvi est in potestate patris, ullò penè modò compellere eum, ne sit in potestate* (a). Et iterum: *Si à patre qvi dantur in adoptionem, in his utriusq; arbitrium spectandum est, vel consentiendo vel non cōtradicendo* (b). Consensus autem ille & expressus poterit esse & tacitus; & tacitus qvidem eò faciliore efficaciâ, qvò in liberationem natura est proclivior. Non temerè autem promptior hujus utrinqve dabitur interpretatio, qvàm ubi consentiente aut scienter connivente patre, in tales actus procedat filius, qvi in novæ familiæ constitutionem rectà tendunt, veluti si uxorem eat ducere, aut etiam domicilium sibi seorsim inhabitandum, & suam sibi peculiarem familiam, relictis paternis rationibus negotiisqve, curandam instituit. Et ita maximè naturaliter, in statum *αὐτεξουσίας* videbitur transiisse filiusfamilias vivo parente; Qvod præter est, non temerè erit, qvin civilem aut positivam rationem aliam admixtam concurrentemqve habeat: veluti ubi captivitate, servitute, deportatione (c), itemqve propter inhumanitatem parentis (d), suaqve aliqva propria eminente dignitate (e) gentium jure romanisqve legibus fortè is eò processit. Emancipationem Romanorum, ut communissimam, ita modo illi naturali communi proximam dixeris. Et ita qvidem hocce tertium tempus constitutionem sui videtur obtinere; Qvæ autem in hoc ipso ratio potestatis parentalis super est, ni fallor, patere potest, officio perspecto filiali.

IV. Officium liberorum in hoc etiam statu utiqve semper *pietatis ac observantiæ debitum*, cum Grotio (f) dixeris, nempè, qvia semper ratio maximi accepti beneficii à parentibus super est, semper verum manet, ab his genitum, hos parentes esse; semper qvoq; obtinebit valor legis: *honora patrem & matrem.* Et illius: *Veluti erga Deum religio est, ut parentibus atq; patriæ pareamus* (g). Item: *Filio semper honesta ac sancta persona patris videri debet* (h). *Una est omnibus parentibus servanda reverentia* (i). Consistit autem hic honor, hoc obseqvium seu gratitudo liberorum in parentes tùm in arcta

(a) l. 31. de adopt. §. f. J. qvib. mod. patr. potest. solv. (b) l. 5. de adopt.

(c) §. 1. 3. 5. J. qvib. mod. jus patr. pot. solv. (d) §. 4. d. t. l. 5. C. d. Coss. (e) §. 6. & seqq J. d. t.

(f) d. cap. 5. n. 6.

(g) l. 2. d. just. & J. (h) l. 9. d. obseq. parent. (i) l 6. de in jus voc.

arcta obligatione, ut ne qvâ molestiâ aut incommodô eos afficiant; tum ut reapse iis præstent reverentiam, auxilium, ubi indigent, re & operâ. Excolit hoc caput imprimis qvoq; justitia romana. Priorem partem strenuè vetando, posteriorem jubendo juvans, & toties multisqve expressis casibus utramqve severâ sanctione communiens. Ita: *Si filius matrem aut patrem, qvos venerari oportet, contumeliis afficit, vel impias manus eis infert, præfectus urbis delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo ejus vindicabat* (*a*). *Indignus militia judicabatur, qvi patrem & matrem, à qvibus se educatum dixerit maleficos appellasset* (*b*). *Honori parentium tribuendum est, ut ne famosæ actiones adversus eos dentur, nec hæ qvidem qvæ doli vel fraudis habent mentionem* (*c*); veluti *de dolo, aut injuriarum, aut servi corrupti*, aut similes, licet jure famosæ non sint, modo tales, *ut condemnati re ipsa & opinione hominum, non facile effugiant infamiæ notam* (*d*). qvod deinde adversus hos, *neq; exceptio doli, neq; alia qvadam, qvæ parentis opinionem apud bonos mores sugillet, competere possit* (*e*): sed si qvid tandem controversiæ judicialis cum iis incidit, *ne ex dolo suo lucrentur in factum verbis temperanda actio itemq; exceptio sit* (*f*). qvod *deferentes jusjurandum de calumnia non jurent* (*g*): qvod sine venia ac injussu prætoris ne in jus qvidem ob aliqvam causam eos vocare liceat, sub animadversione 50. aureorum (*h*). Pertinet huc, & qvidem imprimis ad residuum potestatis patriæ illa indulta parentibus vindicta, qvâ ob plurimas neglecti officii ingratitudinisq; causas, novissimè ad certum numerum à Justiniano redactas (*i*), à successione sua eos excludere atqve exhæredes facere valent. qvâ liberos hosce, puta è strictiori potestate suâ dimissos, contumaces, qvi sese vel acerbitate convicii, vel cujuscunqve atrocis injuriæ dolore pulsassent, emancipatione rescissa, damnô libertatis immeritæ lege Impp. multare permittuntur (*k*). Alimentorum mutuũ debitum, etiam à parte liberorũ, naturale agnoscunt periti; id ad modũ facultatum determinant, & necessitate captionis pignorum distractionisqve eorundem muniunt (*l*). Itemq; hæreditatem aliqvam in bonis liberorum prius defunctorum ipsis parentibus constituunt (*m*). Non possum qvin hæc claudam & complectar dicto Ecclesiastici: *Ne glorieris* inqvit hic (*n*) *in contumelia patris tui: & non contristes eum in vita*

(*a*) *l.1.§.2. de obseq. par. præst.* (*b*) *d.l. §.3.* (*c*) *l.2 & 5 inf. d.t.* (*d*) *d.l.2.6.7. eod.* (*e*) *d.l.7.§.1. eod. l.4.§.16. d. dol. mal. & met. caus. except.* (*f*) *l.11. in fin. & seq. d. dol. mal d.l.4.16. d. dol except.* (*g*) *d l.7.§.3. d. obs. par.* (*h*) *l.4.5.6.13. junct. l.12 24. de in jus voc.* (*i*) *N.115. c.3.* (*k*) *l. un. C. d. ingrat. liber* (*l*) *l.4.& 5. de agnoscend. & alend. lib.* (*m*) *l.7. unde lib. l.15. de inoffic. test. N.115.c.4. N.118.c.2.* (*n*) *cap.3.v.12. & seq.*

in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernes eum in virtute tua: eleemosyna enim patris non erit in oblivione. Tanqvam blasphemus est, qvi derelinqvit patrem: & est maledictus à Deo, qvi exasperat matrem. Sunt hæc & hujusmodi qvæ in tertium usq; protenduntur tempus: itemq; in præcedentibus radicem simul & causam filialis officii patriiqve fovent juris.

V. Habet verò & *medium tempus*, putà, qvô & adultior jam menteqve valentior, & tamen in familia, sacrisqve paternis adhuc constitutus est filius, & naturali & civili jure, sua qvædam in plurimis insignia momenta propria. Nempe, qvoniam beneficio acceptæ vitæ, jam nutritionis, ac multùm molestæ sumptuosæqve educationis qvoqve beneficium à parte parentum accessit, nullâ contra aut minima compensatione à parte liberorum his exhibitâ, ratio naturalis videtur exigere, uti, dum nunc posse incipiunt, familiæ & imprimis in ea illis, à qvibus qvorumve curâ ac auspiciô talia benefacta habent accepta, qvi qvidem ipsi sunt parentes, qvalicunqve opellâ suâ, pro viribus servire, iisdemqve inservire incipiant, aut saltem promptum obseqvium illorum æqvis atqve honestis jussis placitisqve filii præstent. Idemqve ab hisce obtinere, exigere, jus fasqve erit parentibus, ex potestate, hujus obseqvii ergò, parentibus naturaliter in illos competente; utrisqve aliqva, magis autem insigni, per prærogativam, qvam præ uxore, & majorem etiam, qvàm ipsa hæc, præ filio habet, patri. Et ita res fortassis in genere considerata ambiguitate vacat. Qvam ubi in speciebus consideres, ac qværere incipias, qvosusqve ergò potestas illa & ad qvænam obseqvia extendenda sit, nescio, an in omnibus compendiosè illa definire æqvè facile sit: nempè & cupiditati ac severitati paternæ indulgendum nonnihil, nec tamen nimium tyrannidis admittendum: Obseqvium à filio multa promptitudine ac necessitate præstandum, nec tamen ad servilem conditionem prorsus trahendum duxeris; difficile habiturus inventu, qvomodo hosce scopulos utrinqve in definienda castigandi, abdicandi, usurpandiqve potestate evitare valeas. Ni fallor, potius qvam ipse definias singula, specimen qvoddam prudentiæ antiqvæ desiderabis, amplexurus præ omnibus illud, qvod ex cultura romanorum

potest

potest suppeditari: utpote cui ita hoc patriæ potestatis *qvale* receptum ordinatumqve jus est, ut suis civibus tanqvam aliqvod *proprium mle* id ausit adserere (*a*). Si qvis autem hanc potestatem patriam juxta qvam romanis moribus esset recepta, ad tempora istius reipub. cupiat exigere, primitus in genere videtur monendus, eam in plerisqve speciebus rigidiorem antiqvioribus qvàm succedaneis extitisse annis. Deinde verò, si ad generaliora sua capita eam velis redigere, pleraqve omnia hujusdem ad tria videbuntur referri posse, ad eam nimirum potestatem, qvæ coercendi, eam qvæ usurpandi liberorum est, & deniqve eam, qvæ liberior æisdem consulendi facultas est.

(*a*) *§. 2. J. d. pat. pot. l. 3. §. de his qvi sui vel al. jur. sunt.*

VI. Rigorem coercendi seu castigandi liberos, (de hoc præmittendum, qvia præprimis insignis inibi patria potestas) patri competentem, tanqvam ex antiqvissima lege Romuli, Dionysius Halicarnassæus (*b*). seqventi describit modo: *Omnis*, inqviens, *potestas patri data in liberos, idq; toto vitæ tempore, sive in carcerem eos detrudere, sive plagis cædere, sive vinctos ablegare ad rustica opera, sive necare liberet. Et si filius gesserit remp. et si magistratus gesserit maximos, et si studiis erga rempub. sit promeritus.* In qvibus illud *necare,* sive potestas illa vitæ & necis, qvam dicunt, imprimis eminet, cujus etiam in legibus nostris aliqvam adhuc mentionem fieri videas (*c*). ejusqve severitatis exempla non pauca apud romanos edita, Dionysi. Halicarn. Livius, Valerius Maximus & alii suggerunt. Et durasse qvidem eandem etiam ad confinia usqve reipub. & Monarchiæ Imperatoriæ, argumento est lex Pompeja de parricidis (*d*). sive à Corn. Sylla, sive à Pompejo M. lata illa sit, dum *omisso patre,* matrem tantum, qvæ filium filiamve; & avum, qvi nepotem occiderit; pœna legis Cornel. de sicariis afficit. Cæterum, post tamen observare licet, etiam ab Augusti usqve temporibus rem mitigari cœpisse, invalescente adversus nimium istum rigorem regula, qvæ: *Patriam potestatem in pietate debere non in atrocitate consistere* (*e*) ajebat. Unde etiam de Augusto Svetonius (*f*) notare incipit, qvod is eqvitem romanum qvendam, qvod duobus filiis causa detrectandi sacramentum pollices amputasset, cum bonis hastæ subjecerit; testaturqve de eodem (*g*) Seneca, qvod alium qvendam parricidam relegare

(*b*) *lib. 2. hist.*

(*c*) *l. 11. d. lib. et posth. l. 5. C. d. patr. potest.*

(*d*) *l. 1. ibid.*

(*e*) *l. 5. de L. pomp. de parricid.* (*f*) *in Octavio c. 24.* (*g*) *lib. 1. de Clemen. c. 15.*

gare

gare fecerit. Divus Trajanus *filium qvem malè pater, contra pietatem afficiebat, coegit emancipare; qvô posteà defunctô pater ut manumissor bonorum possessionem sibi competere dicebat, sed consilii Neratii Prisci & Aristonis, propter necessitatem solvendæ pietatis (patriæ potestatis) denegata est* (a). secus ac jure factum fuisset, si ultrò eum emancipasset (b). Divus Hadrianus *fertur, cum in venatione filium suum qvidam necaverit, qvi novercam adulterabat, in insulam eum deportasse: qvod latronis magis qvàm patris jure eum interfecerit* (c). Res hæc ita tandem temperata fuit, ut aliqva qvidem castigandi filium in potestate patri privata relinqveretur facultas (d); si autem acriori opus esset remediô, magistratui eum is offerret, qvi ei comminaretur, eundemqve terreret; (e) vel etiam, si major appareret contumacia, aut commissi malignitas, qvàm ut minis emendari aut etiā condonari posset, *sententiam juxta arbitrium ac petitum patris diceret* (f). neqve enim ullô modô occidere inauditum filium permissum patri amplius erat (g): qvin novissimo jure æqvè ac filii patricidæ, parentes, qvi filiorum fata præpararent, parricidii pœnâ puniri jussi sunt. (h) Id qvod imitatur in novissimis nostris, Carolina constitutio criminalis pariter gravissima supplicia infligens omnibus (i): animadvertens qvoqve peculiariter in eos, qvi abortum procurant, qviqve liberos exponunt (k), qva tamen in re, etiam antiqva Romuli permissio, romanis etiam ipsis jam ante qvoqve correcta fuit (l). Et hæc qvidem, opinor, temperies, (qvâ ad necem usqve filii, utut contumacis, patri privatâ castigatione procedere non liceat; sed si qva majori severitati reus is sit, magistratum adire opus habeat) naturali rationi & statui familiæ, qvo sub civili inspectione sita illa est, multum est conveniens; prout tale qvid etiam divina Hebræorum lege (m), in casu enormis contumaciæ filiorum decisum videre est. Tametsi interea naturalis indulgentiæ esse, nō prorsus negarem, aliqvantò remissius in patrē animadverti, si fortè justa indignatione percitus, gravius qvid in filium admiserit (n). Cui casui etiam disertè impunitatem reservatam videas, si filiam in adulterio deprehendit pater & occidit (o): Item si animo paternè castigandi (p). taceo, qvod impunè prorsus id ei reputetur, si furore agitatus tale in liberos commiserit. (q)

(a) l. fin. si à parent. qvis manumiss. sit.
(b) l. 1. d. t. l. fin C. unde lib.
(c) l. 5. d. l. Pōp. de Parricid.
(d) l. 3. C. d. pat. pot.
(e) l. 9. §. 3. de offic. proconf.
(f) d. l. 3. C. de patr. potest.
(g) l. 2. ad L. Corn. d. sicar.
(h) l. un. C. de his qvi parēt. vel fil. occid.
(i) art. 131. & seqq.
(k) art. 132. 123. vid. Wesenb. in tr. ad L. Corn. de sicar. n. 7.
(l) t. C. d. expos. infā.
(m) Deut. 21. v. 18.
(n) l. 5. de parricid. l. 3. C. d. patr. pot.
(o) l. 20. 21 & seq. ad L. Jul. d. adult.
(p) arg. l. 3. C. d. pat. pot. l. 1. & 2. C. de emēd. propinq.
(q) per l. 13. §. 1 l. 14. d. of. præsid l. 12. ad L. Corn. de sicar. l. 9. §. 2. ad L. Pomp. de parricid.

VII. Ad

VII. Ad coërcendi jus patrium ſpectaſſe etiam aliqvomodo videtur, poteſtas veterum *abdicandi* filios, h. e. à familia alienandi (*a*), qvâ abdicatione id inferebatur, *ut ab omnibus paternis bonis eſſent hi excluſi, ita ut nec à vivo nec à defuncto qvicqvam ſperare poterant, nullaq; eis eſſet participatio ſacrorum aliorumq; jurium familiarium* (*b*). Cujus ritum Plato deſcribit (*c*). *Patres* inqviens *filium per praeconem coram omnibus abdicant, ne amplius ſecundum legem ſit filius*. Cauſæ antiqvis Romanorum moribus non videntur adeo fuiſſe certæ, qvin plurimum hic arbitrio patrum eſſet relictum. Exempla adfert Seneca (*d*) Valerius Max. (*e*) alii. Cæterum & hæc ab æqvo facile vacillans ſeveritas patrum, poſt, lege Impp. interdicta ſublatàqve eſt (*f*) in tantum, ut ne emancipatione, actu alias, modôqve legitimô, invitos à familia alienare poſſent (*g*). Tametſi qvoad filios immorigeros, ſive pars, ſive veſtigium ejus abdicandi poteſtatis hodieqve videtur nobis ſupereſſe in exheredatione, parentibus ob certas ingratitudinis cauſas permiſsâ (*h*). Redundare qvoqve in modum coërcendæ libidinis filiorum videtur illa nuptias eorum impediendi facultas, per negationem conſenſus, filiisfamilias neceſſarii ad hoc ut nuptiæ ſint legitimæ. (*i*)

VIII. Qvandam dominici rigoris filiorum *uſurpandi* facultatem præbet illa qvoqve, qvâ patribus indultum erat, filios in modum ſervorum vendere, oppignorare, licentia, ab initio rei romanæ liberior; prout de uſu hoc colligi videtur ex illo, ab intimiore antiqvitate deſcendente, modo emancipandi filios per imaginarias ternas venditiones (*k*); poſt autem & ipſa reſtricta ita, ut citra maximam neceſſitatem neutiqvam vel alienare vel oppignorare illis hos amplius liceret (*l*); etiam creditore, qvi ſciens tales pignori acciperet, relegatione plectendô (*m*); Et neceſſitate inſuper, qvâ id indulgeatur, ad caſum nimiæ paupertatis victusqve indigentiæ reſtrictâ; cum hac præterea cautione, ut *liceat ipſi qvi vendidit, vel qvi alienatus eſt, aut cuilibet alii, ad ingenuitatem eum propriam repetere: modò ſi aut pretium offerat, qvod poteſt valere, aut mancipium pro ejusmodi præſtet* (*n*). notabilis eſt ſvavis cum hac Conſtantini lege conſonantia Moſaicæ, qvoad filiam (*o*). Cognata facultati ven-

(a) Qvintil. lib. 3. c. 6. (b) Nonio Gram. (c) lib. 22. d. ll. (d) lib. de clement. & lib. 2 c. 3. controv. (e) l. 5. c. de indulg. patr. 7. (f) l. abdicat. 6. C. d. pat. pot (g) per l. 5. d. adopt. Nov. 89. c. 11. (h) Nov. 115. c. 3. (i) pr. J. de nupt. leg. 11. de ſtat. homin. & paſſim. (k) §. 6. J. qvib. mod. jus patr. pot. ſolv. l. pē. & ult. C. de emanc. l. 3. d. cap. minut. Dionyſ. Hal. lib. 2. (l) l. 1. C. d. patr. qvi filii. diſtra. l. fin. C. de pat. pot. l. 6. C. qvæ res pign. obl. add. l. 39. §. 3. de evict. (m) l. fin. qvæ res pign. obl. poſſ.

(n) l. 2. C. d. patr. qvi fil. diſt. (o) Exod. 21. v. 7. Neh. 5.

vendendi liberos, fuit potestas eos noxæ dedendi, qvam *veteres in filiis familiarum masculis & fœminis admisere: nova autem hominum conversatio, ut asperam nimis rectè respuendam esse existimavit, & ut ab usu communi penitus recederet* (a). Conseqvens autem aliqvod isti dominicæ potestati, antiqvitùs videtur fuisse ratio vindicationis filii, tanqvam rei familiaris, ex jure Qviritum, cujus mentionem facit Ulpian. l. 1. §. 2. d. R. V. cui qvidem posterior cultior ætas interdicta. v. g. de liberis exhibendis, præjudicia, cognitionemq; prætoriam videtur substituere voluisse. (b)

IX. Cum multo fructu olim fuit hodieqve est, ad hoc genus pertinens, potestas *acqvirendi* per filios, in hoc etiam antiqvitus servili conditioni qvàm similimos; unde etiam qvæ hoc respectu de his qvi in potestate sunt, dicuntur in ll. nostris communiter de servis ac filiis soleant intelligi simul (c). uti fit in specie, qvâ JCtô *placet* (d), *qvotiens acqviritur per aliqvem hereditas vel qvid aliud, ejus cujus qvis in potestate est, confestim acqviri ei cujus in potestate est.* In specie autem de liberis Justiniani est (e): *Igitur liberi vestri utriusq; sexus, qvos in potestate habetis, olim qvidem qvicqvid ad eos pervenerat, hoc parentibus suis acqvirebant sine ulla distinctione.* Et hoc ita, præterqvam, qvod de castrensibus jam antiqvior qvoqve exemptio qvædam obtinuerat (f); donec Justiniano imprimis illa resedit humanitas, ut inter profectitia & adventitia liberorũ in potestate, bona, proprietatem itemqve ac usumfructum, & aliis insuper particularioribus modis distingveret (g); statuens, ut imposterum, *castrensi peculio*, h. e. *bonis qvæ filiusfamilias occasione militiæ acqvisivit, non acqvisiturus nisi militasset* (h), *qvasi castrense*, qvod est id, qvod cujusq; muneris ministeriive publ. occasione cui obvenerit, jure par sit; videlicet ut liberè & citra interpellationem patris filiusfamilias circa id disponere valeat, (i) patri nullo jure in utroqve hoc peculiô relictô, præterqvam qvod post mortem filii, ubi nulla alia dispositio circa id reperitur, jure peculii id occupet (k); & forte etiã vivo filio cum effectu de eo disposuisse permittatur, qvatenus filii dispositionibus non contraitur (l). *Profectitium* verò peculium h. e. pecunia qvæ ex substantia patris ad filium qvasi profecta, (m) v. g. à patre ei donata, statuit idem legislator, ut secundum antiqvam observatio-nem

(a) §. fin. J. de noxal. act. (b) per l. 1. §. 2. de R. V. t. ff. d. lib. exhib. tit. de agnosc. & al. lib. (c) per l. 1. §. 5. d. pec. l. 1. § 4. & seq. d. trib. act. (d) l. 29. d. acqvir. hered. add. l. 38. § 17. l. 59. l. 32. l. 62. d. VS. (e) §. 1. J. per qvas person. cuiq; acqvir. (f) d. §. 1. t. t. d. castr. pecul. (g) l. 6. C. d. bõ. qvæ lib. t. t. d. bon. mater. (h) l. 11. d. cast. pec. l. 1. C. eod. (i) l. fin. C. d. in off. test. l. 2. ad SC. Maced. l. 6. pr. d. bõ. qvæ lib. (k) l. 9. & 19. ff. d. castr. pec l. 1. C. eod. (l) d. l. 9. 18. pr. l. 20. eod. (m) §. 1. J. per qvas pers. cuiq; acqvir.

nem totum parentis maneat, patriqve qvicqvid filio ex hoc tanqvã ex re ejusdem ulteriùs obveniat, acqviratur (a). ex qvo porrò paterni in hoc peculio dominii ratio est, ut, licet ex indultu concedentis patris negotiari in eô filius, contrahere nempe, obligare, & obligari (b) possit. emancipatus etiam id non expresse ademptum retineat (c). uti etiam fieri permittitur, si bona paterna publicari accidit (d); alienare (e) tamen idipsum, donare vel inter vivos vel mortis causa (f), donandi causa pacisci (g), pignori obligare pro debito alius (h), testari de eo (i) citra specialem consensum patris non possit; qvin mortuô patre in divisione hereditatis id teneatur conferre (k), mortuô autem ipsô filiô, pater id jure peculii h.e. tanqvam aliqvod suum & qvod qvasi nunqvam ex substantia ejus profectum fuerat occupet (l). qvi proinde etiam ratione contractuum à filio in hoc celebratorum, tanqvam principalis negotii dominus actione peculii convenitur (m). Atqve ita ferè de castrensi & profectitio peculio filiorumfamilias prudentes; illud filii, hoc patris, absolutiori potestati ac juri penè totum vindicantes.

(a) d.l.6 pr. C. de bõ. qva lib. l.13. C. d. colla. §.1. J. per qv. person. cuiq; acqv. (b) per l.57. de judic. l.ult. §. 20. d. V.O. §.6. J. d. inut. stip. l.29. de ob. & act. (c) l.31. §. 2. d. donat. (d) l.3. §.4. in fin. d. minor (e) l.2. C. d. castr pec. (f) l.1. §. 1. qvæ res pign. obl. l.7. pr. de donat. l.25. §. 1. de don. caus. mort.

(g) l.28. §.2. d. pact. (h) d.l.1. §.1. qvæ res pign. oblig. (i) in fin. pr. J. qvibus non est permiss. facere testament. l.pen. & ult. C. qvi test. facere poss. (k) l.13. C. de collat. l.20. eod. add. l.38. d. condict. indeb. (l) per l.2. & 9. de castr. pecul. (m) l.1. & t.t. de pecul.

X. Mediam autem interea viam, ferè iniri videas, in Adventitiis h.e. iis pecuniis, qvæ filiofamilias, non ex substantia patris, aut occasione militiæ aliusve publ. functionis, sed alia ratione extrinsecus obveniunt; veluti si qva suis laboribus aut prosperâ fortuna alia ei accesserunt, liberaliter forte donata, materna aut materni generis bona, ex lucro dotali obvenientia & si qvæ sunt ejusmodi reliqva (n). scil. in his legislatorum cauta æqvitas proprietatem ab usufructu distingvens, (cæteris pari modô se habentibus,) illam filio hanc patri permittit (o). effectu à parte filii, qvod is defunctô patre eas peculiares pecunias habeat præcipuas, nec proinde in communem hæreditatem, sicut alias profectitias oportet, conferre teneatur (p); idemq; prius defunctus illud suum proprietatis dominium ad hæredes propinqviores transmittat (q). Et hinc porrò, qvod pater nec alienare nec obligare hæc bona adventitia

(n) §.1. J. per qv. pers. cuiq; acqvir. l.1.3.5. 6. C. d. bõ. qvæ lib. t. C. de bõ. matern. (o) dict. textib. (p) l.2. in fin. de bõ. mater. l.fin. C. d. coll. (q) l.fin. C. cõmun. de manumiss.

possit (a), nisi forte ob æs alienum ex his bonis exsolvendum legatave; aut qvia res qvædam ex iis servando servari non possint, aut alias onerosæ corpori bonorum sint (b). jure vindicandi filiis competente, si contra fuit factum, nullâqve iis præscriptione obstante, nisi 30. annorum, ex qvô puberes & suæ potestatis facti sint, computandorum (c). Qvod deniqve è converso pater hanc rem peculiarem probè teneatur administrare, omnemqve ejus tuendæ diligentiam adhibere, ita ut nullô modô proprietas deterior fiat, sed integra illibataqve bona illa filiis custodiantur serventur (d). qvô pertinebit, ut mancipia alat; æs alienum acqvisitæ forsitan hæreditatis subitò dissolvat, nisi usuras de suo præstare velit (e); res onerosas, & qvæ servando servari non possunt distrahat, pretio isthinc redacto, vel in rem vertens vel filiis servans (f); Actiones moveat & excipiat (g); summa, omnia in hisce curandis agat, qvæ bonus paterfamilias in suis assolet; ut alias in similibus universaliter hæc & hujusmodi complecti solent juris auctores (h), qvi hisce in hac specie observatis, filio plurimum putarunt cautum esse. Vicissim verò patris competentiam non neglectum iri existimantes: si is ad dies vitæ jure qvasi potestatis horum peculiarium bonorum usumfructum habeat, cum plena rei administrandæ facultate, etiamdum ad secundas nuptias transit; excusatus paternam ob reverentiam à ratiociniis & cautionibus, qvæ ab aliis alioqvin usufructuariis consveverint exigi (i): si etiam emancipatô à se filiò dimidium hujus ususfructus retineat (k) aut etiam, si, anteqvam res adveniret, v.g. anteqvam mater mortua esset, is emancipatus esset, virilem ejus rei usumfructum, qvoad ante emancipatos liberos obtineat (l). Si præterea contra filii proprietarium jus munitus esset, ne is, se vivô qvicqvam ejus rei vel alienare vel obligare valeat (m), neq; etiam testari de eo posit (n), ut, ipsô præmoriente, exclusô patre, ad alios extraneos pervenire ea bona possint. qvin ipsi potiùs parenti, jure peculii ejusq; familiæ maneant (o). cum hoc præterea ex jure peculii, si eô accipit, beneficiô, ut ratione æris alieni eis in- hæ-

(a) l. 2 C. d. bõ mat. l. 4. l. fin. §. 5. C. d. bon. q. lib. (b) d. l. fin. §. 4. & 5. (c) l. 1. in fin. d. bõ. mat. auth. nisi cod. ex N. 22. c. 24. jung. l 4. C. d. bon. qvæ lib. (d) l. 1 2. C. d. bon. mat. l. fin. §. 4 in fin. C. d. bõ. qvæ lib. (e) l. fin. §. 4. 5. d. t. (f) d. §. 5 post med. (g) d. l. ult. § 3. C. de bõ. qvæ lib. pr. J. per qvas pers. nob. obl. acqvir. (h) l. 10. 23. de adm. tut. §. 39. J. d. R. D. (i) per text. supr. all. tit. imprim. d. bõ. qvæ lib. & d. bõ. mat. (k) d. l. 6. §. 3. C. d. bon. qvæ lib. §. 2. J. per qvas pers. (l) l. 3. pr. d. bon. mat.

(m) d. l. fin. C. d. bon. qvæ lib. l. 3. d. pat. pot. (n) d. ll. & l. 3. 11. C. qvi test. fac. poss. (o) per l. 9. l. 19. §. 3. d. castr. pec. l. 1. §. 22. d. collat. l. 5. C. d. infirm. pœn. cælibat. l. 1. §. 22. d. collat.

hærentis nonnisi peculiotenus obligetur (*a*), contra qvam fieret, si simpliciter ut hæres illa acciperet (*b*). Et hæc qvidem ita, nisi peculiaris ll. dispositio in contrarium iis deroget, uti fit in casibus, ubi v. g. cum conditione, ne pater usumfructum habeat, relicta res est (*c*). si cōmuniter cum patre lucratæ hæreditatis res est (*d*). ubi ipse usumfructum remisit (*e*). Qvid juris utriqve sit, si circa acqvisitionem hujusmodi peculii, dissentiant pater & filius. qvid item filio, si pater in acqvirendo circumveniatur videre licet à Justiniano ordinatum (*f*).

XI. Facultas deniqve filiis peculiari jure modoqve consulendi, in pluribus qvoq; consistit, dum competente consideratione ac modò, huc sunt trahenda: ipsa coercitio, consensio provida ad nuptas, vindicatio, peculii adventitii administratio, testamenti factio, pupillaris itemqve exemplaris substitutio, tutoris datio & similia, qvorum plerorumqve qvia jam in præcedentibus fontes indicati sunt, ea amplius commemorare erit extra pretium operæ. Verum qvia hactenus plurimùm à parte potestatis paternæ, prorâ ad officium filiale directâ velificati sumus, è re videri potest, uti velis versis ad jus liberorum redemergentes frontem ad officium paternum qvoqve nonnihil dirigamus. Cæterum, qvia longitudinem æqvoris primò cursu ferè emensi atqve ita utrumqve simul latus transgressi sumus, fortassis hic qvoqve parum laboris nobis superest pertingendi portum. scil. & tenuior facultas filii erga parentes est, qvàm ut vel nomen potestatis vulgò mereatur; nec dubium est, longè minùs ligamenti habere paternum qvàm filiale officium.

XII. Qvid paternæ curæ, circa bona filiis adventitia, civilis reqvirat æqvitas, id juxta hoc littus constituti, proximè simul observavimus; de cœtero naturalis simul ac civilis competentiæ esse, haud qvisqvam facilè ambiget, ut potestatis est, ita & ad officium parentum pertinere, uti filiorum educationi probè studeant, ut operis ac facultatibus pro posse eos juvent, itemqve coërceant, moresqve eorum sub provida censura habeant, utpote ad hoc à naturâ ipsâ constituti, per indicium iis implantati amoris erga liberos, prævalentis prudentiæ; & qvod deniqve omne penè perfectius animal

(*a*) per l. 4. ff. qvod cum eo qvi in alie. potest. (*b*) per §. 5. d. hæred. qvalit & differ. (*c*) auth. excipiat. C. d. bon. qvæ lib. (*d*) auth. itē eod. l. fin. pr. §. 1. 2. & 6. C. d. bō. qvæ lib. (*e*) l 6. §. 2. d. t (*f*) l. fin pr. §. 1. 2. & 6. C. de bon. qvæ lib.

animal sui simile à se genitum, usqve qvò sibi ipsi hoc prospicere non potest, primâ curâ juvare cernimus. Fluit omninò ex hac justitiâ, qvandò, non minùs ac liberi parentes, parentes vicissim liberos agnoscere atqve alere nostris jubentur (a). *Si qvis suorum, maximè domesticorum curam non habet: fidem negavit & est infideli deterior:* Enunciatum est divi Pauli (b) præprimis liberos in suorum domesticorum numero habituri. *Necare videtur* ait: (c) ex naturali lumine, divino isti viro cognomine geminus JCtus, *non tantum is qvi partum perfocat, sed & is qvi abjicit, & qvi alimoniam denegat, & is qvi publicis locis misericordiæ causâ exponit qvam ipse non habet.* Ulpiani cura est (d), id debiti indefinitè ad omnis generis liberos applicare, non habitô respectu, in potestatene sint parentum annon sint, naturalesne an legitimi sint. *Magis putans, etiamsi non sint liberi in potestate, alendos à parentibus: & vice mutua hos alere parentes debere;* remqve extendens ad omnes, qvi parentum & liberorum loco sibi sunt invicem, etiam *matrem* cogendam censet, *vulgo qvæsitos qvoq; liberos alere & avum maternum* (e) judicans *hanc rem ex æqvitate descendere charitateq; sangvinis.* Porrò judicis esse autumans, *ut si qvis ex his alere detrectet, pro modo facultatum alimenta constituere*, respecturi ad *necessitates, ad ægritudines* illorum, qvi indigent, & si necdum præstentur *pignoribus captis & distractis coget eos sententiæ satisfacere.* Qvid Justinianum moverit, qvod circa liberos ex nefariô complexu natos eò severitatis processerit (f) ut etiam à patre eos ali vetuerit, non satis expeditum est. licet reliqva fortè, qvibus etiam jure naturalium, hoc est, ex concubina natorum liberorum, ibidem eos privarit, tolerari possint: exemplô, qvô alias divinô humanôqve jure non absonum prorsus est, per enormia nimis delicta parentum, liberos etiam gravari (g). Sanè occasionem severitate illa suâ dedit Imp. ut clementiorem se ostenderet Clemens Papa III. qvando *sollicitudinis esse* voluit, *ut uterq; hujusmodi parens liberis suis, secundùm qvod eis suppetunt facultates, necessaria subministrent* (h).

(a) l. 1. d. agn. & alend. lib.
(b) 1. Tim. 5. 8.
(c) l. 4. d. agn. & alend. lib.
(d) l. 5. cod.
(e) §. 2. & seqq §. 10. d. l.
(f) auth. ex complex. C. d. incest. & inut. nupt. ex Nov. 89. c. 15.
(g) Exod. 20. l. 5. C. ad L. Jul. Majest.
(h) c. 5. X. de eô qvi dux. in matr. qvam poll. per adult.

XIII. Nec verò alimenta tantum indigentibus; sed amplius qvid bonorum parentalium liberis naturaliter deberi consensus gentium, ut opinor, evincit; qvò maritandæ soboli aliqvid in novam

novam familiam à parentibus conferri, qvô, ut hæredes ipsorum filii existant, receptum est. Ita, *qvæ pater filio studiorum causâ peregrè degenti subministravit*, donec de animo credendi non constat, in *pietatem debitam* interpretatur JCtus (*a*); eoqve *in rationem portionis*, qvæ post ex defuncti bonis ad eum pertinebit, computari, æqvitatem non pati, autumat. Lege Justiniani (*b*) *necessitas imponitur genitoribus, liberos secundū vim patrimonii alere: & omnia eis præstare, qvæ ad qvotidianam vitæ conversationem sufficiant: sed & dotes & ante nuptias donationes dare & perscribere in omni casu secundum vires patrimonii.* ea qvæ eorum *pietatis, voti* & *officii* alibi jura pronunciant (*c*): & magistratibus injungunt, ut invitos ad hæc præstanda cogant (*d*). De hæreditate liberis competente nec à parentibus adimenda immeritis, ita eleganter Paulus (*e*) *cum ratio naturalis, qvasi lex qvædam tacita, liberis parentum hæreditatem addiceret, velut ad debitam successionem eos vocando, propter qvod & in jure civili suorum hæredum nomen iis inditum est, ac ne judicio qvidem parentis, nisi meritis de causis, summoveri ab ea successione possunt*, & qvæ seqvuntur. Causas illas meritas ad qvem numerum restrinxit Justinianus ex lege ejus Novella (*f*) videre est. ut & pluribus alibi (*g*) ad qvam usqve portionem, liberis de bonis suis post mortem relictis, non adimendam, in necessitatem absolutam, res jure civili abiit; puta qvartam legitimæ, & post trientem bonorum relictorum omnibus, si intra qvaternarium numerum consistant, aut semissem, si plures sint. Pertinent ad curam bonorum ad filios pertinentium, officium probè administrandi ipsorum adventitia, qvo de paulò ante. Disciplinam qvod attinet, qvæ in sanâ doctrinâ iis inculcanda itemqve morum regimine & correctione ferè consistit, haud dubio non magis potestatis qvàm officii est. Dominus præcepta sua & summam eorum præscribens populo Israëlitico, erunt, subjungit, (*h*), *verba hæc, qvæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuô: & acues ea filiis tuis & loqveris de eis, sedens in domo tuâ, & ambulans in itinere: cubitum iturus atq; consurgens.* & ante: (*i*) *Docebis inqvam ea filios & nepotes tuos.* Cum doctrina regimen morum conjungit sapiens, correptionemqve, una cum attentione ad moderamen, *Erudi*, inqviens, *filium tuum dum spes est: ad interfectionem autem ejus ne ponas animam*

(*a*) l. 50. famil. hercisc. (*b*) l. 19. C. d. hæret. & manich.

(*c*) l. 22. §. pen. ad Treb. l. 7. C. de dot. prom. (*d*) l. 19. d. rit. nupt. (*e*) l. 7. C d. bō. qvæ lib.

(*f*) l. 115. (*g*) l. 30. C. d. inof. test. N. 18. c. 1.

(*h*) Deut. 6. v. 7.
(*i*) c. 4. v. 10. add. Exod. 12. 17.

(a) Prov. 19. 18. add. c. 13. 24. c. 22. 15. c. 1. 8.
(b) Eph. 6. 4.

tuam (a). Simili modo Apostolus: *Vos patres*, dicit, *nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & admonitione Domini* (b). En qvoq; potissima, qvæ sunt de officio parentum.

XIV. Libertas potestasqve filiorum erga parentes qvoqve notare erit aliqva, qvæ qvidem primò collata cum officio parentum factivo, facultas utiqve erit, omnia qvæ patrem filio præstare convenit, ab illo ex æqvo poscendi; aut si non præstita debitè fuerint neglecti officii eum incusandi. Imprimis autem notabilis libera liberorum facultas est; qvatenus omittendi ac non refragandi sibi, parentum officium amicum habet & per hoc juxta patriam potestatem, qvædam qvasi genuina jure haud impedita libertas decurrit. Advertit Grotius (c), etiam primâ ætate, ac illô qvidem tempore, qvô per naturam omnes liberorum actiones sub dominio sunt parentum, filium tamen & filiam capaces dominii rerum esse, jure gentium: etsi exercitium ob judicii imperfectionem impediatur; habere, juxta Plutarchum (d), jus ἐν κτήσει licet non ἐν χρήσει. Qvare, sicut hinc is porro infert, ut res omnes liberorum parentibus acqvirantur non naturale esse, sed ex qvorundam populorum legibus. Planè cùm liberi, utcunqve nunc judicio imperfecti, ineptiqve ad omnem rerum administrationem, in ea tamen qvasi potentiâ proximâ, nec suo tempore impediendâ, per naturam, gentium civiliumqve rerum usum, constituti sint, (nempe, alia horum, qvam servorum ratio, hoc intuitu est,) ut & ipsi novam liberam familiam sibi civiliq; in qvâ degunt societati constituant, haud ipsis invidendum videtur, si pro hoc fine maturè propriis qvibusdam facultatibus prospiciantur, ipsis à nemine, nec à parentibus adimẽdis; maximè donec citra rei familiaris horum labore ac fortunâ acqvisitæ detrimentum id fiat, qvod iis benignè aliqvid adjiciatur. Qvam certè æqvitatem nullus dubites, qvin etiam perspexerint intimè, juris nostri attemperatores; qvando tantum juris ac libertatis in bonis iis extrinsecus advenientibus, adventitiis, castrensibus ac qvasi castrensibus peculiis, qvæ vocant, cum qvodam licet admissô temperamento paternæ potestatis, ipsis asseruerunt; prout paulo ante hæc produximus. Nec dicam, hic maximoperè dignum observatu esse, qvando in ipsa etiam parentum bona propria liberis.

(c) d. c. 5. n. 2. d. J. pac. & bell.
(d) de fortit. Alex. II.

ris non leves dominii effectus illi tribuunt, dum alimoniam iis exinde adſignant, parentum jus conſtringunt, ne illos diſpoſitione qvâdam voluntatis ultimæ, à ſucceſſione penitùs excludere valeant; imò dum remedia adhibent, ne vini neglectô omni fine modôqve qvæſita bona dilapident maleqve iis utantur *(a)*: Sine dubio intereſſe publicô, qvod prætendunt, plurimùm in ipſum intereſſe liberorum, & qvi liberorum locum ſuccedendo ſubeunt, ſeſe reſolvente; his enim non reip. prodigi ſua bona proximè ſolent intervertere; utpote qvi plerumqve, qvæ abjiciunt, aliis in civitate ſolent legenda concedere. Admirere ſi vis, eò deventum *(b)*, ut hæredes ſui hoc eſt liberi in poteſtate proximi, *vivo qvoq; patre qvodammodo domini* paternorum bonorum eſſe *exiſtimati* ſint, qvibus *continuatio dominii eò rem perduceret, ut poſt mortem patris, qvaſi jam olim domini eſſent, nulla videatur hæreditas eſſe aut percipi, ſed magis liberam bonorum adminiſtrationem illi putentur conſeqvi.* Hæc & hujusmodi ad omne ſupra memoratum tempus pertinebunt, & jure etiam civili effectû pertinere juſſa reperies.

(a) t. de curat. fur. prod.

(b) l. 11. d. lib. & poſt. hered. inſtit. §. 2. de hered. qval. & diff.

XV. De reliqvâ liberorum facultate, in ſtatu ſecundô imprimis (tertius enim ut non adeò indiget, ita primus talium incapax eſt) diſpoſitiones prudentum haud deſpiciendas qvoqve obſervare licebit: ex qvibus Hugo Grotius *(c)* illud ſuum legit, qvô præterqvam, qvæ ad familiæ paternæ aut maternæ ſtatum aliqvid momenti habent, in cæteris actionibus, liberis ἐξουσίαν, id eſt, facultatem moralem liberius agendi tribuit, modo juxtà parentibus complacere ſtudeant; ea tamen debiti erga hos laxitate, ut irritum non temerè fiat, ſi qvid contra factum ſit. Prudentes noſtri ipſi, filiofamilias puberi, omnis generis negotia, qvibus & obliget alios & obligetur ipſe, permittunt: *Filiusfamilias* habet Gajus JCtus *(d)* *ex omnibus cauſis* [excipe mutuum *(e)*] *tanqvam paterfamilias, obligatur, & ob id agi cum eô tanqvam cum patrefamilias poteſt.* Juſtinianus inhiſce filiosfamiliarum ſervis opponit *(f)*. Ulpianus contractibus & delictis accommodat & in ſpecie procuraturam exprimit *(g)* alibi *(h)* ubi ſtatuerat, dare eum procuratorem poſſe, ſubjungit. *Ipſe qvoq; filius procurator dari poterit & ad agendum & ad defendendum.* Omitto maximam ad munera publica filiisfamilias tam liberta-

(c) d. l. n. 3.

(d) l. 39. d. Ob. & act. & l. fin. §. 2. d. V. O.

(e) t. ad SCt. Macedon.

(f) §. 6. de inutil. ſtipul.

(g) l. 57. de judic.

(h) l. 8. d. procurat.

tem competentem. *Filiusfamilias in publicis causis loco patrisfamilias habetur: veluti ut magistratum gerat, ut tutor detur*, ait Pomponius (*a*) applicant qvoqve alii (*b*) sed de his satis.

XVI. Non abs re fortassis esset, si qvæ ad analogiam sunt paterni filialisqve juris potestates atqve officia, inter alias, qvam qvæ naturaliter parentes ac liberi sunt, personas, intercedentes, plenius hic discutere; intellige qvæ inter avum, abavum, nepotem, pronepotem & reliqvos ascendentes ac descendentes: qvæ inter adoptivos patres filiosqve sunt talia, qvorum hos etiam ut naturales legitimosqve liberos, familiæ successionisqve jura participes faciunt; (*c*) illis similem naturalibus parentibus potestatem tribuunt, cum distinctionibus tamen suis locis observatis (*d*). qvæ deinde & qvalia hæc intercedant, qvos ratione tum cognationis tum affinitatis aliisqve de causis parentum & filiorum loco jura habent, veluti vitricum, novercam, privignos, socerum, socrũ, generum, filiæq; maritum, uxorem patris adoptivi itemqve sponsi parentem, patruum, avunculum, amitam materteram, patruum magnum, & cæteros superiorum tales cum nepotibus, pronepotibus & reliqvis ex fratre sororeq; descendentibus (*e*): Fidejussores deinde baptismatis ac baptisati ad eorum testimonium, jure civili & canonico. (*f*) Porrò qvæ continentia, qvæve istarum affectionum ratio inter præpositos pastoresqve Ecclesiæ & laicos; magistratus & subditos; tutorem, & pupillum, præceptorem, ac discipulum, deniqve seniores qvoslibet ac juniores; qvorum etiam ultimô locô dictos Apostolum observare audias, cujus est. *Seniorem ne increpaveris sed adhortare, ut patrem, anus ut matres* (*g*). Liceret hic qvoqve memorare jus paternum omnium primum & summum Dei in homines, & facultatem officiumqve filiale, qvibus & semper cœlo nos clamare possumus: *Abba mi pater, Pater noster qvi es in cœlis*; & vicissim parere ut filii patri nostro cœlesti summâ semper cum observantiâ tenemur. Sed qvia amplior horum omnium foret deductio, qvam præsens potest ferre institutum, digitum intendisse sufficiat & obiter modo significasse, plures dari in vita personarum, qvibus, cum respectu paterno ac filiali qvodam, jus aliqvod simile intercedat.

(a) l. 9. de his qvi sui vel al. jur. sunt. (b) l. 2. ad SC. Macedon. l. 13. ad Trebel. l. 6. pr. qvod cujusq; univers. nom. l. 2. de muner. & honor. pr. J. qvi test. tut. dar. pos. l. 7. d. Tutel. l. 21. d. adm. tut. &c. (c) t. J. ff. & C. de adopt. (d) l. pen. C. eod. & passim per hanc materiam. (e) tit. d. gradib. de nupt. de succes. (f) l. 26. C. de rit. nupt. t. C. d. cognat. spirit. (g) 1. Tim. 5. 1.

CAPUT VIII.

De dominio familiari in personas servas.

I. Disponuntur homines ad dominium ac servitutem naturâ;
II. More;
III. Ex qvô & delictum.
IV. Fortunâ.
V. Constitutio dominii ac servitutis an fiat per omnia per qva obligatio?
VI. Fit verè occupatione.
VII. & Conventione.
VII. An etiam nativitate?
IX. Dominii hujus definitio.
X. Qvæ personarum huc propriè non pertinent?
XI. Pertinent omnium maximè servi jure gentium.
XII. Vis dominii, qvoad usurpationem servorum ex jure Gentium ac Civili.
XIII. Ejusdem ratio coërcendi per eadem & reliqva jura.
XIV. Qvænam personæ, præter servos strictè dictos, typum gerunt servilis conditionis?
XV. An etiam & qvatenus hodierni nostri ministri?

I.

DE dominio, qvod *potestas est in personam familiariter servam*, tria imprimis videntur considerationem mereri: ejus nimirum *ratio constituendi*, ipsum *esse*, & *vis* ejusdem. De *constituendi ratione* (de qva ut priori naturâ, dicendum prius) videtur posse constare rectius, ubi appareat, qvæ aptitudo seu dispositio ad eam utriusqve personæ præreqviratur; & qvi sint ipsi dominii constituendi actus, Aptitudo seu dispositio ad domi-

nium itemqve servitium personis *naturâ*, *more*, *ac fortunâ* videtur obvenire. *Natura* & libertati & dominio videri potest aptasse, qvos eâ prudentiâ animiqve vigore ac bonitate produxit, ut & sibi & aliis minus pollentibus, qvàm rectissimè prospicere valeant; & contra conditioni servili destinasse, qvibus mentem vel stupidam vel etiam malignam magis reliqvit, qvam ut sibi vel possint, vel etiam citra injuriam aliorum velint, prospicere, ita tamen ut & robore aliqvo corporis & mente non prorsus delirâ utantur (tales enim subjecta magis commiserationis qvàm servitii erunt) qvò jussa dominica valeant exeqvi. In prudentiæ defectu & copia Aristoteles (*a*) potissimum naturalem dominii ac servitutis aptitudinem seu causam ponit, rem multis per naturam exemplis, animi nimirum & corporis, hominis ac beluæ, viri & mulieris &c. inducens: interim verò nec congenita injuriosa malitia extra numerum hic erit ponenda. namqve nec naturæ qvicqvam videtur congruentius, qvam peculiari qvoqve ac domesticæ animadversioni obnoxios esse, qvi humanitati noxii sunt futuri: non obstante, qvod censura etiam publica rei huic videatur naturâ destinata esse. utpote qvod huic amicam & multum subsidiariam esse disciplinam domesticam, maximoperè competat: id qvod observabant & Philosophi & prudentes legumlatores, qvando totam vitæ beatitudinem à bonâ educatione (*b*) qvasi suspendebant, tantaqve cura circa eam disponebant (*c*). Laudanda imprimis circa hanc rem videtur Romuli providentia, qvâ, præter servos, omnes filiosfamilias, itemqve conjugatas fœminas singulari domesticæ potestati subjiceret, eô eventu, ut disciplina publica ferè non haberet, nisi in capita familiarum, hoc est, minimam partem populi, animadvertere; reliqvô mulierum, liberorum servorumqve grege horum primæ, suæ verò tantùm secundariæ attentioni subjectô: & hoc non tantum in casu, ubi naturaliter illi minus valerent agere provide, sed eô etiam, qvo declinare ad injuriam reipub. ac membrorum ejus hi familiares possent: qvô etiam illæ spectant qvam plurimæ civilis juris dispositiones, qvibus, modò culpa aliqva aut negligentia dominorum inteverniſſe ostendi possit, ipsi facta familiarium suorum præstare jubentur. v. g. cædem à servis perpetratam, si scientes non

(a) cap. 3. & 4. lib. 1. polit.

(b) Arist. 2. Eth. c. 1. in fin.

(c) Justin. lib. 3. histor. Xenoph. de repub. Laced.

non prohibuerint (a). damnum furtumq; à familia datum, si merito incusentur, qvod opera malorum hominum fuerint usi (b). ex qvibus utiqve apparet, etiam hujusmodi hominum malignitatem legislatores domesticæ censuræ subjicere commodùm existimasse; utpote cujus neglectum etiam in dominis ipsis coercent. Maximè autem manifestô imprimis exemplô ipse etiam consensus gentium rem videtur inculcare, qvandò, qvos maximè malignos ac perniciosos humanæ cohabitationi ducit, ubi in potestatem redigi possunt, non publico præcisè addicit, sed privatorum ferè dominio relinqvit, præter reliqvum, qvem sibi inde haurit usum, etiam hostilitatem erga totam societatem conceptam privatim cohibituro. ab eo autem qvod gentium, qvod civili æqvo jure receptum apparet, notum est, naturalem solere argui congruentiam; cum qvæ illius sunt ex hâc ipsâ communiter putamus deducta, donec diversum ex natura levare non licet. Esto igitur prima qvædam naturalis dispositio ad servitutem, imprudentia & malignitas; ad dominium, prudentia animiqve probitas. naturalem autem vel naturâ esse, hoc loco intelligo hujusmodi dispositionem, qvatenus ea ingenita cuiqve est connataqve, nec tantum qvatenus jure naturæ talis est: cum hôc modô etiam reliqva, qvæ ex more ac fortuna est dispositio, simul & actus constituens, ex naturali videri potest participare ratione, ut in seqventibus facile apparebit.

(a) l. 2. 3. 4. de noxalib act. (b) t. naut. caup. stab. It. furt. advers. naut. §. fin. J. d. Obl. qvæ ex delict.

II. Interea autem & fundamenta, qvæ illô modô à naturâ, eadem qvoqve & *à more*, huic dispositioni videntur poni: Malitia scil. ac torpor servituti; dominio cum prudentiâ probitas. nempe natura altera, mos est, qvem consvetudinem agendi, seu eam aptitudinem & vivendi habitū intellectum velim, qvem consvetudine sibi delectuqve qvisqve comparavit. Cum igitur perpetuæ videatur esse æqvitatis, ut stupidior mens perspicaciori, voluntas malignior probitati subdita sit: parum tandem interesse videri potest, qvoad dispositionem ad servitutem dominiumqve, naturâne an assvefactione tali habitudine aliqvis sit præditus. Fieri autem solere, notissimum est, ut sæpius mens naturâ satis perspicax, aptaqve nata, ut ad apicem peritiæ humanæ prudentiæqve potuisset pervenire; si qvidem exculta fuisset; qvæ in serotinam usqve ætatem neglecta,

glecta, & jam multa vilium serviliumqve negotiorum notitiâ obruta, & servire assveta, & actu inepta sit, ut aliqvod nobilius imperium ei possit committi, simulq; nunc apta minus, ut saltem erudiri ad altiora commodè qveat; nisi forte insigniter natura excellat. Utrumqve facilè docebunt exempla transeunti per rusticam aliamqve viliorem plebem, in qva reperiet cautos admodum astutosqve usqve dum de liris lirandis judicium desideratur, imò sæpius vel aliqvantò ultra; ita ut nullus dubites, culturâ regiâ regem potuisse bonum evadere, qvi rusticâ evasit rusticus: nec verò etiam nunc qvidem habilis amplius est, ut tutò ad gubernacula amplioris sapientiæ indiga ponatur, metu, ne regendi imperitiâ subitè Phaëtontiacô labatur lapsu, juxta ac usu venire in ejusmodi haud raro, experientiâ edocemur. Levari autem ex plebe, culturâ maturâ ac commodâ, capita dominantia posse, nec sæpius qvicqvam præter occasionem deesse, ut fiat è Rhetore consul, è ruricola & sedentariæ artis sectatore pastor populi, magnusqve commendator hominum, innumera qvoqve qvotidianæ vitæ exempla nos possunt docere, de qvibus nullus dubites, si cultura abesset, eosdem in more majorum perstitisse, & infernè suspectasse, qvos nunc despiciunt desuper. Estq; similis ratio eorum, qvos superiori in solio nativitas collocavit, dum etiam multùm servili ingenio natos, cultura tamen effingi videas, ut adulti sede majorum utcunqve non indigni appareant, & vicissim ex eodem genere cautissimos, neglectu obrutescere, & asotiæ commerciô soporari; eòqve more perduci, ut æqvitatem naturæ adamans, malles eos in contubernio servorum videre, qvam ad clavum familiæ, nedum reipub. ineptos gubernatores. Qvod autem mos sive assvefactio culturaqve mentis, ad prudentiam, Dominiô, itemqve neglectus, ad inertiam, servitute dignam facit; id multò magis circa probitatem & malitiam ingenio hominis inducendam eadem valent: qvippe cum illæ qvalitates præter morem seu assvefactionem proprie dictam, ex doctrinæ cultu aut neglectu plurimum simul prodeant; hæ verò, qvatenus congenitæ non sunt, primariò mori asscribantur; inde & communiter à sapientibus moralium cultoribus virtutes vitiositatesq; morales, dictæ. ut adeò minimè qvoqve videatur

deatur

deatur dictu absonum, more plurimos eò procedere malitiæ, ut jure meritissimô servirent; itemqve eò probitatis alios, ut qvantum ad hoc jure optimô multis dominarentur, & in his sæpè iis qvoqve, qvorum imperio iniqvior eos fortuna subjecit. De cujus iniqvitate anteqvam plura memorem:

III. Obiter notare velim, ad hanc classem de aptitudine ex more, qvoad dispositiones personarum ad servitium videri etiam referri debere effectum injuriosæ malitiæ, sive ipsam illam malitiam in actum deductam, ipsum scil. hostile humanitati maleficium; nempe vel unius momenti enorme factum pro multa malignâ intentione potest esse, qvoniã & delectũ fuit, qvod antea animo suberat, & res insuper hactenus fortè innoxia in meritum insuper repensandæ injuriæ erupit, qvæ repensitatio, citra subjectionem servamqve injuriosæ personæ necessitatem, fieri neqvit. Unde adeò ex hac ratione, nescio an non multum æqvitatis trahat ille usus gentium, & in his etiam gentis Hebrææ ex divino indultu *(a)* itemqve gentium Apostolo toleratus *(b)*; qvo ab hoste captos servituti adjudicant dominioqve substernunt domestico, tanqvam de sese & humana societate male meritos; puto ubi ille hostis iniqvus est invasor, & qviescentium ac pacifice viventiũ infestator: de aliô enim puta invaso & lacessito forte res ad fortunæ injuriam magis referenda est. Ad priorem autem meriti fontem omninò etiam referes, qvi in ipsa aliqva societate particulari, puta civili constituti enormi delictô aliqvô animadversioni publicæ obnoxios sese reddiderunt, hôc ipsô ad servilem conditionem eò intimius accedentes, qvô magis omnis qvæ de apicibus dominii est, potestas, in sese justa sit justeqve possit exerceri; qvando videl. per crimina gravissima potestatem in se provocarunt vitæ & necis, qvæ dicitur, corporis sui affligendi, bona sibi adimendi, ad operosissima ministeria sese adhibendi. & reliqvas, qvarum nomine partim, ubi eò hi homines perducuntur, etiam servi pœnæ solent audiri, v. g. qvi ad metalla aliasqve publicas operas damnantur *(c)*. hodie ad triremes, ad ergastula &c. partim, licet non dicantur vulgo, sunt tamen; utpote cum & omnes *qvi ultimo supplicio damnantur statim & civitatem & libertatem dicantur perdidisse* *(d)*, & reapse utiqve multa servilia sustinere

(a) Lev. 25. 44
(b) Eph. 6. 5.

(c) §. 1. J. de cap. minut. l. 17. 28. pr. l. 36. de pœn.
(d) l. 29. de pœn.

nere

nere cogantur. Qvo etiam referas, ubi ob crimen, in consvetam aliàs per civitatem privatorum servitutem, homines detruduntur, prout lege Mosaica furi accidebat, qvi solvendo non erat (a). & jure civili iis, qvi libertini facti ob ingratitudinem in pristinam retrahebantur servitutem (b); mulieri liberæ, qvæ servili amore bacchate SCto Claudiano libertatem amittens domino servi addicebatur (c).

(a) *Exod 22.3* (b) *l.2.& 4.C. de libert. & eor. lib.* (c) *t. C.de SCto Cl. toll. & J. de success. subl. qva fieb. per bon.vend.*

IV. *Fortuna* pro suô modô homines dominio videtur destinare, qvos nasci facit ingenuos, imprimis verò, qvos nobilioribus magnisqve natalibus in hanc lucem prodire curat, qvos honoribus, opibus, potentiâ, aliisqve dotibus insigniter exornat. Econtra verò servitio eadem videtur mancipare, qvos forte in servilem delocat ventrem, qvos in fecem plebis collocat, qvos inhonoratos, pauperes, & plerisqve melioribus dotibus suis destitutos reddit: item qvos innocentes pacatosqve tyrannidi hostili ad captivitatem & subjugationem miseros auxiliiqve inopes exponit. sane in procinctu qvasi stare ad occupandum dominatum omnes illos, ad subeundam servitutem hos, haud licet ambigere, qvem usus humanæ vitæ non latet. eaqve in re maximam qvisqve observabit, opinor, luctam fortunæ cum natura, ejusqve vicino, more; dum, qvos illa sæpè ingeniô stupidos, indoleqve malignos procreat, hic in simili statu fovet, aut etiam bene natos qvandoqve ineptos corruptosqve reddit; ipsa non tantum ingenuitatis, sed & honoris, nobilitatis, opulentiæ, &c. ac cum his, maximæ potentiæ bonô statuqve exornat; & vicissim naturâ moreqve solertes probosqve ita ope suá destitutos relinqvit, ut ultrò in servitio salutem suam qværere ipsi satagant. Dubites igitur meritò hic de justitia hujus, naturæ, moribusqve adversatricis, fortunæ; nisi edoctus fores, fortunam hominum, præterqvam, qvam propria cujusqve ipsa moralis culpa sibi fabricat, à superiori disponi justitiâ: Deum esse è cujus manu omne nanciscimur bonum, cujus benignitati, æqvè, qvæ fortunæ vulgo appellantur bona, qvam qvæ naturalia aut more adepta conseqvimur, habeamus accepta referenda. Nec *esse malum in civitate qvod Dominus non fecerit* (d). magis, homini *capillos citra voluntatem* supremi justissimi *domini haud cadere* (e). nedum, ut citra ejus arbi-

(d) *Amos 3. 6.* (e) *Matth. 10. 30.*

arbitrium insignis qvisqvam status, & maximi in vita momenti conditio, cuiqvam obveniant. *Utriusq; pauperis ac divitis operator est Dominus* (a), potentis item atqve humilis, *nec dicere* habet *figmentum figulo, cur me finxisti ad hunc modum* (b)? Qvæ cum ita sint, nec justitiam ab hisce à fortuna conditionibus, utut naturali, ac morali adversentur, penitus excludes, eô scil. respectu qvô à superiori universali ordinatione illæ dependent; qvem ubi ante oculos qvis habet, etiam ipsos illos priores naturalis simul ac moralis ad dominium itemqve ad servitutem dispositionis fontes, sub hac fortunali ordinatione qvadantenus complecti non veribitur, præterqvam si qvæ ex culpa propria cui effecta est deterior conditio, qvæ, licet, ubi facta est, in obnoxiis divinę dispositionis est, eidem tamen haud accepta est ferenda. Qvod autem distincte interim, ut diversas hujus dispositionis causas, propositas, naturam, morem & fortunam, reperit bonꝰ lector, id methodo indulgebit disciplinari, qvâ, qvando causas earum, qvæ nobis insunt qvalitatum perqvirimus ad tria hæc capita, congenitum nempe, aut more inductum, aut forte qvasi superventum solemus indaginem dirigere, exemplo Philosophi in Nicomachiis (c). Esto igitur ex dictis causis hominis ad dominium & servitutem dispositio judicanda.

(a) Prov. 22. 2.
(b) Es. 45. 9. Rom. 9. 20.
(c) lib. 1. c. 9.

V. Verum utut hæc ita se habeant in dispositione; tamen actu nondum videbitur dominium aut servitus aliqva in specie conformata, nisi alia accedant, realiter has habitudines constituentia. neqve enim aptum dispositumqve esse ad dominandum serviendumqve, dominari ac servire, dominium aut servitus est; qvippe relativus respectus personæ certæ ad personam certam, qvi de natura harum qvalitatum in habitu est, ac individua personarum solet intercedere, hactenus istis ad dominandum serviendumqve dispositionis qvalitatibus potest abesse, nec id effectum esse, ut hæc persona huic, illa illi verè justèqve dominans aut serviens sit constituta. neq; enim eô ipsô qvod qvis malignus, aut debilis natura, more aut fortuna est, certo cuiqvam præcellentiori sapientiâ, probitate, facultatibus, servus dicetur constitutus, nec contra hic illi dominus: licet eâ utrinq; fruantur qvalitate, qvâ ad id conditionis inclinent. necesse igitur omninò erit, præter dictas dispositivas,

 alias

alias adhuc dari dominii & servitutis causas constitutivas. Cum servitus justa ex genere necessitatum juris seu obligationum est, & per conseqvens potestatem qvalem legitimam in latere adverso habet positam, qvæ qvidem huc relata dominium sit; suspicio potest esse: causas omnes suô locô memorandas (a) obligationum, vel saltem harum aliqvas eum obtinere locum. Et fortassis si servire aut servum esse latissimè sumas, in omnibus ejus aliqvid radicis hærere, nescio an negari possit; cum, qvi accepit *beneficium* ab aliqvo, qvi *læsit* aliqvem, qvi inferior *eminentiori* juxta positus est, qvi sangvinis aut aliô *societatis*, qvi *conventionis* deniq; vinculo certo alicui obstrictus est, qvin ad inserviendum alteri qvoqvo modo obnoxius sit, & vicissim hic illum ad id reapse obnoxium habeat, haut liceat ambigere: id qvod & servi & dominici aliqvid omninô videtur sapere. *Dives pauperibus imperat: & qvi accipit mutuum servus est creditoris*, in proverbiis fuit Regis sapientissimi (b). Cæterum qvia hoc eò rediret, ut omnis & obligatio & potestas, erga, interqve personas, idem essent, qvod servitus ac dominium dicendæ: usus autem id non ferat; sed ferè strictioribus terminis includat id, qvod dominium ac servitutem dici vult; colligere est, fieri non posse, ut omnes qvæ obligationis, simul & servitutis propriè dictæ causæ, pari modô existant. Neq; verò ob beneficium qvodlibet datum acceptumqve dominus dator, acceptor serviens audiet. nec maleficus, statim ex qvo læsit, anteqvam jure occupatur & sub manum magistratus fuerit subactus, hunc putabitur induisse respectum. par ratio eminentiæ ad ineptitudinem positæ, itemqve cognati juxta cognatum sociumq; constituti: similiterq; conventionis, qvæ infinitæ figuræ obligationes formabit, qvæ tamen servitutem, propriè haud inferat. Qvid ergo dicendum? Nisi animo fallor, ut dispositio ad serviendum ex tribus suprà memoratis causis, ad duo recidit capita, injuriosam scil: *malignitatem*, & ad dominandum *ineptitudinem*, per defectum vel ingenii vel à fortuna instrumentorum ac virium; & contra ad dominandum aptitudo, *probitas* est ac *potentia facti*, prout supra contractè eam dixi: ita duo videntur media, qvibus dispositio isthæc communiter in habitum actumve soleat produci. justa nimirum *occupatio & conventio*: illa malitiæ in vindictam, hæc imbecil-

(a) lib. 3.

(b) Prov. 22. 7

becillitati in subsidium, utraq; utriq;, & imprimis parti dominanti, in familiare adjutorium parandum comparata.

VI. Ut *occupatione*, hoc est, violentâ subactione aut manucaptione, homines libertate privati, ac servi, dominio alicujus justè subjiciantur, prima, & ni fallor, unica causa potest esse, præexistens in iis malignitas; ponas enim abesse hanc, & omnis vis, omnisq; violenta liberi hominis occupatio injusta erit. Cæterum, nec simpliciter tamen omnis cujusq; malignitas hanc justitiam valebit sustinere. esto enim qvod in solô affectu malignitas ista persistat, odiô, invidiâ, aut simili; qvod etiam ad actus humanitatis fideiqve humanæ negativos aliqvos non adeò ab officio enormes procedat, v.g. laboranti non subveniat, promissum non præstet; imò qvod ad qvasdam levioris momenti læsiones, etiam in ipso facti exercitiô procedat; & forsitan necdum satis causæ videbitur subesse, hominis in gravissimam servitutem vindicandi, idq; ob defectum æqvæ proportionis, qvam utiqve ejusmodi leviores exorbitantiæ ad istiusmodi graviorem censuram, qvalis servitutis inflictio est, non videatur sustinere. Undè adeò, porrò videtur seqvi, ut justa hæc occupatio sit, prorsus reqviri, ac præsupponi, insigniter injuriosam malignitatem, eamq; talem, qvæ vel in actum enormis cujusdam læsionis jam tum processerit, vel etiam, ut procederet, in procinctu stetisse certissimô argumentô pateat. nempè sic demum cum illa in proportionem videntur congredi & talio & vehementior correptio; qvas qvidem porrò in usualem qvandam servitutem mutare, in arbitrio videtur occupantis positum esse; nisi qvatenus fortassis à superiori dominatu diversum qvicqvam fuerit ordinatum. Certè legislator civilis in hostibus bello captis, humanitati vult acceptum latum (a), qvod non occidantur, sed servituti serventur hostes. & huic planè fundamento æqvitatis videtur inniti, qvod homines graviorum maleficiorum rei libertate suâ privati etiam justè arctissimis includantur vinculis, & modò, servili cuidam ultimæ perpessioni, modò usuali servituti pœnæ jure subdantur (b); qvod jure gentium justô bellô capti hostes in servitutem capientium deducantur (c), idq; reputetur in modis jure naturali acqvirendi (d). Tametsi fortè in hominum hac captura, eorundemq; in

(a) §. 3. J. de jure person.
(b) §. 1. J. de cap. minut.
(c) d. §. 3. d. jure pers. § 2. de J. N. G. & C.
(d) §. 17. J. de R. D.

rigidam illam servitutem perductione, sub pallio juris gentium multa injustitia gentium sæpius contegatur; puta si eò rem velimus interpretari, ac si justè etiam in servitutem occupentur ac perpetim retineantur, qvos suâ sibi petulantiâ gens aliqva hostes decernit, qvi armorum, & subsidii ad arma, inter hostes degunt expertes; qvos ipsa forte major vis invitos in aciem hostilem protrudit: certè ipsa qvandoqve humanitas Imperatores diversum docere solet, & adversus tales ad clementiam adigere; contra barbaricis ingeniis hęc & hujusmodi omnia sub specie juris belli & gentium commiscentibus, & ad immanitatem usq; provehentibus. qvò etiam pertinere dixeris illorum discursus, qvi vel olim aliis, vel non ita pridem Hispanis persvadere conati sunt, populos non æqvè ut nos excultos, seu plurimū, (qvales Indos ipsi volebāt) barbaros, jure naturæ ut feras licere capere, & qvomodolibet servitutis jugo subdere. Qvaliscunq; autē hæc per occupationem etiam justè constituta sive servitus sive dominatus est, plurimum à parte serviente invita incipiet, qvippe & vi oritur, vim autem tam justam, qvàm injustam homines non solent subire sponte, nisi fortè majoris, qvod judicant, evitandi mali ergò; à qvô tamen ipso malô, qvia multum coguntur, nondum dici poterunt, ac si merâ sponte suâ qvicqvam violenti perpetiantur.

VII. *Conventio* cum naturale medium sit hominibus, obligandi sese alteris omnifariâ obligatione; eàdem etiam in servitium ipsos sese per naturæ indulgentiam, dare posse, puto haud dubitabitur. idq; ipsos facturos præsumitur, plurimùm impulsos à naturæ moris aut fortunæ defectu, qvô conflictati, sibi, citra servitium, qvâ exoptant commoditate, non valent consulere. Estq; isthæc via, puto, ad dominium, serviendiq; necessitatem, haud parùm spontanea; qvippe cum, qvod hic adigit, appetitio vitæ commodioris ferè est: appetitio autem commodi in violentis vitæ nostræ haberi non potest, nec debet, nisi omnia nos velimus dicere coactè agere, docente id Aristotele lib. 3. ad Nicomach. Cognita fuit indultaq; hæc ratio in servitutem sese dandi Hebræis, cum illo tamen ex lege modô, *ne is, cui paupertate compulsus frater se vendidisset, eum opprimeret, faciens eum servire servitutem famulorum, sed ut qvasi mercena-*

cenarius & colonus habitus usq; ad annum jubilæum apud dominum operaretur (*a*). jure civili Romano non tantum filii certâ conditione in servitutem permittebantur contractu dari, ut præcedenti cap. ostensum; sed & qvivis *liber homo, si major viginti annis ad pretium participandum sese venundari passus esset, servituti perpetuæ habebatur mancipatus* (*b*). Qvin imò, si excipias illam servitutem, qvam ferè per occupationem existere, & jure communi, gentiumq; usu, strictioris, & penè uniusmodi obligationis esse invaluit; qvod reliqvum de genere servitutis est, penè omne conventione constabit. eruntq; domini & servi, aut si mavis, hi ministri familiares, dominium ac famulitium plurimum ex pacto constituta. Atq; dico hi qvidem videntur in universum modi esse servitutem actu constituendi, occupatio malignantis & conventio.

(*a*) *Lev. 25.39.*

(*b*) *§. 4. J. de jur. pers. l. 1. 3. qvib. ad liber. procl. nō lic.*

VIII. Tertiam qvandam, seu potius genus aliqvod causæ, alteri generi, utramq; dictam speciem complectenti, opponere videtur Imp. (*c*) qvando *servos* ait *aut nasci aut fieri, nasci ex ancillis nostris fieri captivitate, venundatione &c.* Verùm de hoc, qvod nasci dicuntur servi, notandum videtur, si jus spectes, non tam constitutionem qvàm aliqvam continuationem servitutis dominiiq; subesse; cum nempè, è servili sangvine ortum, eo ipso qvô in servili ventre exsurgit jamdum qvasi qvodam accessionis jure substantiâ suâ servum est, manetq; adeò dum nascitur, haud secus ac pecus ex pecore nostro natum, nostrum, nostriq; qvasi dominii accessio est (*d*). qvòd autem id, qvod semel in ventre liberum fuit, cum ventre in servitutem nolunt redire leges civiles (*e*) favor singularis humanæ libertatis est: inclinantisqve naturæ benignitas à positione gentium ad ingenuitatem hominum, eumq; ipsorum statum, qvo vel *omnes homines ab initio liberi nascebantur* (*f*) Sed esto seqvamur Imperatorem, dicentes, servos aut *nasci* aut *fieri*, manebit tamen verum duos esse modos, qvibus dominium servitusq; *fiat*, h.e. præter nativitatem constituatur, occupationem, sive, ut etiam aliter loqvuntur nostri, *captivitatem & conventionem*. hactenus de ratione constituendi dominii servitutisqve.

(*c*) *d §. 4. de jur. pers. add. l. 5. d. stat. hō.*

(*d*) *arg. d. l. 5. qvib. ad liber. proclam. §. 19. 38. J. de R. D.*

(*e*) *d. l. 5 § 2. & 3. de stat. hō. t. J. d. ingen.* (*f*) *§. 2. J. d. J. N. G. & C.*

IX. Ipsa *essentia*, ut cujusq; rei, ita & harum qvalitatum, ex definitione erit cognoscenda, inq; ea à nobis qvoqve collocanda.

Qvia

Qvia autem in relatis ſunt, dominium & ſervitus, fortè unius eſſentiâ cognitâ, ſimul cognoſci poterit & alterius: ſuffeceritq; pro intentione hac, probè inſpexiſſe ſaltem definitionem unius. Florentino JCto (b) *ſervitutem* placuit deſcribere, qvod ſit *conſtitutio juris gentium, qvâ qvis dominio alieno contra naturam ſubjiciatur*; qvem ſeqvitur hoc negotii qvoq; agens Imp. (b). Nobis liceat ab altera parte rem aggredi, *Dominium* definituris, *poteſtatem in perſonam familiariter ſervam*. *Poteſtatem* eſſe dominium in perſonas ex cap. de poteſtate dominante ſuperius poſito, abundè, opinor, manifeſtum eſt. obiter tantum monere licet, intelligi hic non planè unam ſimplicem poteſtatem, qvalis v. g. eſſe poſſet, qvædam jubendi ſolvere corrigias calceamentorum, imperandi alicui ire & mercari cibum, ſimilesqve; ſed aliqvam ferè multiplicem facultatẽ, perſonæ alicui alteri, ad multos actus perpesſionesqve, pro uſu familiari exeqvendos, ſuſtinendos, dominantem. cujus qvidem ſpecies cum oppoſitis perpesſionibus ſervilibus, ſervitiisqve, qvæ plurimùm in jure hic ſolent attendi, paulò inferius dabimus operam obſervari, ubi ipſam vim, qvæ dominio ex jure eſſe ſolet, paucis exponemus. *In perſonam* autem qvando hæc poteſtas dicitur, eſt, qvô diſtingvitur ipſa ab eo dominio qvod in rem eſt. *Servum* autem ubi qvis uſu-peritus audit, ſine dubio ſtatim cõcipiet perſonam addictæ admodum ſubjectionis, conſtitutum ſub ampla, valida multumq; arbitraria alterius perſonæ poteſtate, hoc uſu, ut illi operas ad lubitum præſtare teneatur, & inſuper arbitrium proprium ita illius voluntati habeat obnoxium, ut ſui aut alius cujusq; causâ non auſit qvicqvã adverſus placitum ejus agere: omnia ſub interminatione ſeverioris ad libitum animadverſionis, ſi contra fiat. breviter ſervum audiens perſonam exiſtimabit, qvæ teneatur agere *ſecundùm & non adverſum* qvicqvam alicujus, ei dominantis, voluntati. Ex priori neceſſitate, qvia, qvod ſecundũ cujusq; voluntatem agimus, ad ejus cõmodum plerumq; ſolet tendere, qvod autem tale agere eſt, ſervire alicui eſſe dicimus, nomen generale ſervi ac ſervitutis videtur deſcendere; potius, qvàm ex eo qvo ſervari captos eſt, juxta Florentini alluſionem (c): ut ex poſteriori, tanqvam manum hominis conſtringente, oppoſitio ſervi ad liberum, ſervitutis ad libertatem. Rem vulgò

(a) l. 4. §. 1. de ſtat. hom. (b) §. 2. J. de jur. perſon.

(c) l. 4. de ſtat. hom.

vulgo notam ulterius explicare non opus est. Tantum reprehendi nolim, qvod in definitione dominii rationis servilis mentionem faciam: utpote qvod relatorum hoc ratio exigat; qvorum utiqve alterius natura, verb. grat. patris, mariti, magistratus, tutoris & similium commodè concipi haud potest, nisi correlati, filii scil. uxoris, subditi, pupilli indicium simul fiat. Prout hoc etiam in casu, nostro in adverso posito, in descriptione scil. servitutis à JCto observatum videmus, *servitutem* definiente, qvâ qvis *dominio* alieno subjicitur. Deniq; ut *familiariter serva* sit persona in qvam dominium personale strictè & in speciè dictum competat, necesse videtur esse: nempe dominium hoc intelligimus in domo, seu in *familia*, specificè qvidem tale, qvod diversum inibi est à maritali ac paternâ potestate: unde adeò & servus & servitus huic dominio opposita familiæ rationem spectare & sub ea concludenda videantur. malui autem familiariter, qvàm familiæ, servam personam dicere: qvod potius familiæ dominum, qvàm de cœtero familiam ipsam, servilis conditio proximè respiciat; nam etsi qvidem propter servitia ipsa domestica inqve usum familiæ servi imprimis solent constituti esse, unde etiam organa seu instrumenta familiaria domini, Philosopho audiunt (a); fieri tamen potest, ut solus cum domino servus familiam constituat, ubi insolentiùs dictum videri posset, servum Domino tantum servientem servitutem familiæ servire; licet eundem familiariter servire aut servam personam esse, non ita videatur dictu absonum: qvia saltem ut pars parti familiæ, & propter hanc familiarem rationem inter se & dominum constitutam servit. ne dicam, qvod ut alia instrumenta sua, servum qvoqve dominus extra familiæ utilitatem, vi tamẽ herilis societatis familiarisq; dominii, in cujus finem servo inqvirere non datum est, usurpare possit.

(a) lib. 1. Eth.

X. Hisce verò ita positis, facile porrò colligere est, qvæ personæ ab hac familiari servili itemq; dominica qvalitate qvô respectu excludendæ, qvæve eidem accensendæ veniant; etsi illæ aliqvæ similitudine qvadam juris accedant, aut hæ etiam dissimilitudine recedere videãtur. *Excludentur tyranni per civitates & eis subjecti* addictissimè licet regnati: nam etsi qvidẽ illorũ, qvoad rigorem, & qvod multum in proprium finem ac usum tendet, qvasi dominica; ho-

rumq; conditio ipsorummet professione servilis est; familiares tamen non sunt: ut adeò rectè videatur redarguere Platonem, Aristoteles (a), regem & dominum familiæ, tyrannidem & magnam domum, non specie sed multitudine tantum differre reputantem. utpote cum aliæ illæ sint veræ societates domesticæ, qvæ sub tyrannica continentur, & unde illa conflata est, in qvibus verè & propriè dominium & servitus, domini ac servi h. e. familiares continentur. unde adeò tyrannicis dominatibus, non ipsa propriè res, sed ejus similitudo qvædam cum Arist. (b) erit tribuenda: dico tyrannicis dominatibus, intellectô, sive unum sive plura sint capita, qvæ in modum tyrannorum civitati dominantur. Si autem tyrannica omnia, multo magis reliqva *civilia imperia & subjectiones* omnes hinc removebuntur, ut & *qvilibet cæteri*, qvi *extra domum* sunt *sociales* dominantes potestates & obseqvia. Similiter, qvia familiarem esse est esse participem qvotidiani familiæ victus, idq; jure domestico h. e. qvatenus de familiari ipsa societate qvisq; est; itemq; qvia servum familiarem esse, est esse familiæ capiti, tanqvam domino, ad strictū, idemq; varium obseqvium obnoxium esse, cum plurimâ privatione propriæ libertatis arbitrii: facile hinc liqvet, excludi ab hac dominica potestate, itemq; servitutis conditione, illam qvoq; potestatem omnem *civilem*, obligationemqve, qvæ inter personas familiis distinctas exactiva præstandi *crediti debitiq; est*, non obstante, qvod sæpius præstatio ejusmodi, in ejus familiæ commodum, cui potestas hæc qvaliscunq; dominans in alterum competit, vergat; qvod operis qvasi servilibus illa sit facienda; qvod stricta deniq; necessitate: dummodò aliqvid eorum deest, qvæ junctim statum familiarem constituunt, v. g. qvod vel in qvotidianum victum usumqve communissimarum domesticarum commoditatum aliqvis non sit receptus; vel qvod habeat plurimam facultatem liberam à nutu atqve arbitrio imperii domestici, licet in uno aut altero fortassis ei teneatur astrictè parere; vel qvod non tam jure domesticô, qvàm qvovis communi aliô, veluti ex singulari pacto certa qvædam familiæ exhibenda ministeria ab eo exigi possint. qvibus igitur probè observatis, etiam ipsi mercenarii, locatores operarum suarum, mandatarii & similes, licet non extra familiæ inservientium, extra tamen familiarium servorum numerum erunt; nec potestas domi-

ni fa-

(a) 1. pol. 1.

(b) 8. Eth. c. 10 3. polit. c. 11.

ni familiæ licet, familiaris tamen ſeu dominium in ipſos erit; ſed alia aliò qvovis ſpecifico nomine deſignanda. id qvod multò magis in reliqvis poteſtate obligationeq; rei creditæ debitæq; obtinebit. atq; hæc excluſio qvidem eſt, à dominio ac ſervitute perſonali proprie dictis, eorum qvi extra familiam ſunt. Eorum qvi intra ſunt, utiq; ſpecialiſſimè dicto dominio eximuntur *uxor & liberi*. per id qvod ſervis hos contingit opponere, & qvod multum à verè ſervili conditione, ſiqvidem rectè ſe habet ſtatus familiaris, ipſi diſtent, majorem multò libertatem jusq; pingvius tum aliàs, tum in ipſa bona familiaria obtinentes, qvàm qvod perſonarum propriè ſervarum eſt; qvæ præter tenuem vitæ ſuſtentationem, vel nihil vel levia qvædam inde ſolent capere. diſtingunt opinor facile hoſce ab illis, qvæ de illorum meliori conditione capp. proximè præcedentibus dicta ſunt amplius.

XI. *Perſonas* qvod attinet *ſervitio familiari accenſendas*, qvarumve reſpectu maximè ſuſtineatur, poteſtatem qvandam eſſe dominium familiare propriè dictum: in his primum planè locum extra omnem ambiguitatem occupant, qvi modò jure gentium receptò ad usq; corporis proprietatem alteris ſubjectæ, ſtrictiſſimæ obligationis, ac minimæ libertatis ob manus, cui ſubditæ ſunt, vim atqve arbitrium, vitam familiarem degunt. Liceat hic, qvia cognoſcendi ratio id videtur exigere, anteqvam de aliis, qvæ ſervitio familiari accenſendæ videntur, perſonis, agatur, de vi poteſtatis dominicæ ſtrictæ, ad tertiam ab initio hujus capitis propoſitam tractationem pertinente, nonnulla intercalare: ſupponendo cum Philoſopho (*a*), ſervum eſſe propriam domini poſſeſſionem, partem rei familiaris & qvoddam animatum ejus organon.

(*a*) *1. polit. 3. add. l. 118. de R. J. Exod. 21. l. 32. l. 27. 40. de petit. her.*

XII. *Vis dominii*, qvatenus ſervitium ad familiarem utilitatem, & primò qvidem dominantis, dirigit, tota dici poterit directiva. partibus tamen conſtans, qvæ ſeparatim conſiderationem videntur mereri, duabus: uſurpativa nimirum, & qvæ hujus munimentum eſt, qvadam coercendi facultate. *Uſurpativa* (libet ex uſurpato jure gentium, à civili plurimùm receptò utramqve paucis deſcribere) utiq; fuit, hodieq; apud complures gentes eſt multum abſolutiſſima amplisſimaq; ac interminata: in tribus autem ferè generalioribus capitibus conſiſtens, in uſurpandis ſc. ſervorum ope-

 ris,

(a) *Herod. lib. 4. & histor. & jus romā. pass. vid. tit. de oper. serv.* (b) *l. 182. de R. J. l. 13. ex qvib causs. maj. §. 3. J. per qv. pers. cuiq; acq. l. 10. §. 1. d. acqvir. rer. dom.* (c) *d. text. §. 1. de his qvi sunt sui vel al. jur. l. 39. d. acqvir. rer. dō. l. 24. de acqv. poss. l. 1. §. 2. & 3. d. stip. serv. l. 62. de V. O. l. 29. de acqv. her.* (d) *t. de pec. l. 4. §. 1. d. man.* (e) *d. l. 4. pr. et §. 1. l. 5. §. 2. de necess. hered.* (f) *l. 2 pr. & §. 2. ad l. aqv.* (g) *t. de serv. expor. & pas.* (h) *t. d. noxa. lib. act.* (i) *l. 24 §. 10. de fideic. libert.*

ris, acqvirendis per eos bonis, & alienandis ipsorum corporibus seu personis. *Operas* leviores pariter ac laboriosissimas, honestas ac foedissimas, sibi aliisqve praestandas, à servis convenire exigi, imò ad theatricas usq; lanienas eos jure destinari, putatum esse, & romanorum & aliarum gentium mores testantur pluribus (*a*). *Bona* deinde qvæcunq; undecunq; iis essent aut obvenirent dominis ipsa qvoq; jura romana adsignant, volentia, ut nihil illi prorsus suum habere possint (*b*). Sed omne qvod habeant aut ad eos perveniat, dominorum fit, iisdemq; acqviratur, ignorantibus etiam & invitis, sive res corporea, sive possessio, sive obligatio aut qvodliber deniq; jus aliud sit (*c*). nisi forte vel peculii concessione vel aliàs conniventibus oculis domini iis aliqvid permittatur (*d*) aut etiam singulari legitima dispositione eis qvomodo proprium aliqvod indulgeatur (*e*). *Corpus* ipsum deniq; sive personam servilem, iisdem moribus, modô cujusq; alius rei familiaris, pecudumve (*f*), licet domino alienare, vendere (*g*), noxæ dedere (*h*) oppignorare (*i*). Nolim nunc omnia qvæ circa hosce tres servorum usurpandorū modos ex multis juris civilis annotationibus adduci possent, huc aggerere, nimis longum enim foret. Tantum obiter notari velim, in tantum absorptam fuisse suppressamqve à dominica potestate jus ac facultas servilium personarum, qvod civilia romanorum jura etiam pro nullis illos haberent (*k*); qvod nullis juris beneficiis ipsi essent participes (*l*); ab officiis omnibus civilibus publicisqve excluderentur (*m*), legatione (*n*) v. g. judiciô, etiam arbitrariô (*o*), testimonio (*p*), Tabellionatu (*q*), tutelâ (*r*); à jure deniq; connubii, cognationis qvoad legitimos effectus (*s*) &c. utut à naturalis tamen juris participatione eâdem nomothetisi adhuc laudentur (*t*) & ex persona domini, aut alio etiam singulari civili indultu per se ad qvædam admittantur liberorum negotia (*u*).

(*k*) *l. 32. 209. de R. J. l. 3. §. 1. de cap. min. l. 59. §. fin. d. condit. & demonstr. l. 20. §. 7. qvi test. fac. poss.* (*l*) *l. 3. de injur. l. 10. l. 20. qvi testa. fac. pos. l. 6. C. d jud.* (*m*) *l. 175. pr. de R. J.* (*n*) *l. fin. de R. J.* (*o*) *l. 12. §. fin. de jud. l. 68. de V S. l. ult. C. d. judic. l. 2. d. arbitr.* (*p*) *l. 11. & auth. seq. C. de testib.* (*q*) *l. 3. C. de tabular.* (*r*) *§. 4. J. qvi testam. tut. dar. poss.* (*s*) *l 3. C. de incest. l. 10. §. 5. de grad.* (*t*) *l. 32. de R. J. §. fin. J. d. J. N. G. & C. §. 10. J. de nupt. l. 14. de O. & A.* (*u*) *l. 38. §. 6. d. V. O. l. 31. de hered. instit. §. 7. de testam. l. 1. C. eod. l. 32. §. 1. de procur. &c.*

XIII. Ri-

XIII. Rigorem *vis coercendi* jure gentium ad usqve necandi potestatem extensum memorat Justinianus hisce (*a*): *apud omnes peraqvè gentes animadvertere possumus dominis in servos vitæ necisq; potestatem fuisse.* nec fortassis apud Romanos stante repub. multam cohibitionem hæc sævitia lege habuit. Mireris, qvod lex Mosaica ipsa circa cædem servorum extiterit indulgentior, qvàm ut parem ipsam existimaret ei, qvæ in libera persona committeretur, dū propter peremptum virgâ castigatoriâ servum, modo unum alterumve diem is supervixisset, ne mulctabatur qvidem dominus; redditur ratio: *qvia sua fuerat pecunia:* & siqvidem sub manibus iracundi domini extingveretur, ut tamen non is homicidii pœnam, sed aliam fortè arbitrariam qvandam lueret (*b*). Cæterum isthæc qvidem arbitrariæ asperitatis facultas romanis sub Impp. paulatim restringi cæpit, cæptâ etiam emendatione sub gentilium dominatu, qvando ex constitutione Antonini (*c*), *qvi sine causa servum suum occiderat, non minus puniri jubebatur, qvam si alienum servum occidisset; imò & major asperitas dominorum ita coercebatur, ut qværentibus illis de sævitia dominorum, & forsan ad asyla fugientibus, ipsi venire juberentur, ita ut in potestatem horum dominorum non reverterentur* (*d*). qvæ res ex lege Constantini pòst ulterius provecta, ita ut etiam *qvi servos peremerant homicidii haberentur rei* (*e*). Nec verò & lege Mosaicâ simpliciter permissionis fuit, ad necem usqve, aut aliàs, sævire nimiùm in servos; sed qvadantenus tolerantiæ: *nam & qvi percusserat servum suum vel ancillam baculô, ut morerentur in manibus ejus, vindicando vindicabatur* (*f*) & porrò de alia sævitia lex ista habebat: *si percusserit qvispiam oculum servi sui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo qvem eruit:* simili observandô, *si dentem excusserit* (*g*). Et omninò mitiorem ad huc manum dominorum reqvirebat illa lex in servos nationis Israeliticæ (*h*). Legem Christianam dominis hic licet ab Apostolo discere, qvi postqvam dederat officium servis, bonitatem similem dominis injuncturus. *Et vos domini*, inqvit, *eadem facite illis, remittentes minas: scientes, qvia & illorum & vester dominus est in cælis; & personarum acceptio non est apud Deum* (*i*). Et iterum (*k*): *Domini qvod justum est & æqvum, servis præstate: scientes qvoniam & vos dominum habetis in cælis.* Officium in hisce inculcatur dominorum erga servos, qvale ex jure verè naturali de-

(*a*) §. 1. J. de his qvi sui vel al. jur.
(*b*) Exod. 21. v. 20. & seqq. Lev. 25. v. 43. 46. 53. &c.
(*c*) §. 2. J. de his qvi sui vel alien. jur.
(*d*) ib.
(*e*) l. in C. de emend. serv.
(*f*) Exod. 21. v. 20.
(*g*) d. c. 21. v. 26. & seqq.
(*h*) Lev. 25. 46
(*i*) Eph. 6. 9.
(*k*) Coloss. 4.

fiderares. Id qvod nec romana æqvitas dereliqvit; qvando dominos exponentes servos suos, ægrotos deserentes, fame ac simili necessitate urgentes, jure suô privat, ipsis servis libertate donatis (a). Aristoteles herilem societatem naturaliter utriusq; utilitatis causâ, adeòq; & in servi commodum constitutam, judicat, oportere esse (b). De multis pro libertate favoribus in abolitionem servitutis dictum est supra cap. de libertate. taceo peculiarem dispositionem in repub. Hebræorum circa servos Israelitas reluendos, & ad annum jubilæum dimittendos ex servitute (c). Cujus qvidem humanitatem hodiè plurimorum Christianorum mores superare nitentes, penè in indignis cæperunt æstimare, antiqvô illô gentium jure servos habere amplius. utut lege primævâ Christianâ eò qvidem res non fuit producta: qvin disertè potiùs in ea legere fit (d): *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, &c.* Sufficiat, dominii vim, qvatenus strictiorem respicit servitutem hisce breviter recensuisse; restat paucis perstringendum, qvatum ulterius personarum conditio ad servilem rationem accedat, qvod filum ante abrumpebamus.

(a) l. 2. & 3. C. de infant. expo. l. 24. C. de Episc. aud. l. 2. qui fine man. ad lib. l. un § 3 4. d. latin. lib. toll. (b) 1. poli. (c) d. c. Lev. 25 & c. 15. Deut. (d) Eph. 6. 5. & seqq. Col. 3. 22

XIV. Et certè non parum personarum est, qvæ, utut non tàm addictæ sint servitutis, qvalis illa vulgata juris gentium est; alicujus tamen omninò sunt ejusdemq; non parvæ, ita tamen ut aliarum conditio magis, aliarum minus ad strictissimum illud servitium accedat. Eqvidem in proximis, opinor, addictissimæ illi servituti, eorum fuit conditio, qvi in Repub. romana *coloni* itemq; inqvilini, originarii, *adscriptitii*, censiti &c. appellabantur (e); qvi qvidem prædiis colendis dominisq; prædiorum ita astringebantur, ut avelli inde non possent, eòq; in ipsis etiam Reip. legibus servili notâ notabantur. *Qvæ enim differentia* audet loqvi Justinianus (f), *inter servos & adscriptitios intelligatur, cum uterq; in domini sui potestate sit positus, & possit servum cum peculio manumittere, & adscriptitium cum terra dominio suo expellere.* alii qvendam horum qvasi mixtum statum describebant (g): *Licet conditione videantur ingenui, servi tamen terræ ipsius, cui nati sunt, existimentur,* & qvæ seqvuntur. & porrò de necessitate adhærendi terris qvibus adscripti semel erant (h); *lex à majoribus constituta colonos qvodam æternitatis jure detineat, nullus omninò colono-*

(e) l. 6. 7. 11. 13. 18. 23. 24. C. de agric. & cēsit. (f) l. 21. d. t. (g) l. un. C. de col. Thracens. (h) l. un. C. de colon. palest. add. l. un C. d. colon. Illyr.

bonorum suo jure velut vagus ac liber exultet, sed domino fundi teneatur, &c. Similia toties repetũtur ab aliis (*a*), cũ hisce additamentis, ut & liberi statum paternæ conditionis agnoscant, partû, ut aliàs in servis receptum est, ventrem seqvente, qvoad conditionem (*b*), in tantum, ut ne triginta qvidam annorum usurpatione libertatem præscribant, si modò pater aut alius ex eorum cognatione fundo inhæserit (*c*). sed nec honores statusq; aliàs privilegiati eos ab hac conditione liberant (*d*). qvomodo cum possessionibus hi homines à dominis potuerunt vendi, qvomodò non permissi fuerint dominos temere accusare, peculia sua, aut qvicqvam ex possessionibus, invitô domino alienare, aut aliud præjudicium imponere: & si qvæ fuerunt alia, qvibus ad servilem conditionẽ hi appropinqvabant, pluribus, siqvidem id ageretur, notari circa hosce posset. Similes a. hisce & forte in multis locis iidẽ specie sunt, qvi ex rusticanâ nostrâ plebe dominis fundisq; addictiores, *homines proprii* nostris appellari consveverunt. & fortassis omnis illa rusticana gens, qvæ ratione agrorum qvos incolit, dominis sua vel stata vel etiam arbitraria servitia præstare tenetur, ab hac conditione non penitùs immunis debet judicari; qvamvis alii aliis laxiori nexu attineantur. nempè omnes hi & familiarium bonorum jugiter participant, & familiæ ejusq; domino multùm addictô servitiô obstricti sunt. Reliqviæ antiqvæ servitutis dominiiq; hæsisse qvoq; videntur in jure patronatus, dum, sicuti ante dominis, ita patronis qvoq; honorem, reverentiam, obseqvium *liberti* debebant (*e*), facile ob ingratitudinem in veram servitutem retrahendi (*f*). ad operas, si non ex conventione fabriles, qvod tamen commune erat, saltem ad officiales naturâ tenebantur (*g*). & multum deniq; in bonis libertorum spei multumq; subsidii habebant patroni, alimenta in casu indigentiæ inde deposcentes (*h*), & præ extraneis in hæreditate jus successionis obtinentes (*i*).

XV. Porrò verô & ad servilem qvandam conditionem accedere videntur qvævis *domestica ministeria*. voco domestica ministeria, omnes illas personas, qvi nostris moribus, qvibus ferè servis propriè dictis destituimur, *tanqvam familiares ad familiaria ministeria* sive definitâ sive indefinitâ *conventione vel qvasi obstricti sunt*. Dico *tanqvam* *fami-*

(*a*) l. 6. 8. 11. 13. 19. & c. d. agr. (*b*) d. l. 11. 16. 21 & 24. eod. (*c*) l. 22. § 1. eod. (*d*) l. 11. 19. eod

(*e*) l. 1. 2. 9. & t. t. ff. l. 4. & t. t. C. de obs. parent. & patr. præst. (*f*) § 1. J. d. cap. min. l. 2. 4. C. d. lib. & eor. lib. add l. 28. § 8. de pœn. (*g*) l. 26. § 12. d. condict. indeb. l. 6. 9. et t. t. de op. lib. (*h*) l. 1. C. de oper. lib. l. fin. l. 5. § 18. & seqq de agn. & al. lib. (*i*) § 3. & t. t. J. de success. lib. l. 4. C. & t. t. ff. & C. d. bõ. lib. l. 1. 2. & t. t. ff. & C. qvæ in fraud. patron. fact.

familiares, nam ut ante qvoq; memini, aliqvi familiæ qvidem possunt obstricti esse, ut servitia aut operas ei præstent, qvi tamen non habentur ut personæ de familia aut familiæ peculiariter addictæ, veluti mercenarii. locatores operarum suarum. Deinde etiam ut verè servilis conditionis imago subsit, reqviri videtur, ut *ad familiaria ministeria* à domino jure applicari possint ministri; ex qvo igitur seqvitur illud, qvod qvi apud magnates ministri status sunt, ut Consiliarii, Cancellarii, & alii hujusmodi, non possint propriè servis domesticis accenseri, & multo minus, qvi magistratus, præfecti ditionum ac judiciorum sunt, aliaq; publica curant; utpote, qvod omnes, hi superiori non ut capiti familiæ sed ut gubernatori reip. subditi, ac ministri sint. Propinqviores verò eidem qvalitati videntur esse cæteri magnatum ministri, peculiariter ipsorum voluptati, recreationibus necessitatibusq; domesticis inservientes; nisi forte principalem domum officinam publici regiminis æstimantes, & hujus capiti servire, esse reipub. servire, autumantes, à servili isthoc schemate emergere & ipsi nitantur: servilis status typô solis privatorum familiaribus ministris relictô. De qvibus tamen & ipsis fortassis notari erit; alios longè propinqviori gradu pristinæ servituti stare, alios recedere isthinc longius: dum longè strictior eorum servitus est, qvi ad nutum qvasi domini, ad qvævis ministeria tenentur stare parati, flagra insuper & alapas expectantes, si qvidem domino ita castigare declinationes ipsorum libet; qvam illorum, qvi forte ad aliqva, aut aliqvod certum servitii genus domino familiæ se obstrinxere, & à domino vicissim multùm liberaliter sunt habendi. Sanè, qvia per *conventionem* hujusmodi nostratium hodierna ministeria omnia ferè constituuntur, conventione autem consensuq; proprio homines haud temerè cujusqvam omnigenæ potestati se soleant subdere, utiqve priscam illam addictissimam servitutem in hisce non facile expectemus; qvin ex ipsô potius per conventionem ei datô modô multimodè varia, etiam amplissimâ sæpius cum libertate conjuncta, videre erit nostra hæc hodierna familiaris ministerii servitus. Hactenus de potestate atq; officio per familiam.

CAP.

CAPUT IX.

De potestate per vitam socialem Imperante.

I. Qvacunq; est rationalis vita sive natura, socialis est. Cùm universim.

II. Tum per partes.

III. Cujuslibet societatis est, potestatem qvandam sibi habere, sui directricem liberam:

IV. Commensurandam potissimum ex cujusq; societatis & Fine;

V. Et subjectô, tum eô, cui iste finis est applicandus:

VI. Tum eô, qvod ad illum est dirigendum; Personis scil.

VII. Rebusq; subjectis.

VIII. Est hoc sociale κῦρον in humanis societatibus omnibus, cum aliqvâ, & restrictione & liberâ disponendi competentiâ.

IX. Penes qvem qvosve sociorum idipsum residere conveniat?

X. Utrum de natura sociali sit, utcunq; certis ex communitate id commissum sit, residere tamen idem apud communitatem sociorum & ab illa dependere.

XI. Pluribus commissa hæc potestas exercitii exitum habet per consensum majoris partis.

XII. Id qvod in communione, qva minus socialis rationis habet, non ita perpetuum est.

XIII. Qvem exitum habeat votorum paritas?

XIV. Est per omnes societates potestati huic imperandi vis exeqvutiva aliqva:

XV. Conjuncta cum qvodam officio Imperantium.

XVI. Est hac absolutissima per eam societatem, qva universalissima est:

XVII. Et si qva sunt particulares, qvibus prasidet particulari modô eadem.

XVIII. Humanitùs absoluta potestatis prima hujus natura species, Majestas Rerumpub. est.

XIX. Hujus subjectum persona sunt resq; per civitatem omnes:

XX. Usqveqvò limites non habet positos ab superiore divinâ auctoritate.

XXI. Cujus qvidem lege limitatur ac restringitur, tum directò;

XXII. Tum per conseqventiam concessa subjectis libertatis.

XXIII. Qvid juris competat subditis pro defensione libertatis sua, si imperium excedat limites?

XXIV. Majestas potestas absoluta est, respectu subjectorum, qvoad horum poscendum dirigendumq; officium.

XXV. Utrum Majestas Imperantium omnis sit dependens à populo subditô, eidemq;, qvatenus his concessa est, obnoxia?

XXVI. De subjecto Majestatis inhasivo, seu Imperante.

XXVII. Qva Majestatica virtutis potissima?

XXVIII. Per exempla deducta Reipub. Romana.

XXIX. Itemq; antiqvissima Hebraorum.

XXX. De ratione socialis αὐτοκρατίας per reliqvas civilis vita societates.

I.

QVæcunqve personarum in personas resq; potestas est, vel princeps est vel vicaria vel ex his naturæ mixtæ. Principalem seu principem appello, & divinam, & eam hominum potestatem, qvam qvisqve divinæ dispositione legis ita sibi immediatè propriam concessam munitamqve tenet, ut sibi illam, non verò alteri, sive in vicem aut ministerium alterius hominis eam exercere habeat. Vicariam verò dico, qvæ continuè ab humanâ dependet auctoritate ac arbitrio, inqve vicem ac ministerium

rium hominis alterius exercetur. Mixta erit, qvæ participat de natura utriusqve, de qvibus tertio ab hinc cap. paulo uberius. Principalis personarum in personas directa potestas, vel *imperans* est sive prædominans per societates, vel crediti, h. e. cujusqve à qvolibet exigendi sibi debiti. De hac in post seqventibus, de illa nunc in hisce qvædam erunt subnotanda. Ut autem de ipsa hac per societates omnis generis vitamve socialem imperante potestate, ejusdemq; natura eò rectius constare qveat, forsan non abs re erit, paucis in limine pervidere, qvomodò *rationalis vita* omnis (nolim me nunc demittere ad brutam insensibilemq; naturam, utut multimodè & ipsa cujusdam sociæ rationis particeps est) penitissimè sit *socialis*, sive universam intuearis, sive per partes ejus discurras. Universalissimè certè *Deo* & omnibus ejus *creaturis rationalibus bonis*, amabilissima simul atq; deditissima est socialis conjunctio, utpote, cùm illa universitati huic intercedere animadvertas, qvæ certissimæ notæ sunt, (prout nos qvidem accipere solemus) societatis, nempe, regimen commune universale, & in commune bonum ab omni parte perpetuata conspiratio. De regimine illo majestateq; divina regnante per hanc universalissimam universitatem qvædam subnotabuntur inferius (*a*). unde simul ejus *esse tale* non potest non esse probatissimum. qvod autem conspirent omnia hujus membra jugiter in bonum mutuum, nemo ambiget, qvi callet, qvantoperè Deus ter Opt. Max. caput hujus consortii vel ab æterno nos dilexit, ut nempe etiam filium suum unigenitum pro nostra salute in mortem daret. imò qvi tantam nostri curam gerat, ut ne capillus de capite citra ejus cadat voluntatem: cui similiter indubitatum est, sanctós angelos suam in beatissimô statu suô conservationem Deo acceptam habere ferendam. Et vicissim tum hos, tum homines pios unicè gloriam DEI qværere, ac invicem gaudere mutuò alteros si bene sit alteris, imò juvari curâ maxima ab ipsis sanctis spiritibus homines. Sacra oracula, ad captum usumq; hominum loqventia, modò filiali ac paternæ, modò conjugali, jam dominicæ ac servili, nunc ipsi politicæ, aliisq; communis vitæ societatibus hanc qvalem conjunctionem comparant (*b*). Dixi autem *rationalibus* iisdemqve *bonis* creaturis hoc ipsum accidere, qvod univer-

(*a*) n. 16.

(*b*) Job. 1. 6. Ps. 89. 7. 1. Johã. 1. 12. Deut. 32. 6. Cantic. Cãticor. Jer. 54. 5. Philip. 3. 20. Ps. 82. 7. & passim.

ſim cum ipſo etiam Deo in ſociali qvadam ratione conſtituti ſint, qvò nempe comprehenderem & angelos & pios Dei homines, tum animâ ſolùm, tum corpore ſimul viventes; excluderem autem primò irrationalia omnia, qvando cum hiſce ne hominibus qvidem temerè ſocium qvid intelligatur intercedere, ob nimiam utriusq; naturæ diſcrepantiam, nedum ut ſublimiori cuidam naturæ hoc qvali ſociali reſpectu conjũcta cõmodè dici qveant. Unde adeò etiam hîc obiter caſum notare licet, ubi dominii atqve ſubjectionis relatio ſocietatem non inferat. Deinde enim ut & malignam naturam hinc removerem, cujusmodi Diabolica eſt. Namqve vel eadem qvoqve hæc ratio, qvæ naturæ irrationali, cum Deo, angelis, hominibusqve collatæ, ſocietatis rationem adimit, nimia videl. ab utrâqve parte naturæ diſtantia, videtur evincere, nec hisdem, donec in poſſibili bonitatis ſtatu perſiſtunt, cum Diabolis ſocietatis qvicqvam poſſe intercedere. Qvippe Deus ſummè bonus; boni qvoq; ſancti angeli: Et qvamvis ægrè, tuetur tamen & homo divinô ſublevatus auxiliô ſanctâqve inveſtitus gratiâ ſuam ſibi aliqvam bonitatem. Aſt creaturarum omnium ſummè malus eſt dæmon, in tantum in hoc extremo poſitus, ut non tantum ipſe totus malignus & in malum ſemper ſit propenſus, ſed ut etiam hoſtis ſit ac adverſarius ſummus Deo bono maximo, ac omni illi, qvod hujus bonitas benignè complectitur; prout hoc evincunt teſtimonia irrefragabilis veritatis qvàm plurima, & tot tantaqve maligni hujus ſpiritus maximè maligna opera. Et verò tantum abeſt, ut ipſum inter ac rationalem bonam naturam, ſecundùm noſtrum loqvendi hujusq; vocis accipiendi modum, ſocietas intercedere poſſit, qvod vel inter ipſos homines ſocietates conſtitutas eadem ratio turbare, imò tollere ſoleat. prout hoc conteſtantur tot humanarum ſocietatum ex tali fonte emergentes ſeditioſæ disjectiones. Hinc porrò ex ſimili ratione etiam homines impios, & per impietatem extra gratiam DEI conſtitutos, ab univerſaliſſimâ illâ, qvæ rationalem probam naturam intercedit, ſocietate, ad extremum abſciſſos foredicas, ubi vel nunc vel olim cum Diabolo ad gehennam mittentur. Qvapropter apparere exiſtimem, ſi qva univerſaliſſima ſocietas, qvæ Deum & rationales creaturas intercedat, ſtatuatur, de bo-

nis

nis hisce tantum propriè id intelligendum esse. Nec refert, qvod herilis qvoqve servilisqve conjunctio mutuusqve respectus, philosophis moralibus societas audiat (a); videatur autem si non alius, saltem hic inter Deum & Dæmonem respectus intercedere. qvippe adversum hoc notare licet, etiam Philosophis, pro fundando societatis jure statuqve, ut alibi, ita hic qvoqve fundamenti locô collocari aliqvod mutuum commodum, in qvod mutuò utrinq; inclinetur agaturqve. Hoc verò qvale inter Deum & Dæmonem, aut etiam inter hunc hominesqve, si fortè socialem qvandam conservitii rationem hic qvoq; velis fingere, intercedere possit, non facile liqvet. Neq; enim Dæmon Dei aut hominis ullum curat bonum; qvin potius illius gloriæ extremè adversatur, & hujus extremum exitium immensô iniqvitatis Zelô qværit ac operatur. Nec vicissim hujus bonum qværit Deus, utpote qvem jam judicavit, nec nos qværere possumus, qvi eum à Deo judicatum scimus. Et ut porrò circa objectionem hanc, qvasi tamen herilis ac servilis qvædam societas hîc daretur, dicam; dubitaret fortè aliqvis, an etiam domini ac servi conjunctio inter homines commodè satis societas possit dici, ubi ita illa sese habet, ut neutiqvam commune, sed forsan alterius tantùm aut etiam nullius ab altero bonum qværatur: qvippe & Philosophi, ut modò dicebatur, illud qvidem suæ naturali servituti accidere supponunt; eoqve aliam herilem-servilem societatem, qvam in qva saltem qvandantenus commune commodum utrinqve qværatur ipsi non norunt. & qvia, qvæ ex jure gentium rigidior servitus est, minus à parte servi ejus particeps solet esse, vel ipsi huic herili-servili conjunctioni haud temerè societatis rationem tribui audias. Verùm utut hæc ita sint: fortassis tamen admitteres, sicut addictissimæ subjectionis servi, etiam ii, qvi vel ideò fortè familiæ tantum serventur, ut ipsius voluptati in necem usqve propriam inserviant, nedum qvi ut operas præstent vel familiæ, vel in usum familiæ, familiæ domino; sicut inqvam hi, licet non socii familiæ, aliqvid tamen societatis familiaris sunt; sicut etiam, lictores & carnifices, licet non propriè cives aut civiles socii, aliqvid tamen civilis societatis sunt: sicut cujuscunqve societatis commercialis mercenarii operatores, non socii, sed ipsius ta-

(a) Arist. 1. polit.

men cujusqve talis societatis aliqvid sunt; sicut deniq; ipsa res qvælibet familiaris animata & inanimata, bona civitatis publica, naves, tabernæ & qvælibet suppellex, licet in familiari, civili, mercimoniali societate, rationem non habeat socialem, harum verò societatum aliqvid sunt; utiqve, inqvam, eôdem modô fortassis, licet non socium ei societati qvæ DEO cum rationalibus creaturis intercedit, Dæmonum hominumq; improborum gregem propriè possis dicere, aliqvid tamen forte ejusdem universalissimæ societatis eosdem dixeris esse, ejusdemqve ad universale ministerium, juxta arbitrium ipsiusmet capitis ordinandum pertinere. Sed habeant hæc sese ut possint, etiamsi hoc modo ad societatem universalissimam qvæ Deum & rationalem naturam intercedit, natura qvoqve rationalis malignans pertineat, manebit tamen per antedicta, hanc nunqvam illi verè sociam esse. Eoq; hâc neglectâ, id solū modò constare volupe est, universam rationalem bonam naturam universim sibi existere sociam.

II. Qvantùm autem porrò eadem rationalis natura, per partes suas particulatim etiam socialis conjunctionis sit amans, opinor, in admirationem rapere potest oculos paulò laxius circumjicientem, eosdemqve levantem primùm supra sese ad æternum omnis boni ordinis consociationisqve auctorem, &, qvi proximè eum circumstant, ipsi administratorios spiritus. ubi & ipsam in una Deitate personarum trinitatem omnium arctissimâ unione sociatam socialiterqve unitam, (liceat de divinis humaniter loqvi,) cernit. ubi hierarchias edocetur sanctorum angelorum, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates, Archangelos, Cherubim, Seraphim &c. *(a)* Imò & hærebit deinde vel saltem juxta sese homo circumspiciens, vidensqve, primò, totum humanum genus communi constare sangvine, idemqve ubicunqve modo natura depravationem non patitur nimiam, ad mutuum subsidium, ad amicabilem cohabitationem propensum esse: porrò verò spectans, & hanc hominum universitatem in diversas coalescere societates sibi sufficientes, majores & maximas civitatum ac gentium, hasdemq; singulas iterum qvasi ad extrà fœderum vinculô aliis societatibus solere sociari, & intùs innumeras qvoqve alias societatum species com-

(a) Rom. 8.38 Eph. 1.21. Col. 1.16. Dan. 10.13 1. Theff. 4. 16. Gen. 3.24. Ez. 10. Es. 6.2.

complecti, majorum medioximorum minimorumqve corporum: puta provincias, diæceses, ditiones, urbes, municipia, oppida, vicos, pagos, familias. Qvæ & ipsæ iterum suas teneant inclusas societates varias, v. g. conjugalem, herilem, patriam, mercatorum, operariorum, & omnigenæ negotiationis sociorum; universitates, corpora, collegia (qvæ appellantur) à pari usqve hominum ad magnam personarum multitudinem numero ascendentia. Et hæc igitur cernenti extra dubium, opinor, futurum, omnem rationalem bonam naturam etiam per partes, in bonum, qvod hisce commune aliqvod est, socialem esse. negligo autem nunc iterum, nec veræ sociali rationi accenseo eam, qvę malignantis naturæ mala conjunctio est v. g. Monarchiam Dæmonum (a), & si qvæ inter homines societatis nomen mentiri solet scelerata unio alia, conspirationis, factionis, conciliabili, aut simili potius, qvàm societatis titulô digna; qvia nimirum id qvod qværimus hic ac describere intendimus, socialem videl. potestatem, qvæ legitima justaqve facultas est, non nisi in bonis, justis, legitimisqve societatibus licebit reperire.

(a) Apoc. 12. Matt. 12. 24. c. 25. 41. Luc. 11. 11. Eph. 6. 12. c. 2. 2.

III. Atqve positâ qvidem hoc modô omni bonâ rationali natura sociali, haud difficulter porrò perspectu probatuqve est, omnem istiusmodi societatem *habere ex sese* qvandam, qvam qvidem nos nunc qværimus, & socialem dicimus, *potestatem sui rectricem* eamqve *liberam propriamq;*, qvæ instar animæ corpus societatis ejusqve membra ad communem omnium atq; singulorum competens bonum finemqve regat atq; dirigat: cuive ipsa hæc omnia, & corpus scil. totum & membra pro hoc fine subjecta sint ac parere necesse habeant, siqvidem benè sese habere debeat societas. Et primò qvidem, uti omninò *habeat* potestatem ejusmodi directricem qvælibet societas, cui qvidem humana mundanaq; interveniunt, prorsus necessarium est; tum per ipsam humanam conditionem, tum per rerum mundanarum mutabilitatem. per humanam conditionem; qvia per fragilitatem itemq; rebellem singulorum affectum, citra ejusmodi directricem auctoritatem fieri omninò non potest, ut non magis sua qvisqve curet, qvàm qvæ communia aut sociorum sunt; qvod tamen è converso ut fiat, & uti qvisqve ita sua cu-

ret,

ret, ne vel toti communitati vel membris ejusdem injurius sit; utiqve de natura ac necessitate cujusqve legitimæ societatis est. Propter ipsam verò rerum mutabilitatem, qvia hâc efficitur, uti qvæ nunc benè ordinata existunt, aliò tempore possint esse non talia, utiqve omnis societas vel ideò facultate ordinatrice perpetuò indiget, uti saltem habeat in promptu, qvò, qvæ natura semper novis deproperat edere formis, ordinem societati commodum sortiri qveant, eidem aliàs, siqvidem citra hunc, novamq; continuò coordinationem essent, incommodum exitiumq; allatura. Id qvod viri civiles etiam communiter agnoscunt, qvandò de iis, qvæ inopinatò, qvæ casu, qvæ singulis personis aut negotiis per societatem (civilem) accidere possunt, jura non posse constitui perpetua sed eadem constitutione, interpretatione, jurisdictione præsidentium oportere suppleri judicant (*a*), eôqve ipsô præsidium præsidentemqve potestatem societati ut utilem necessariamqve præsupponunt. Ut autem potestatem hanc directricem ex sese *propriam* qvandam habeant qvælibet societates, ipsa earundem videtur reqvirere integritas, cum fieri non possit, ut aliqvis numerus hominum aliunde per omnia regatur, & tamen in sese verè socius sit, qvid enim socialis vitæ haberet in sese, nullô arbitriô suô cohærere, nullô propriô qvasi spiritu moveri. qvin, aut cum illô, à qvo ita dirigitur, demum integram societatem constituet, aut eidem prorsus servilis obseqvii est. qvorum utrumqve, ne qva personarum multitudo per se societas sit, impedit. cùm qvod cum altero demum aliqvid tale fit, e. g. anima aut corpus solum, ipsum nondum tale est, putà homo. qvid autem & de merâ servilitate sentiendum sit, paulò ante qvoq; est dictum. Unde adeô & illud per se fluit ulterius, qvia etiam propria qvædã nec serva penitus debet esse illa qvædã socialis potestas, eandem *liberam* qvoqve oportere esse. Constabit autem de utrâqve hac, positæ hujus per societatem imperantis directricis potestatis, qvalitate, qvâ libera, qvâ propria cuiqve societati qvædam illa est, planiùs, ubi præmissis, qvæ præter hæc de potestate hac generaliter subnotanda videbuntur, per nonnullas hujus generis species qvoqve fuerit in pôst seqventibus itum. In generalibus autem istis consideranda erunt, tum finis, tum subjectum, unde hæc

(*a*) l. 3. 4. 8. 11. 12. 13. d. ll.

hæc poteſtas commenſuretur, qvomodo omnis partim reſtrictæ, partim liberæ ſit diſpoſitionis, penes qvos ex communitate eam reſidere competat, qvale ejus, cum qvali vi exeqvutivâ officium.

IV. Finem qvod attinet, ille qvidem alius, qvàm qvi ſocietati eſt, ipſi ſocietatis architectonicæ ac directrici poteſtati eſſe neqvit; qvia igitur omnis probè conſtitutæ ſocietatis finis bonum ſociale ſive commune eſt, utiq; & huic poteſtati finis directionis bonũ commune erit. Et qvando porrò bonũ cuiqve ſocietati commune, qvatenus id ſociis verè bonum eſt, h. e. qvatenus id ſingulis ex ſocietate applicandum venit, non ſemper æqvale omnibus exiſtit, ſed pro ratione, qvam qvælibet ſocietas fert, modò æqvale modò inæqvale, ſive, ut loqvuntur, jam ſimpliciter ſeu arithmeticâ, jam geometricâ proportione æqvale, ut verbo dicam; illud eſt, qvod cuiqve ex ea ſocietate ſuum qvodvis competens eſt; ſeqvitur igitur huic poteſtati directrici idem qvoqve eſſe tale loco finis, & porrò, eandem hujus boni competentisqve metis qvaſi circumſcribi, probèqve etiam peractam exercitamqve ipſam futuram, ſiqvidem vel is ſcopus penitiſſimè ab ea pertingatur, vel qvantum fieri poteſt, proximè juxtà collimetur. hæc bonitas, hæc menſura qvædam prima eſt illius ſocialis poteſtatis. Ex qvibus facilè ulterius ſumere licet judicium; qvod, ſi qvidem vel planè non exerceatur eadem poteſtas, vel ita exerceatur, ut non cuiqve ſuum qvodvis bonum per eam tribuatur; imò fortè neglectis ſociis omne bonum ad unum ſociorum paucosqve ex iis rapiatur; imò vel inſuper etiam damno mactentur reliqvi; eandem ſanè, cum ipſa hâc tali modò habitâ inſtitutaq; ſocietate [prout de hâc etiam JCtis noſtris id obſervatur, in qvadam ſpecie(*a*), & Ariſtotelem in aliis attendiſſe, videre eſt (*b*),] ſpeciem ſuam, qvâ qvidem verè ſocialis ſit, neceſſariò perdere inqve aliud qvodvis potentiæ & genus & nomen potius abire. Conſeqvens verò hiſce porrò eſt, ſiqvidem de poteſtate cujusqve ſocietatis directrice in ſpecie qvisqvam rectius judicare velit, operæ pretium ſemper futurum, finem cujusqve talis ſocietatis, de cujus poteſtate tali qværitur, in conſpectu habere. Neqve verò etiam omnibus iſtis ſocietatibus idem aut æqvalis amplitudinis is eſt: dum alia v. g. civilis, qvæ in ſpecie dicitur, cujusqve forma

(*a*) *l. 29. §. 2. pro ſocio.*
(*b*) *lib. 1. & 3. polit.*

respub. communiter audit, rerum omnium, qvibus humana vita indiget, copiam propositam habet, qvò proinde non res modò ad annonam aut victum societati parandæ pertinent, sed & securitas, tum toti societati, tum cuiqve in ea, ab injuria tam internâ qvàm externâ, sed & commoditates cuiq; pro dignatione suâ competentes aliæ. aliis verò societatibus bonum minus amplum, aliis etiam certum ac in specie strictissime determinatum solet esse præfixum: veluti familiaribus, cum rei familiaris augmentatione, honesta sustentatio; τῇ συμμαχικῇ defensio contra vim hostilem; lucrum pecuniarum mercatoriæ, aliis alia. Sed nec finem tantummodò ultimum societatis, verùm & intermedios, ipsaqve adeo ad isthunc media qvoqve probè intuebitur de potestate hacce sociali rectè judicaturus; inde planè perspecturus, an etiam inter vias legitima illa maneat; neqve enim dici potest legitimè exerceri illa potestas, qvæ ad finem qvidem legitimum actus ipsos facit tendere; idipsum autem facit per media illegitima. Imò pone, qvod in medio à justo aberret socialis hæc potestas, utiqve eô ipsô qvod in hoc aberrat, in finem universalem societatis, qvi id, qvod cuiqve ex ea societate suum est, existit, impingit, qvia nempè aliqvid alicui injuriâ tribuit non suum.

V. Alterum, unde gubernatrix hæcce cujuslibet societatis potestas, suam qvandam qvasi perpetuam mensuram, non minus atqve ex fine mutuare habet, ipsum videtur esse cujusqve societatis subjectum: idqve duplex; unum nempè, qvod ad dictum competentię finem est dirigendum; alterum, cui per eandem directionem idem ille finis venit applicandus. sub posteriori respectu, sine dubio in hoc collocandæ erunt primô locô (nescio an etiam solæ) ipsæ, qvas societas complectitur, personæ; qvia nimirum hæ sunt, qvæ finis felicitatisqve hujus obtinendæ causa in societatem qvalemvis illam coiverunt, qvæve ejusdem causâ potestatem illam sibi adoptarunt. Ubi qvidem videtur hoc circa notandum, corpus personarum societati subjectarum, qvatenus potestatem hanc respicit, expectans ab ea directionem, qva cuiqve suum sibi competens tribuatur, latius videri accipiendum esse, atqve à politicis id solet qvandoq; accipi, qvandò civilis societatis socios eos ferè tantùm

tàm agnoſcût, qvi fortè in aliqva aut oligarchiâ, aut democratiâ, jus comitiorum h. e. facultatem de ſumma rei ſimul ſtatuendi habent. Scilicet rectè illi qvidem, qvatenus ſocietas illa in communione imperii conſiſtit: minus rectè verò; qvatenus communionem univerſæ competentiæ, civilis hæc aut alia perſonarum conſociatio reſpicit: neqve enim qvi tantum gubernant, unus, pauci, pluresve, ſunt, qvi felicitatem ſibi competentem ex ſocietate, cui vel ipſi ſe immiſerunt, vel per naturam immiſſi ſunt, expectant, ſed & qvi ſubjecti, poteſtatiqve gubernatrici in ea ſolùm ſubditi ſunt: res manifeſta eſt in ſocietatibus domeſticis, ubi æqvè uxor, liberi, ſervi, ſuum ex familiari ſocietate bonum expectant, qvàm familiæ dominus; qvidni igitur, ob parem rationem, idem qvoqve de civili aliâqve ſocietate, qvoad ſubjectos dicendum foret? Unde igitur haud dubitandum exiſtimem, poteſtatem hanc cujusqve ſocietatis regimini præſidentem, pro objecto, cui ſua ex illa competentia tribuenda ſint, perſonas & imperantes & ſubjectas habere omnes: eoqve illi congruere, liberè curare, ut non tantum illi, ſed & hi, qvod ſibi debetur ſuum obtineant. v. g. in mercatoria, ut non tantum verè ſocii ſuam provenientis lucri partem nanciſcantur; ſed ut etiam miniſtri ſocietatis ſuam habeant mercedem; in domeſtica, ut qvivis ex familia; in civili, ut omnis, qvæ ſub ea continetur, anima, ſuum conſeqvatur. Qvâ qvidem in re multum notabilem exiſtimem ipſam civilium legum, poteſtatisqve, qvæ hiſce præſidet, perqve haſce ipſum civitatis ſubjectum gubernat, curam; qvando ad usqve ſervos familiarum, abjectiſſimos in hac ſocietate homines, & minimè omnium, ſi qvi in civitate contenti ſunt tales, ſociis civitatis annumerandos, ipſa deſcendit. diſponens v. g. ne ſævè nimiùm tractentur à dominis (a) ut alimonia ipſis præſtetur (b) ut multa beneficiorum alia ipſis & competentia ſint ac tribuantur (c). Non dijudico nunc, an hæc civili poteſtati competens cura ſit ex ſeſe, an verò, qvatenus illa ſubordinata & qvaſi ſubadminiſtra ſocietatis univerſalioris qvæ Dei & humanitatis eſt, exiſtat; tantùm obſervo, illi hanc competere, etiam civilis prudentiæ cultoribus apparere. Qvin ulterius extenſivâ qvadam ratione, non tantum ſocietati alicui ſive immediatè ſive mediatè ſubjectæ perſonæ, qvo-

(a) l. 2. de his qvi ſui vel al. jur. (b) l. 24. C de Epiſcop. aud. l. 2. & 3. C de infant. expoſ. (c) t. t. ff. & C. d. manumiſſionib.

 ad

ad hunc effectum, ut suum à societati subjectis accipiant, huic potestati objacere videntur; sed & alii: sive & hoc communis humanitatis ratio ab ea exigat, sive ipsa ipsius societatis hujus boni pro indiviso communis conservandi causa id reqvirat; veluti, honor gentis, amicitia externorum, ob commerciorum facilitatem conservanda ac simile. qvò itidem pertinent, qvæ plurima in civitatibus de competentiis peregrinorum, deqve officiis iis exhibendis sæpius sancita extant. item ubi haud rarò contingere videmus, magistratus civiles aliorumqve societatum præsides hoc sibi sumere, qvod suos cogant, ut illis qvibuscunqve extraneis, id qvod ab iisdem ipsis competit, exhibeant. Atqve hôc qvidem modô latissimum igitur est objectum hujus potestatis, sub respectu nimirum *cui* ut suum tribuatur illa curare habet. persistit autem hactenus illa qvidē in personis: Rebus enim qvæ præter sunt, qvomodò qvid suum tribuere habeamus, extra respectum personarum scil. non satis liqvet; nisi fortè crudelitatem tormentorum extra usum hominis ab animalibus qvadantenus eadem hæc ratio qvoqve avertat, juxta legem illam à Talmudicis, in legibus gentium latis Noachidis recensitam: *Ne tollatur membrum de animali vivente.*

VI. In subjectis; qvæ dirigit præsidens societati potestas, qvandò per modum mediumqve nomotheticum illa agit, præscribendo, imperando, vetando, permittendo, qvæ fieri aut non fieri oporteat, eadem erunt, qvæ legi sunt objecta directiva, actiones nimirum humanæ, seu ratio activa qvædam hominum ad societatem attinentium. Cæterum qvia hæc consideratio ad eam, in qvam supra lib. 1. ex parte descendimus, subtiliorem pertinet Jurisprudentiam, nec adeò etiam hic, ubi determinatum subjectum societatis, à gubernatrice inibi potestate gubernandum, & ad finem competentiæ dirigendum qværitur, tantoperè actio, ut generalior directionis hujus materia; qvam illud aliqvod in discriminationem cadit, per qvod actio hujus cujusqve societatis socialisqve potestatis peculiare directivum objectum fiat; hoc autem nihil aliud possit esse, qvàm ipsæ, qvas ex sociali ratione peculiariter illa mutuatur, circumstantiæ, utiqve in his illud peculiare dispositivum simul ac terminativum hujus potestatis objectum erit qværendum. Sunt autem sine dubio plures ex numero circumstantiarum & fortassis.

taſſis circumſtantiæ omnes, qvatenus ſocietatem tangunt ejusdem directorio hactenus obnoxiæ, ut ad finem ſocietatis ab eo ſeſe dirigi ſuſtinere neceſſe habeant. locum enim & tempus & reliqva talia utiqve in illis licet deprehendere, circa qvæ vis hæcce ſocietatis diſponat. Veruntamen ne vagi ſimus nimis; & qvia de pluribus horum circumſtantialium minus compendioſe licet concipere, qvomodò, (ut in objectis fortè eas haud neges eſſe) ſimul in determinantibus univerſi generis hujus poteſtatis illa ſint. imò verò vel ſubjecti nomine, communi aut vulgi, aut ſapientum uſu vix aliqva ex hujusmodi venire audias, præterqvam qvod perſona, & qvod res ad perſonam pertinens, eſt. Tantùm igitur & nobis nunc qvoq; perſonas ac res ad ſocietatẽ qvâlibet pertinentes, in ſubjectis, illius univerſim ei dominãtis poteſtatis, licebit habere: Et primũ de perſonis eidẽ ſubjectis obſervare; in iis cõputandas eſſe, primũ omnes, qvæ de corpore ſocietatis ſunt; qvomodo id manifeſtũ facile fit per familiam, per rempub. perq; ſocietates reliqvas. Neq; enim qvisqvam videtur penitùs ab hac poteſtate poſſe exemptus eſſe, niſi ſimul & à ſocietate ſit exemptus: licet fortè modus ac competentia ſubjectionis cujusqve ſuâ diverſitate, intenſione ac remiſſione non careat: dum alius in paucis aliqvibus ſocius ſubjectusqve, alius in pluribus talis poteſt eſſe, prout v.g. in republ. vel privilegiati aliqvi ſunt vel non privilegiati; in mercatoria ſocietate vel de uno fortè genere mercimoniorum, qvoad lucra & damna participant, vel de omni: dum poteſtati præſidi ſubjecti poſſunt eſſe alii immediatè, ut omnes per familiã perſonę familiari dominio; aliæ mediatè qvadãtenus veluti familiares perſonæ poteſtati civili. Utut, inqvam, qvãdam hæc ſubjectio diverſitatem admittat, de ipſa tamen hac aliqva ſubjectione omnium perſonarum ſocietatem attinentium; & qvatenus eam attinent. haud opinor ambigendum erit. Idqve cum hac qvadam illatione, qvod etiam hucusqve perſonarum, & ſocietas & ſimul cujusqve hujus hæc poteſtas videatur terminari, nec, ut in priori reſpectu, ad alios extraneos usq; ſeſe extendere: obtinente hic qvaſi univerſim illô, (a) qvod *ſupra juriſdictionem ſuam jus dicenti, ſupra poteſtatem imperanti impune non pareatur*. eqvidem ſuprà vires ſuas omninò videretur proceſſura poteſtas ſocietati præſidens, ſi extrà, & iis qvidem perſonis, qvæ ad ſocietatem nil attinent, man-

(a) *l.20. de jurisd.*

mandare nitatur. Et qvamvis fortè contingat ut una familiaris poteſtas, à familia altera, una civilis majeſtas ab altera civitate qvicqvam legitimè exigere habeat; videri tamen poteſt idipſum iis non competere, qvatenus ſociæ ſunt, ſed qvatenus aliò qvovis modô poteſtates crediti, debitive exigendi ſint.

VII. Qvod res attinet, qvæ huic architectonicæ cujusqve ſocietatis poteſtati ejusqve diſpoſitioni ſubjectæ dici qveant; In his qvod illæ ſint, qvæ cuiqve ſocietati pro indiviſo bona communia ſunt, uſumqve ſociorum communem pro ſingulorum modo reſpiciunt, facile dubitat nemo. Minus autem, niſi fallor, plana res eſt, ſi ad ea, qvæ ſingulis ſociorum propria ſunt reſpicias: ubi nec fortasſis, qvod de univerſo genere hujus poteſtatis communiter dici qveat, facile invenies; nec commodè expedire te poſſe videaris, niſi genera ſocietatum diſtingvas. Qvippe reperiri videas ſocietates, ubi ipſum hocce earundem proprium κύριον, vel parum vel nihil diſpoſitionis habet, circa bona ſociorum propria, ut accidit mercatoriæ, opificum, ac ſimilibus; contrà alias, in qvibus idem de iisdem amplisſimam habet diſpoſitionem, prout videre eſt in illa univerſalisſima, qvæ Deum & homines intercedit, itemqve, multâ ex parte, in illâ, qvæ in domo dominica eſt, & eâ, qvæ in generalisſimè humanâ poſitione conſtitutis respub. audit. imò videas, in qvibus mediò modô ſeſe res habeat, & illud ex parte circa talia ſubjecta rerum diſpoſitivum ſit, ex parte verò non, veluti contingit ferè in ſocietate conjugali, itemqve patria. Niſi fallor, attendendum hic foret, num qvæ ſocietas magis abſolutæ ſit auctoritatis, & num ſocii ipſi perſonæve in ea contentæ omnimodæ maximèqve addictæ ſint ſubjectionis; An verò eadem aliqva ſocietas multum ſubordinata, ſubjectæqve ſit auctoritatis, perſonæqve contentæ multum limitatæ minusqve addictæ, qvoad hanc qvandam communionem, ſubjectionis. Priori caſu, non dubitarem aſſerere, dominio ſociali, etiam in ipſa cujusqve ſocii ſubjectiqve bona undecunqve propria, plurimum competere diſpoſitivæ auctoritatis: exemplô modò adductô dominii divini per hoc univerſum, Majeſtatici per civitatem, herilis, patriæqve ſecundùm priſcam ei à romanis inditam formam, per familiam, & ſi qvæ alia ab humana

mana auctoritate vel planè non, vel parùm dependens existat cum sui auctoritate societas. ratio autem videri posset esse, qvod res hujusmodi penitiùs addictæ personæ, in accessionem ei cedant, eóq; similis qvodammodò juris videantur esse, cujus ipsa persona est; prout in hac ipsa ratione observare licet, plurimùm fundare sese Romanos in sua circa servorum filiorumqve familias res peculiaqve. Posteriori verò in societatum specie, fortè non eandem vim eidem sociali potestati in res sociorum proprias concederes per exempla similiter hujus generis, veluti societatis mercatoriæ ac similis: perqve rationem, qvod ipsa personarum subjectio multum hic limitata sit; nec efficiat, qvò minùs eædem in pluribus sui juris suæqve libertatis auctoritatisqve persistant; & per conseqvens unà secum etiam bona sibi qvasi accedentia ab illâ qvadam sociali potestate multum soluta exemptaqve præstent.

VIII. Qvin fortassis sustineres, si ex eô, qvod naturaliter, divinaqve ex justitiâ justum est, judicium sit sumendum, nullam dari in humanis societatem, cujus auctoritas regens non aliqvô modô limitationem patiatur, etiam qvoad bona resqve sociorum subjectorumve, ne scil. per omnia planô liberrimoqve arbitriô de iis, uti nec de ipsis personis disponere valeat. qvia nempe, qvæ omnibus divina, aut etiam qvibusdam humana supereminens generalioris communionis auctoritas est, sua iisdem personis competentia qvædam, à sese ipsis adsignata, salva tueri discupit. qvibus cum, vel ipsam civilium nostrorum statutorum humanitatem conspirare animadvertas, qvâ in penitissimè, qvoad possessa bona, excutiendis obæratis, sive à sociis familiam attinentibus veluti conjuge, liberis, libertis, sive ab aliis etiam creditoribus, illis tamen tantum bonorum relinqvendum, ne victu egeant, vel expresè ordinatur, vel saltem hujus nomine misericordia commendatur (a): qvâ servis, filiisqve alimonia curaqve corporis necessaria è bonis provisioneqve familiari deputatur (b): restrictô hactenus familiari privatoqve arbitriô uti sic, & non contra agat, resqve circa singulorum ex societate disponat. conspirat qvoq; sine dubio omne judicium hominum æqvum, qvando præter casum extremæ communisqve reipub. necessitatis, aut etiam contracti competentisqve debi-

(a) l. 173. de R. J. l. 30. de re judic. l. 6. de cess. bon. (b) l. de agnosc. & al. lib. l. un. §. 3. de latin. lib. toll.

debiti, haud admittet, vel ipsi Majestati civili per rempub. liberum esse, de bonis singulorum civium suô pro arbitratu prorsus dispo- nere. similis ratio erit in civilibus cæteris. Ut autem in humanis societatibus, etiam iis, qvæ absolutissimæ auctoritatis strictissimæqve subjectionis sunt, potestas imperans non penitùs, ac per omnia, absoluta est. Ita qvoqve vicissim observare erit, nec in iis, qvæ etiam laxioris imperii, limitatiorisqve sunt qvoad personas competentiæ, ullam temerè deprehendi, in qvâ non aliqva, aliqvô casu, ipsius dominantis potestatis, ad bona etiam usqve sociorum propria, protensio qvoqve admittenda sit: puta qvatenus competentia cujusqve fert, ordinandi, ut ex iis, ad modum boni debitiq; socialis, à sociis in commune conferatur. ita autem & videmus à societatibus mercatorum, opificum &c. fieri. Ubi qvidem qvoad vim dispositivam hujus potestatis, non referre, nec eidem derogari existimem, qvod liberiorem severioremqve executionem sibi fortè sumere non ausit, socialiter dispositorum; sed qvantùm ad hanc subsidio superioris dominatus forsitan opus habeat; possibile, qvod hujus authoritas, societatisqve, cui hic præsidet, qvies, hunc processum reqvirat. scilicet, ubi ad severiorem officii exactionem coërcitionem ultionemqve, pro obtinendo justo etiam, procedendum est, *Non semper singulis* (intell. etiam subjectis civitati corporibus) *est concedendum, qvod per magistratum possit publicè fieri, ne occasio sit, majoris tumultus faciendi* (a). qvin *idcirco judiciorum vigor jurisq; publici tutela in medio constituta est, ne qvisqvam sibi ipsi permittere valeat ultionem* (b). *Cur autem ad arma & rixam procedere patiatur Prætor, qvos potest jurisdictione sua componere* (c.) Inqvam, etsi per publicam hanc exeqvendi rationem nonnunqvam transire habeat dispositiva alicujus legitimæ societatis vis, vix tamen esse, qvin ita comparata sit omnis, uti per personas socias, ad usqve harum bona (si modo habet præter victum aliqva) sese qvoqve extendat; siqvidem contingit, qvod per hæc æqvabilitas socialis debiti à sociis conservanda sarciendaqve sit. sed occurret hoc caput paulo inferius (*d*) denuò recolendũ: ubi præmissum fuerit, penes qvos potestatem hanc residere congruat contingatqve, qvemve exitum habeat, siqvidem apud plures resideat.

(a) l. 176. d. R. J. (b) l. 14. C. de judæis & cælic. (c) l. 13. §. 3. de usufr.

(d) num. 14. h. cap.

IX. Cir-

IX. Circa subjectum inhæsivum, qvod dicimus, notabile hujus disqvisitionis & caput & qvæstio est: Penes qvem qvosve ex multis sociorum potestas isthæc ἀρχιτεκτονικὴ in qvalibet societate potissimum debeat residere? Paratam habuisset Philosophus, opinor, ubi instituta sua Politica (*a*) condebat responsionem: Naturæ multũ esse conveniens, ut prudentiâ ac virtute potiori, aut si plures vel omnes tantundẽ in hisce valeant, iisdem, vel simul vel alternatim, eadem committatur. Neq; verò & pugnans tamen prorsus cum natura esse: siqvidem ex hypothesi receptorum morum, qvalitatisqve negotiorum, viris aliqvibus aliis, certæ suæ cujusdam conditionis respectu, (qvâ vel nobiliores, vel ditiores, vel liberi æqvè ac alii sunt; modo utcunqve sufficiente, pro hujus alicujus societatis bono curando, prudentiâ, experientiâ, ac aliâ, si qvæ ulterius reqviritur, qvalitate instructi sint) eadem deferatur potestas. Et hujusmodi qvidem Philosophi ratiocinationi palmam darem per omnia; statuens cum eô, melius qvidem fore, si optimis qvibusqve; non tamen in absonis esse, si aliis; modò utcunqve commissis sufficiant, ipsa credatur. Licebit autem juxtà hic duo porrò qværere:

(*a*) *lib.1.polit. & lib.3.cap.3. lib.4.c.8.&c.*

X. Primò: Utrum de necessariis naturæ societatis cujusqve sit, (complector autem universum genus) siqvidem potestas eadem dominans certo aut certis aliqvibus ex sociis commissa est, ut ejusdem, aliqvid, vel etiam ipsa in qvantum illis commissa est, actu & radicaliter tamen (ut nonnulli volunt) penes cæteros qvoqve de societate resideat? A parte negantium mihi existimo standum, cùm per rationem, tum per experientiam petitam ab omnibus, qvæ dari possunt, & aliqvod momentum in vita habent, societatibus. Per rationem: qvia primũ potestas ut omnis ita & hæc regens aliqvid ex iis est rebus, qvæ aliqvibus hominum, præ aliis sui generis, possunt committi, id qvod etiam qvoad hanc potestatem mecum fateri necesse habent ipsi, qvi statuunt, eandem nunqvam à communitate recedere, qvippe hominibus hujus communitatis, iisdemqve adeò certis præ aliis, qvæ extra sunt, eam tribuunt. Deinde ita porrò colligitur: Aut potestas hæcce societati κυριακὴ aliunde, fortè ab eminentiore auctoritate qvam qvâ ipsa societas potest pollere, committitur; aut ab ipsa communione; aut utrinqve. (loqvor de

casibus ubi legitimè illa solet deferri, linqvens eum ubi sibi ipsi homines eam sæpius iniqvius usurpant) si aliundè certis qvibusdam ex societate commissa extat, non autem simul & reliqvis, utiqve ipsis certis qvibusdam tantum illa competere h. e. propria potest esse; non autem ex communione reliqvis, & per conseqvens non toti communitati ullô modô hoc casu potest competere, unde enim haberet, qvod à nullo sibi datum commissumqve esset. Si ab ipsa communione eadem certis aliqvibus conferri ponatur, qvid obstabit, qvin dici qveat, eàm ita certis qvibusdam posse ab ea conferri, ut sibi ejus qvanti, qvod confert, nihil ipsa retineat? dū liqvidissimi juris est, unumqvemqve id juris qvod habet alteri posse hoc modo concedere, donec ordinationi superiori in hoc non adversum faciat. Et verò cuivis ad hanc rem attendenti facilè manifestum fiet, in multis societatibus, v. g. civili, mercatoria, militari, contingere, ut delatio hæc certis facta, superiori ordinationi non adversetur. qvomodò enim adversaretur collatio civilis majestatis ei, qvæ sola ipsâ superior est, divinæ; cum hæc etiam multô decretô in solitariis personis, regibus videl. illam tuetur? Positâ possibilitate, non dico nunc qvomodo admodùm dictu absurdum sit, summam potestatem per societatem certo aut certis esse à communitate commissam, & tamen ipsam penes eandem adhuc, nescio qvomodo, residere; cum hoc dicendo idem dicas commissum, & non commissum, certè aliqud certis commissum, si totam reliqvis communitatis hominibus superesse dicas; Et in medio qvidem relinqvo, an ab hac disphoniâ talem positionem, qvâ & uni vel certis; & simul omnibus talis qvædam potestas tribuitur, liberare possit distinctio inter exercitium & potestatem hanc ipsam, & si qva similis à viris politicis hic in schemate civilis Majestatis versantibus adhiberi consvevit. Examen experientiæ si instituas, per omnia societatum genera, forte nihil liqvidum magis est, qvàm id qvod asserimus; nempe non esse de necessariis societatum, ut potestas ejusdem suprema regens penes communitatem sociorum omnium resideat, ne dicam, vel tum, ubi certis qvibusdam illa commissa habetur. Ita enim nemo dubitat, qvin Dominium, qvod Generalissimum, Generalissimæ, omnem rationalem naturam comprehendentis, societatis est, nulli, præterqvam uni Deo competat.

petat. Si ipſos familiarum noſtrarum ſocietatum dominatus reſpicimus, ſuperius conjugale dominium, herilis patriaqve dominans poteſtas, ſanè uni marito, patri, domino, propria ſunt; nec fingi poteſt, qvomodò radicaliter illa eadem poteſtas ſimul in conſociis, uxore, ſervo, liberis reſidere poſſit. Cui verò porrò unqvam videbitur commodè dictum: penes gregem militum reſidere generalatum, donec penes generalem campi Mareſchal, is eſt? De Majeſtate civili ſanè priſca politicorum ſchola idem fatetur, eam modò apud omnes, modò apud qvosdam, modò apud unum, modò partem ejus apud hunc, hos illosve, partem apud alios poſſe eſſe. Non opus erit per plura tranſire exempla, qvandò hoc tantum hic velim manifeſtum eſſe, non eſſe de toto genere ſocialis naturæ, poteſtatem imperantem, ubi qvidem per ſocietatem certis eſt commiſſa, ſimul reſidere penes ſociorum omnes.

XI. Alterum, qvod intuitu ſubjecti inhæſionis, de poteſtate hac ſocietatum κυριακῇ poteſt qværi, eſt de exercitii exitu, qvemnam illum poſſit habere, ſiqvidem plures ſint perſonæ, penes qvas reſideat eadem? Verum, ut communem annotationem hæc qvæſtio habet, ita etiam facile ad communem prudentium deciſionem perducta eſt. Qvæ qvidem in capite hæc eſt, uti valeat obtineatqve id, in qvod major pars conſentiat, eò effectu ut non tantum ſubjecti huic poteſtati reliqvi, ſed & cæteri aliàs pariter imperantes, plurium concluſis parare habeant. *Omninò enim*, inqvit Grotius (a), *ea credenda eſt fuiſſe voluntas in ſocietatem coëuntium, ut ratio aliqva eſſet expediendi negotia: Eſt autem manifeſtè iniqvum, ut pars major ſeqvatur minorem: qvare naturaliter, ſecluſis pactis ac legibus, qva formam tractandis negotiis imponunt, pars major jus habet integri.* Subjungit ejusdem ſententiæ verba ex Thucydide: κύριον εἶναι, ὅτι ἂν τὸ πλῆθος ψηφίσηται. Appiano latinè reddita: *tam in comitiis qvàm in judiciis vincit pars major.* itemqve ex Dionyſio Halicarnaſſenſi: *qvod pluribus viſum id valere.* Ariſtotele: κύριον τὸ τοῖς πλείοσι δόξαν. Curtio, *Eo qvod major pars decreverit ſtetur.* Prudentio. *Infirma minoris vox cedat numeri parvaq; in parte qvieſcat.* Qvibus & illud Ulpiani (b) geminum eſt: *Refertur ad univerſos qvod publicè fit per majorem partem.* Item iſtud Scævolæ: (c) *Qvod major* pars

(a) cap. 5. lib. 2 de jur. pac. ac bell. n. 17.

(b) l. 160. §. 1. de R. J.

(c) l. 19. ad municipal.

pars curiæ effecit, pro eo habetur ac si omnes egerint. & adstipulantur illa celsi JCti (*a*), qvibus existimat, qvod si tres judices dati sint, & unus dissentiat à reliqvis, standum esse duorum sententiæ. Hisce tamen juxta notare erit, qvod etiam à Grotio in allegatis observatur: legibus & pactis hunc processum posse vel immutari, vel etiam certam ad observantiam redigi, prout Romani Imperii municipiis & in iis decurionom concilio accidit, qvibus, ut prævalens numerus sententiarum pondus haberet, duarum partium consensum & præsentiam reqvisitam fuisse. indicio sunt plures juris civilis textus (*b*).

XII. Nec verò observatur in istinsmodi, ubi socialiter sive collegialiter statuendum est, illa regula juris, (*c*) qvæ vult: *Qvod omnes tangit, debere ab omnibus approbari*; utpote qvæ locum tantum obtinet in concursu plurium, ad commune aliqvod rei, extra casum, in qvo hic versamur, initæ vel etiam dirigendæ ad communem competentiæ finem societatis; sive ut interpretes hic loqvuntur (*d*) in casu ubi qvid tangit plures, ut singulos, non ut universos; prout accidit in communione rerum incidente ex causâ hæreditatis aliâqve (*e*). Item ex concursu creditorum in bona obærata æqvali jure pluribus oppignorata &c. ubi etiam invitis cæteris suum singulis jus servari solet integrum. v. g. ut mortuus in commune sepulchrum inferatur (*f*). tametsi vel hic etiam, ubi qvid communiter circa talia, ab iis qvorum interest, statuendum tandem venit, intercedente juris judicisqve auctoritate plurium voluntatem intuendam esse, æqvum legislationibus nostris visum est: (*g*) Cum hâc tamen singulari observatione, ut major illa consentientis voluntatis pars pro modò ac mensura debiti, qvod qvilibet in illa re suum asserunt æstimetur, non pro numero adeò personarum (*h*). adeò ut vel unus, cui major juris debitivè portio in re est, pluribus, qvibus simul tanta non est, præferatur. Qvam rationem etiam ad ipsas societates propriè dictas trahi totò die cernimus, eoqve pactis solere descendi, ut nempe alii membro unum, alii duo, alii tria vel plura suffragia competant, prout de Libyca & vicinis qvibusdam, deqve viginti tribus Lyciæ urbibus consociatis, ex strabone memorat Grotius (*i*); & hodiè in Batavico fœdere observatur. qvin Ari-

stote-

(*a*) l. 39. de re judic.
(*b*) l. 3. & 4. qvod cujusq; univers. l. 46. C de decur. l. 3. d. decret. ab ord. fac.
(*c*) c. qvod omnes 29. de R. J. in 6.
(*d*) arg. l. 7. §. 1. qvod cujusq; univ. Gothofred. ad l. 19. ad municip.
(*e*) tit. cõmun. divid famil. hercisc. §. 3. et 4. J. de obl. qvæ ex qvasi contr.
(*f*) l. 41. de religios.
(*g*) l. 7. in fin. de pact. l. fin. C. qvi bõ. ced. poss. §. 1. J. de satisdat.
(*h*) l. 8. de pact l. 14. de pos. l. fin. C. qvi bon. ced. poss. l 16 de reb. author. jud. poss.
(*i*) d. l. n. 22.

ſtoteli in æqvis hoc refertur: (*a*) εἰ κτημάτων χάριν ἐκοινώνησαν. *ſi poſſeſſionum causâ inita eſt ſocietas.* Qvicqvid autem de pluralitate votorum prævalente dictum eſt, locum etiam videtur habere in caſu, qvo unus aliqvis, vel pars minor abſens ſit, vel ſuâ causâ culpâqve, vel etiam fortè-fortunâ, & horum interea jus præſentibus qvaſi accreſcere, ut loqvitur Grotius (*b*). proponunt in ipſa hac ſpecie rem non ſemel legum noſtrarum compoſitores (*c*). idqve admittunt, usqve dum non diſertè ſuperiori authoritate res pluribus junctim agenda commiſſa eſt (*d*). qvi qvidem exceptionis caſus extra noſtrum poteſtatis ſocialis liberæ eſt.

XIII. In caſu verò deniqve, ubi ad paritatem votorum ac ſententiarum inter plures res devenit, negotium ad expeditionem vi ſuffragationis haud videtur pervenire poſſe, resqve infecta manſura, niſi qvatenus altera pars, fortè æqvitatis benignitate præponderans, vel rigorem adverſæ factionis ultro paulatim attrahat, vel ſuperiori diſpoſitione juvetur. elegans in ſpecie alterutrius ex duobus mediis, ceſſionis bonorum ſcil. vel qvinqvennalis indulti, pluribus æqvali jure creditoribus circa bona obærati amplectendi, à Juſtiniano facta diſpoſitio extat: (*e*) ubi in hoc negotii genere reliqvis qvibusdam caſuum figuris deciſis, ita ſubjungit: *Sin verò undiq; æqvalitas emergat tam debiti qvàm numeri creditorum: tum eos anteponi, qvi ad humaniorem declinant ſententiam, non ceſſionem exigentes ſed inducias.* In caſu judicii & pro numero judicum ſententiâ æqvaliter diſcrepantium alibi egregiè Paulus (*f*): *Inter pares numero judices ſi diſſonæ ſententiæ proferantur, in liberalibus qvidem cauſis (ſecundùm qvod à Divo Pio conſtitutum eſt) pro libertate ſtatutum obtinet. in aliis autem cauſis pro reo. qvod & in judiciis publicis obtinere oportet.* Item: *ſi diverſis ſummis condemnent judices: minimum ſpectandum eſſe* Julianus ſcribit. paria profert alibi (*g*) Hermogenian.

XIV. Qvod efficaciam (ut de ea nunc plenius dicam iterum) attinet, hujus per ſocietatem diſpoſitivæ poteſtatis, vimq; ejus deliberata ſtatutaqve exeqvendi; fortaſſis generaliter qvoqve dici poteſt, eam ipſi *coactivam* qvandam ſubjectorum, ad illa admittenda præſtandaqve, qvæ ratio jusqve ſocietatis ab iis depoſcit, eſſe. Nimirum eſt poteſtas hæc, ut omnis, ex lege, & qvidem ex lege ſocieta-

(*a*) pol. 3. c. 9.
(*b*) d. l. n. 20.
(*c*) d. l. 3. & 4. qvod cujusq; univerſ. l. 46. C. de decur. &c.
(*d*) per l. 39. 37. de re judic.
(*e*) l. fin. C. qvi bon. ced. poſſ.
(*f*) l. 38. de re judic.
(*g*) l. 24. de manumiſ. add. Grot. d. l. n. 18.

cietati huic, pro fine suo obtinendo, sive supernè lata, sive ab ipsâ communione per modum conventionis compacta. Lex autem omnis, ut alibi (a) demonstratum est, naturâ suâ perq; effectus suos, in qvibus & potestas, vel primò, vel ex conseqvente, coactiva est: Et qvid sibi verò posset, aut qvomodo nomen suum tueretur directiva potestas qvæ omni executione inanis esset futura? qvalis utiqve conditio, necesse esset, ut ei infinities accideret, per singulorum qvalemcunqve, qvæ evenire potest ac solet, in communibus privatam displicentiam, siqvidem qvâlibet coactiva ratione ipsa destitueretur: Qvamvis hoc tamen qvoad coactivam hanc socialis potestatis virtutem insigniter est notandum; eam non esse nec posse esse uniusmodi in omnibus societatibus: si genus ac modum coercitionis (qvæ qvidem & alias naturâ sua variorum actuum est, procedens per correptionem verbalem, per operarum impositiones, per mulctas, per rejectionem è societate, per ignominiam, corporis afflictionem, ipsius deniqve vitæ privationem) respicias. Neqve enim cum absolutæ auctoritatis potestatibus, qvalis est Majestatica divina ac civilis, æqvalis facultas potest competere iis, qvæ huic subordinatæ subjectæqve sunt, veluti mercatoriæ domesticæ &c. uti e. g. qvendam ex sociis vitâ possit privare, gravissimâ mulctâ affligere, ignominiâ afficere; qvia hæc atqve hujusmodi vergere possunt in detrimentum universalioris ac superioris societatis, cujus itidem pars ac membra sunt, alio licet respectu, qvæ huic inferiori alicui membra sunt. Cujusqve adeò interesse potest, ne in suum præjudicium, citraq; suum ipsius judicium majoris momenti qvicqvam in ea statuatur. Sed ut admittenda hæc hujus coactivæ virtutis, per societatum subordinationem, differentia est; ita interea haud tamen negandum existimes, qvamlibet inferiorem legitimam consociationem aliqvâ coactivâ potestate non destitui, eâqve tum propriæ tum subsidiariæ executionis: propriæ: qvando fortassis nulla tam abjectæ conditionis consociatio (modò legitima) sit, cui non aliqva in suos statuenda supersint, qvæ superiori non præjudicant, fortè, ut excludat à communione & res suas sibi habere immorigeros faciat, aut etiam in aliqvo aliâs participando beneficio suspendat; cùm hujusmodi rationibus etiam privatos singu-

(a) lib. 1. c. 3.

ſingulares à ſingulis in vulgari victu rerumq; commercio caſtigari videmus. Subſidiariæ autem deinde executionis vi non poteſt eadem hæc cujusqve ſocietatis poteſtas deſtitui, à ſuperiori ſcil. jurisdictione, ut loqvimur, expectandæ; cum itidem privatorum in privatos qvæ legitimi debiti exigendi poteſtas eſt, ea non deſtituatur, nedum qvæ plurium, ut ſociorum in ſocios eſt, qvæve pro avertendo à pluribus damno conſtituta eſt. Et per hanc qvidem viam notare eſt, poteſtatem ſocialem etiam ad rigidiorem usqve coërcitionem poſſe pervenire, idqve eô faciliori modô, qvô magis vel de ipſo officio ſoleat eſſe ſuperioris jurisdictionis, ut implorata qvosvis ſibi ſubjectos ut aliis, & in hiſce etiam ſocios ut ſociis jure ſocietatis, qvo tenentur, ſua tribuant, adigat, cum terrore usqve ſeverioris animadverſionis. Qvatenus ad res usqve tum communes ſocietatis tum ſociorum proprias eadem hæc hujus poteſtatis vis ſeſe extendat, jamdum ante qvoqve memoratum eſt (a).

(a) n. 7. & 8. h. cap.

XV. De officio hujus directricis ſocialis poteſtatis, utrum conveniat qværere dubites; utpote cum hæc ſit, qvæ de officio per ſocietatem diſponere, idqve exigere, non autem ipſa exigi videatur. qvomodo enim, qvod ſuperius ac liberum (talem autem poteſtatem hanc ſupponimus) vel etiam, qvodlibet, qvatenus liberum eſt, diſponi, aut etiam cum coactione ab eo qvicqvã exigi poteſt. Et fortaſſis concedendum eſt, de ipſa poteſtate hâc qvatenus tali, officium eam haud poſſe dici; qvod nempè naturâ diverſa, cujusmodi ſunt libera facultas & neceſſitas, (de qvorum genere poteſtatem dominantem & officium ſive obligationem eſſe, ex ſuperioribus liqvet) non poſſint eſſe idem, aut alterum eſſentialiter dici alterius eſſe. Cæterum qvando non tam hoc in qvæſtione eſt, qvàm illud: utrum is ſive ii penes qvos dominatrix cujusqve ſocietatis poteſtas eſt, (qvatenus & juxtà qvod tali poteſtate prædіti ſunt) viciſſim ad officium ſubjectis ac parentibus obligati ſint? Atqvi hoc qvidem eſt, qvod affirmandum duxerim, etiam in ſpecie abſolutiſſimi humani dominatûs; ob duplicem imprimis rationem 1. qvod poſitâ ſocietate, ponatur finis communis, bonum commune omnium qvi de illâ ſocietate ſunt, eòqve tàm eorum, qvi architectonicæ hujus poteſtatis pariter participes ſunt, & qvi ejus nõ participes ſunt;

Cum

Cum igitur hujus finis ejusdemqve subjectorum boni obtinendi causâ, isthæc potestas societati constituta præpositaqve est, fieri utiqve non potest aliter, qvin ab eô in rationem qvandam officii erga ipsos hos subjectos trahatur. Ne nunc dicam, omni, etiam summæ humanæ potestati, vel ab ipso supremo divino autore, hunc aliqvem officii modum, ut cuiqve suum curet tribui per legem humanitatis esse adjectum. Altera verò ratio ex ipso, ni fallor, beneficio firmiter deducitur, qvo persona præsidens à societate afficitur, dum eô ipsô, qvod & qvatenus hâc eminenti potestate pollere permittitur, maximô honore, qvi utiqve in maximis beneficiis est, decoratur, dum & in plerisqve omnibus ad dignitatem spectantibus personarum, primas sibi habet concessas, & continuatâ qvadam veneratione ac obseqviô jugiter augmentatur. Certè licet ne contulerint potentiam subjecti ipsi, est tamen ea aliqvid, qvod eorum intuitu, & saltem, prout vulgò loqvimur, beneficiô obtinet, donec rebelles non apparent. taceo qvæ sæpius etiam alia utilia bona huic præ honorato solent accedere. Et potest fortassis hisce rationibus tertia qvoqve valentissima accedere, ab exemplo DEI ter summi, liberrimi, optimi, maximiqve domini; qvem adeò non piguit, suis in parilitatem bonæ suæ naturæ confectis, rationalibus imprimis creaturis, officiis beneficis & beneficiis officiosis assistere; ut qvasi in perpetuũ, se ipsis ad talia pro sua magnificentiâ longè maxima obligaret & addiceret; dum, postqvam jam creavit, & esse iis dedit, continuatò eas conservat, sustentat, donis innumeris maximis auget, dat escam omni carni, benedictione implet omne animal, solem ac sidera sua perpetuò ipsis omnibus lucere facit, imò donec rebelles non existunt, nec media oblata spernunt, easdẽ rationales naturas ad æternitatis ineffabile decus, qvasi ex obligatione sibi ipsi impositâ pervehere properat. Liqvere ex hisce puto, qvid de potentibus terrarum, qvid de societatum maximarum præsidibus sit statuendum, siqvidem qværitur, an obligati etiam subjectis ad omne benignum ac æqvum sint, an officiis iisdem qvoqve sint addicti? nedum ut ab inferiori sociali potestate ratio hæc officiosa removeri debeat? Saltem verò hoc videtur dubium hic posse habere, qvorum subjectorum respectu officium sustineatur,

si omnes, qvod accidere potest, æqvali decernendi honore ac potestate perfruuntur? Sed putem calceum aptandum esse pedi, singuli hi non habent potestatem imperatricem, nisi qvoad tantillum suffragii sui, in universos aut singulos; sed benè universi in singulos, ut sibi subjectos, eam habent, eòqve vi juris socialis hisdem, qvod ex societate, eodem jure, bonum expectant, illi tribuere tenentur. id qvod est, eorum potestati dominanti officium qvoq; adjunctum esse. Hactenus de iis, qvæ præ aliis digna fuere visa, ut ad potestatem per societates prædominantem generaliter annotarentur.

XVI. Ut per exempla specierum maximè illustrium maximeqve oculis obversantium socialis hujus potestatis nonnulla ejus minus manifesta, magis collustrentur, iisdem adhuc paululum erit insistendum, licebitqve, hujus causâ intentionis, potestatem unà cum societatibus, qvibus præsidet, distingvere in eam, qvæ absolutissimæ, qvæ absolutæ, & qvæ subordinatæ est auctoritatis. Absolutissimæ liberrimæqve auctoritatis est extra controversiam illa, per universalissimam istam Dei & omnis bonæ rationalis creaturæ, socialem conjunctionem (de qva sub initium hujus cap. dictum est) imperans potestas. Cujus enim auctoritati subordinata aut obligata esset, præterqvam Deo, ea societas, cui Deus præsidet? Et qvia nec aliunde, præterqvam à Deo qvicqvam boni est, utiqve nec propria non potest esse huic societati, in qva Deus est, sua directrix potestas. Qvæ ipsa porrò ob immensum sanctissimæ prudentiæ, virtutis, bonitatisqve, qvô in universum omnia, qvæ præter eum sunt, præcellit, non potest, nisi Deo solo competere; qvi etiam hanc qvam spectamus mundi machinam, & si qvid ultra beatissimæ illuminationis est, pulcherrimum & longè optimum huic societati domicilium solus præbere potuit, & adhuc conservare potest. qvi uti creavit, ita conservat ac commovet omnia *(a)*. Subjectum autem si qværis, cui præsideat per hanc societatem divinus ille omnipotens dominatus; itemqve illud, qvod sibi suam, per hujus virtutem, expectat competentiam; imò ipsumet finè bonũq; per hanc communionem cuiq; competentia; vimq; simul executioni paratam. Hæc, inqvam, & hujusmodi si hîc qværis; ecce prodeunt sancti Angeli, chari Deo filii *(b)*, *qvi millia millium ministrant ei, & decies centena millia ei assistunt* *(c)*, ejusqve laudibus maxi-

(a) Act. 17. 28.
(b) Job. 1. 2.
(c) Dã. 7, 9. & 10. Matth. 26. 53. Apoc. 5, 12.

(a) Es. 6. 3. Ps. 103. Luc. 2, 13. (b) Ps. 34. 8. 91, 11. Hebr. 1, 10. Mat. 18, 14. (c) Hebr. 17. Psal. 103. (d) Sam. 2, c. 24. 2. Reg. c. 19. (e) Ps. 82. in fin. (f) Dan. 2. 21.

mâ sedulitate incumbunt (*a*), qvi & ipsi voluntatem & jussa ejus sicut in cœlis, ita & in terris exseqvuntur sedulò ac promtissimè, castra metantes in circuitu timentium Dominum, eosqve observantes & in omnibus viis eorum custodientes eos (*b*). Qvi & facti ad nutum ejus spiritus, & qvasi flamma ignis (*c*) qvævis mandata in vindictam ejus subito exeqvuntur (*d*). Ecce sistunt sese Deo, supremo omnium nationum ac gentium regi atqve *hæreditario Domino* (*e*), ipsæ illæ nationes ac gentes; in hisce ille prout bonum & justum ipse arbitratur, regna de gente in gentem transfert (*f*) correptiones & integris populis & singulis hominum in bonum, itemqve incorrigibilibus in vindictam immittit, & vicissim, multoqve promptius bonos bonis cumulat variis. Notabis autem & angelos & homines pariter filios Dei, conservos sibi esse, qvorum bonũ & ipse pariter curat Deus, & qvibus vicissim unanimiter Dei bonum h. e. gloriam curare de officio est. En verò deniqve ad nutum supereminentemqve divinæ potestatis directionem consistunt, & hæc & deniqve bona malaqve incidentia omnia, qvæ admirabili suâ infinitaq; sapientiâ ac potentiâ ita Deus dirigit, ut ad finem hujus consociationis, ultimiorem imprimis, qvi gloria sui ipsius salusqve suorum æviterna est, vergant (*g*) verbum his non addo.

(g) Act. 2. 23. c. 4. 28. Gẽ. 45. 8. cap. 50. 20.

XVII. Tantummodò hîc modo dictis juxtà memorare fas sit, ad genus hoc absolutissimi socialis dominatus videri referri debere; qvicqvid per alias omnes particulares in hoc universo societates divini præsidii est; sive id solum inibi supremum dirigens existat, sive etiam concurrat cum positivô qvodam arbitriô ipsius consociati subjecti. Missum autem hic penitus facio qvalemcunqve illum, qvi in unitissima sanctissimæ Trinitatis consociatione ab æterno est, penitissimè divinum, prælationis respectum: Nec ad Hierarchias sanctorum Dei Angelorum par mihi est ascendere; capita sacræ Theologiæ & plenioris informationis scholæ futuri seculi relinqvenda. Non dubitarem autem ad hoc ipsum genus particularium θεοκρατίων referre, si qva humano generi toti inter sese peculiarem qvandam humanam societatem esse concipi potest: idqve per illam, qvam huic generi generalem legem divinitus positam agnoscimus, legem videlicet naturæ, qvam dicimus, eiqve suc-

succenturiatam gentium; per qvam utiqve hæc tanta communio, etiam qvodam sibi particulari modo, divinitus regitur ac dirigitur. Addet dubio procul huic generi Theologia nostra πολίτευμα sanctæ Ecclesiæ, sub capite suo Deo & Christo ejus constitutum (a). Adderem è secularibus exemplum antiqvissimæ Hebræorum Reipubl. ejusdemqve divini regii dominatus. Et deniqve ut ante dixi referrem qvicqvid divini præsidii, divinæqve directionis conjunctum habet omnis, qvæ inter homines, hominum factô interveniente, constituta datur legitima societas. Sed retulisse hæcce sufficiant: Porrò de dominatu sociali absoluto videndum est.

(a) Eph.5.14. & seqq. 1.Timoth.3,15.

XVIII. *Absolutæ auctoritatis potestas* absqve dubio *civilis*, qvæ in specie dicitur, civitatis seu reipubl. liberæ est. Eaqve sola ferè ejus generis, qvæ aliqvam pro hac declaranda natura consideratio-nem meretur; Dum qvæ reliqvæ hujus generis sunt, puta domus aut pagi alicujus in solitudine fortè, extra cujusqve curam, suæ superioritati relictæ, vel etiam, si qvæ plurimæ liberæ Respubl. fœderatæ existunt; aut minus dignæ sunt, ut separatim memorentur, aut ex naturâ, partim ipsius civilis dominatus, partim ejus, qvæ qvarumvis particularium paulò majorum, pro peculiaribus qvibusdam certisqve finibus initarum societatum gubernans potestas est, facile colligitur. Et *civitas* qvidem, subjectum absolutæ nostræ potestatis, delineatore Aristotele (b), societas seu ordinata hominum multitudo est, sibi pro vitæ necessitatibus (seu ad facilem vitæ usum) sufficiens. alias omnis generis humanas societates, in sese complectens, iisdemqve suâ potestate præcellens ac dominans. ordo autem ipse civitatis, multôqve ejus cum respectu compages, politicis πολιτεία seu Respubl. dicitur; & vicissim Respublica in civitate ordo seu constitutio, cùm aliorum magistratuum seu præsidentium potestatum, tum ejus, qvæ omnium est princeps. Et porrò hanc ipsam, qvæ in civitate præses potestas omniumqve princeps est, Græci, tanqvam in hac politiæ præcipuum, & ipsa qvasi respub. videatur sita esse, πολίτευμα τῆς πόλεως appellant (c). Latini, summam rei, *Majestatem*, imperium; similiter & ipsi ex Majestatica hac potestate statum Reipub. potissimum dijudicantes. Et ea qvidem ipsa est, qvam præprimis in humanis absolutæ auctori-

(b) lib.1.pol.c.1.2.lib.3.c.1. & 4.

(c) d.cap.4. lib.3.polit.

tatis poteſtatem, ut haberi, ita habendam eſſe exiſtimem; cum vel ei hæc præſideat ſocietati, qvæ omnis generis reliqvas humanas ſocietates in ſeſe complectitur; qvas etiam proinde una cum ſuô cujusqve peculiari dominatu ad ſuum ſuæ directionis finem, (qvi plenior per vitam felicitas eſt) dirigere habet: non verò ab hisdem directionem exſpectare. Qvæ qvidem calculo ſuo facile confirmant omnes, qvi legibus ſolutos dicere côſvevêre eos, penes qvos hæc per rempub. poteſtas reſidet. Sed de hac ipſa ejus conditione, qva abſoluta legibusve ſoluta habeatur, paulo poſt iterum erit dicendi locus, ubi prius per commemorationem ſubjecti ejus, ejusdem naturæ ratio aliqvanto magis in apricum fuerit collocata.

XIX. Et ſubjectum qvidem Majeſtatis illud, in qvod vim ſuam gubernatricem exercere illa habet, utiqve tota, cui præſides civitas eſt. cum omnibus illis, qvas ipſa hæc complectitur, perſonas, res, easdemqve communes, ac ſingulorum proprias; de qvibus ſane omnibus civilem Majeſtatem ſtatuere poſſe vel neceſſe eſt; ſiqvidem ejus eſt, ad finem competentiæ dirigere totam civitatem, & qvatenus id ejus eſt: qvamvis, qvoad bona ſingulorum, res ferè eum communiter habet ordinem, ut vis imperii, primò in officium perſonæ, qvæ ſocietati ejusve membris debet, ſeſe dirigat, inde verò in ſubſidium ad ipſas res qvoqve directò deſcendat: prout hoc in pignorum captionibus, rerum obæratarum occupationibus & cenſu obſervari videmus. Qvin imò convenientiæ videtur eſſe, hanc ipſam civilem abſolutam poteſtatem ad perſonas resvè ſeſe extendere, non indigenas civium civitatisqve proprias tantum; ſed & ad perſonas peregrinas earumqve bona, qvatenus in civitate hac aliqva illæ degunt ac foventur; putà ut rectè, ac legibus civitatis congruenter, & innoxii, niſi arceri velint, degant ipſi peregrini, & cuiqve, qvod jure divinô humanôqve & civitatis æqvum juſtumqve eſt præſtent; proqve tutela à publico munimento & perſonis & opibus ipſorum communicata, ex his aliqvid recognitionis rependant. Ad hæc dico & hujusmodi, cenſuræ publicæ etiam peregrini ſubjacebunt; niſi aut impotentiæ, aut juris inopiæ, Majeſtatē incuſare velis; qvò minùs, qvæ intra fines territorii ſui ſunt, & viſcera ci-

ra ci-

ta civitatis intrant, æqvo jure ad hujus salutem dirigere, & ne eidem adversentur, efficere valeat, debeat; qvorum neutrum summæ, absolutæ, sibi sufficienti & custodiæ publici boni præpositæ potestati convenit, maximè cum & bella exteris potestatibus, hujus nomine & pro arcenda à suis injuriâ, universali qvôdam gentium jure, injuriosis exteris inferat. Si autem qvoad peregrinos homines, eorumqve bona ac negotia in civitate, civilis potestas sese hoc modo exserat; Minimè omnium videtur convenire, ut non iis qvoqve personis omnibus, qvæ pars sunt civitatis, ejusdemqve sive in sacris sive in profanis administræ, imperare possit ac debeat; & de bonis similiter omnibus ad profanos sacrosqve usus pertinentibus secundùm justitiam disponere. Cujus qvidem rei nomine, explodendam omninò dixeris illam per aliqvot secula in Christianorum liberis Rebuspubl. injuriâ invalescente consvetudine; ut de aliis personis ac rebus civitatis, puta laicis ac secularibus qvas appellant, majestas hæc civilis jus tantum disponendi haberet; de aliis, nempe Ecclesiasticis, qvatenus tamen & ipsæ humanæ dispositioni subjectæ essent, alia illi non subjecta humana clericalis potestas statueret; non tam publicum civitatis, qvam suum commodum qværens, imò in multam sæpè perniciem illius vergens; & illud absonum omnibus Christianorum absolutis ac liberis societatibus inferens, qvod ex parte magna essent subjectæ ac servæ exteræ cuidam humanæ potestati: imò accedente superstitione, ac si uni sacro capiti in mundo, suprema intentio, directio ac dispositio in omnes Respubl. competeret; qvod omnes Respubl. hoc idolum capitis venerantes, tanqvam subjectæ alteri cuidam humanæ tyrannidi, planè absolutæ ac liberæ desinerent esse; sed serviant qvi volunt, nos, Deo laus, huic dominatui non paremus: illud Apostoli: (a) *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, civili vindicantes majestati, ejusdemq; curæ, juxtà qvam divina positiva ac naturalia jura & salus Rerumpubl. exigit, sacra ac profana ordinare, ad Ecclesiasticarum simul ac secularium personarum officia attendere, committentes. Nec verò tantum, qvod notare porrò erit, singulæ hujusmodi & personarum & rerum civili huic dominatui subditæ debent esse; sed & eâdem ratione ipsa reipub. incorporata (a) *Rom. 13. 1.*

 con-

corpora, societatesq; omnes, qvatenus vel ipsæ totæ, vel illarum aliqvid inibi continetur.

XX. Verùm, hæc res fortassis minus habet dubii, qvoad subjectionem qvandam ipsam omnium modò memoratorum hujus αὐτοκρατίας subjectorum; plus verò qvoad modum, qvô in singulas personarum, rerum, societatum subjectárum, majestas Reipubl. vim imperii exercere valeat; & qvatenus illæ huic obnoxiæ sint h.e. parere necesse habeant. Res certè, si ulla, dijudicatu difficilior est, siqvidem tantam qvæ civitatum pomœriis comprehenditur, hominum, rerum, societatum, diversissimæ conditionis omnium, massam circumspicere incipias: nisi qvod tamen, siqvidem planum penitus dimensurare non licet, saltem terminos qvosdam rei configere, fortè haud æqvè difficile sit. Qvi nimirum sint: Valere in isthæc omnia vim majestatis civilis, *qvatenus vel ipsa jure restricta non est, vel isthæc ab ea libera non sunt.* Sed ais, qvid unde restrictionis potest illa pati, aut qvid libertatis esse potest his rebus omnibus ab ea potestate, qvæ per orbem summa, qvæ absoluta, qvæ arbitrariè κυριακὴ iis est? Resp. Ante omnia hic attendendum est, humanam hanc esse, de qva qværimus, potestatem, & penes homines qvosdam residentem, eòqve non posse non subjectam esse auctoritati, qvæ superior omnibus est, divinæ, ejusqve virtuti statutisqve fatisqve, iis, qvæ lex divina naturæ, aut positione qvâdam præter, sunt atqve audiunt: unde adeò seqvitur primò: qvod hæc ipsa, utcunqve absoluta aliàs, potestas, divinæ hujus auctoritatis, ejusqve legis intuitu, non sit absoluta, sed subjecta, agnoscere habens terminos, si qvi supernè ei præscripti sint positiqve, præscribantur aut ponantur. Deinde etiam seqvitur, qvod si personis huic civili potestati subjectis, sive singulis, sive ut universitatibus qvibusdam inclusis, intellige integris sub civili particularioribus societatibus aliis, aliqvid potestatis libertatisqve propriæ, à superiori illa auctoritate concessum sit, id iis adimere nec permittere, huic non fore integrum. utrumq; autem in facto ita sese habere, probatu facillimum est.

XXI. Namqve qvod primum attinet, & recta ratio & divina humanaqve testantur instituta ac elogia, non esse per omnia abso-

absoluti arbitrii in subjectos civilem hanc potestatem: Neq; enim ullus rectâ ratione utens temerè admittet, siqvidem unus fortassis aut aliqvi sint, qvibus per civitatem majestas indubitatò competit, illis jure liberum prorsus esse, qvidvis circa subjectos perpetrare, ad arbitrium intolerabili modo qvoslibet onerare, nocentes innocentesqve perimere, totam civitatem è mediò, qvando lubeat, tollere. qvin qvi horsum usqve potestate suâ olim abutebantur, eos tyrannos vocabat antiqvitas, qvorum ad generum Cereris sine cæde & sangvine paucos, siccâqve morte demittebat. Si qvisqvam jus vel saltem justum naturæ agnoscit, utiqve facile animadvertit, qvandam universalem per naturam transire legem humanitatis, qvâ homines omnes sibi mutuò, per illa qvæ possident bona, ad beneficentiam sint obstricti; qvòd vel *intersit hominis, beneficiò affici hominem* (a). idqve citra respectum conditionis aut eminentiæ, qvâ homo homini prævalet: & per cōseqvens, etiā ubi civili hâc potentiâ prævalet. Qvando principem legibus solutum Romanorum Monarchica Respubl. sibi asserebat (b), tanqvam *cui & in qvem populus* (qvi ante habuerat) *lege regiâ, de ejus imperio latâ, omne suum imperium & potestatem* (Majestaticam) *contulerat* (c): nunqvam eam interpretationem res nacta est; atqve si legibus etiam divinis ac naturalibus ille, ratione suæ illius potestatis solutus esset; ita ut ei indifferens esset, lege naturæ turpia vetitaqve perpetrare, rigidius imperata omittere. Qvin ab ipsô principali imperio *digna vox* agnita est (d) *Majestate regnantis legibus, allegatum se principem profiteri*, intellectis vel ipsis à sese latis etiam positivis civilibus legibus; contra qvas agere qvicqvam, aut sibi sumere *inverecundum ducebatur tantæ Majestati* (e). imò à qvarum simul auctoritate ipsa Principis auctoritas dependere existimabatur (f). Insigniter ex iis, qvibus naturæ lege princeps aut alii qvi majestate summâ gaudent, omniū confessione non soluti, sed tenti ligativè habentur, ut conseqvens aliqvod mereri videtur connotari; id qvod etiam facile per civitates communiter animadvertitur; qvia inter universales naturæ sancitas leges est; pacta promissaq; servari oportere ab omnibus, qvi promiserunt pactiqve sunt qvicqvam honesti liciti qve; id qvoqve ad summos rerum gubernatores pertinere:

(a) l. 7. d. serv. export.

(b) l. 31. de ll.

(c) l. 1. de constit. princ.

(d) l. 4. C. d. ll.

(e) l. 23. de legat. 3.

(f) d. l. 4.

Eos-

Eosqve adeò sese obligare posse populo, statibusvè imperiorum, suæ conventionis legibus. (capitulationes legesqve fundamentales imperiorum nostri vocant) & per conseqvens Majestatem suam pro earum conventionum modo ligatam qvoqve reddere, minutamqve; simulqve in qvantum illa ligata minutaqve reddita hoc modo est, libertate donatos; suiq; juris factos esse subditos; id qvod effectu alicui videri posset nihil aliud esse, qvàm in partem qvandam superioritatis Majestaticæ per illam Rempubl. eosdem admissos esse. qvatenus enim liber à superiore potestate qvisqve est, eatenus suæ auctoritatis, suiqve, qvoad se suaqve, arbitrii est; qvæ qvidem ratio qvatenus per civitatem, imò per multitudinem qvādam populi cum conspiratione qvadam in commune, distenditur, nomine majestatis solet venire. Et qvamvis in schemate, qvô tanqvam libertas, h. e. citra impedimentum à superiori auctoritate expectandum, per capitulationem cum præcipuè imperantibus initam, subditis hæc sua agendi potestas tributa est, fortassis minus videri possit, titulo communicatæ majestatis eam esse dignandam: Nullus tamen dubitarē hoc nominis ei tribuere, qvatenus arbitrium præcipuè imperantium, qvoad ea qvæ omnium confessione majestatici juris sunt, v. g. belli gerendi, pacis constituendi, leges ferendi, iisdem obnoxium ita est, ut citra ipsorum consensum, qvi præest, arma movere, leges ferre, per fundamentales imperii leges non possit; aut etiam, qvod pars talium his, pars illis commissa sit, omnia suô arbitratu expedire neqveat. Atqve ita qvidem naturali jure limitatā restrictamqve cognoscimus, qvin multoties ipsâ qvâdam legitimâ positivâ ratione districtam distractamqve per civitatem Majestatem. Qvoad divina pro hac re testimonia, sufficiat audiri unum hoc sapientis: (a) *Audite Reges, & intelligite, discite judices finium terræ, præbete aures vos, qvi continetis multitudines nationum, qvoniam data est à Domino potestas verbis: & virtus ab altissimo, qvi interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur: qvoniam cum essetis Ministri regni illius: non rectè judicastis, nec custodistis leges justitiæ, neq; secundùm voluntatem ejus ambulastis. horrendè & citò apparebit vobis; qvoniam judicium durissimum in his qvi præsunt fiet.* & qvæ seqvuntur.

(a) Sap. 6.

XXII. Al-

XXII. Alterum, qvod qvasi per conseqventiam qvandam Majestati civili terminum figit, & ipsa subjectis supernâ auctoritate concessa *libertas* ab hâc est, in facto rerum existere, vel consentaneum est ipsi modo cõmemoratæ restrictioni, qvæ potestati huic ipsi subjectorum intuitu fit; Cum unumqvodqve, qvatenus alterius in sese potestas restricta est, ab ea liberum est. Apparere autem existimem rem facile, etiam à parte concessæ ipsius libertatis. Sanè, qvod jure naturæ divinôq; ne permissum qvidem, sed & injunctum cuilibet hominum sit, ne ullius potestatis, eoqve nec civilis, vigore aut timore eò sese perduci patiatur, ut blasphemus in DEUM creatorem, turpis in parentes, perfidus in patriam, crudelis in qvemlibet innocentem existat, tralatitium est. *Vosmet judicate*, respondebant aliqvando civiliter potestatem in sese habentibus sancti salvatoris nostri discipuli (a) *An justum sit in conspectu DEI, vos potius audire qvàm Deum.* Deinde verò & si ipsum finem civilis societatis inspicias cujus obtinendi gratiâ, & hæc potestas inibi constituta est, & singuli sociorum sese ei subdiderunt, utiqve multam libertatem exinde sibi spondere ipsi habent; uti nempe, donec neminem injuriâ afficiunt alterum, sibi suisqve commodis qveant invigilare, necessaria vitæ per media licita acqvirere, etiam qvæ à sociis, aliisqve debita ipsis sunt, perseqvi. in qvibus ac ejusmodi, tantum abest, ut à potestate imperantis jure impediri qveant, aut libertate hâc privari; qvin potius ab eadem, secundum ipsiusmet officium à fine societatis ei admensuratum, qvô curare habet, ut suum cuiqve per civitatem tribuatur, juvari debeant. Posset per omnes societatum species hic, ab utrôqve hoc modò apertô fonte simile perfluere, ostendi; qvomodo scil. cum obligatione agnoscendi potestatem supereminentem, conjuncta sit subjectis libertas qvædam, eidem in qvibusdam non parendi; sed qvid opus est probare per similia, qvod clarum est ex sese. Puto manifestum esse, terminis suis non carere majestatem Reipubl. absolutam.

(a) Act. 4, 19.

XXIII. Cæterùm, qværeret fortassis adhuc hoc loco aliqvis: Qvid rerum futurum sit, si excedat superior Reipubl. Imperans terminos potestatis suæ: an resistere subditi, suamqve libertatem tueri qvôvis modô jure possint? Certè hic est, si ab altera parte libertinariâ confluere facias procaciam, ubi lacuna residet ac Lerna

malorum, ubi virus concipitur atqve fovetur illud, unde infectis venis corpus civitatis torqveri, tabescere, deficere, imò, qvoad formam ac materiam solet destrui ac conflagrare funditus. Sed ita qvidem videmus fieri, qværitur autẽ nobis qvid fieri deceat, & qvidem à subditis, si contra suã illã libertatem ab imperio urgeantur. Qvia defensio sui, jurisqve, boniqve, libertatisqve, naturalis est permissionis, cum etiam *qvi non defendit*, ut ait prudens orator (a) *nec obsistit, si potest, injuriæ tam est in vitio qvàm si parentes aut amicos aut patriam deserat*. Imò in iis, qvæ *veluti erga Deum religio* sunt, juris nostri compilatores referunt (b), *ut vim atq; injuriam propulsemus*: qvibus etiam alibi (c) libet adnotare defensionis modum, ubi *vim vi defendere* ajunt, *omnes leges omniaq; jura permittunt*. Cum hæc ita per naturæ justitiam habeant, nescio an non aliqva sui defensio contra injuriam ac præsumptionem eorum, qvi cum majestate sunt, subditis qvoqve jure æqvo indulgenda sit. fortassis in thesi res expedita est: aliqvam scil. defensionem non esse negandam; si modò de ratione ac modo defensionis, juxta varias circumstantiarum figuras, æqvè liqveret. Rem definitu difficillimam, nescio, an qvibusdam tamen universalioribus thematibus qvadantenus comprehenderes. Primò nimirum, convenire subditis, aliqvam excessivam majestatis usurpationem tolerare potius, qvàm temerè ad vim rebellem contra prosilire, atqve hoc ipsum non sine ratione etiam naturalis justitiæ: Cui convenit utiqve, qvò conversatio humana sibi possit constare, infirmitates etiam in paribus nobis, vel tum qvoqve, ubi cum leviore aliqva offensione nostri conjunctæ illæ sunt, sufferre; nedum ut aliqvid duriusculi haud perpeti teneamur ab iis, qvi nobis præcellunt, imò, qvorum aliàs potentiori manui subjecti degimus. ne dicam nihil facilius fore commissu, qvàm ut eum, cui tu reverentiam debes, gravius refragatione offendas, qvàm ille te, eoqve magis injuriosus ei sis, qvàm ille tibi fuerit. Qvin imò huc admodum facit, qvod tales, qvi summæ rei per civitates præsident, multam, imò ubi jam constituti sunt, omnem dependentiam status sui à divina eminentiori auctoritate habent, indeqve munitam obtinent; & qvod plurimùm divinitùs in justissimam divinam temporalem vindictam, à DEO ab immorigeris, sumen-

(a) 1. offic.

(b) l. 2. & 3. de just. & J.

(c) l. 45. §. 4. ad L. aqvil.

mendam excessus illi majestatici indulgeatur. Deus enim est, qvi ut publicis afflictionibus aliis, ita & tyrannis, impietatem populi sui compescere, in justissimô more habet: qvæ autem à Deo immittuntur castigationes, qvis non tenebitur ferre patienter. Sed, ais, qvid operabitur juxta jus tantæ tolerantiæ jus defensionis naturalis ante commemoratum. ℟. Tuemur nos adversus injurias variis modis, vi, deprecationibus, fugâ. Vis rebellis est, qvam non temerè existimem à subjectioribus jure arripi posse, contra eos qvi cum imperio multum eminentiori supra se constituti sunt. Cæterùm qvin justis deprecationibus illi utantur, qvin placidam ostensionem gravaminum adhibeant, aut si aliter intolerabile malum evitare non possint, migrent, nemo in iniqvis computabit. Posthæc, absurdum qvoqve est per naturam, minus malum emendare per id, qvod est majoris perniciei. unde omninò, si qvid tyrannidis robustiore manu, subditi à sese avertere possent, convenientissimum omninò erit, ne inconsideratè ruatur, ne culices colari tententur, ita ut postea deglutiendi sint Cameli. prout fere hunc errorem errare videmus communiter rebelles omnes. Tertio loco fortassis non malè hic licet distingvere gradus libertatis auctoritatisqve eorum, qvi injuriam ab imperio patiuntur; ubi sine dubio plus indulgeret aliqvis pro sua suorumqve defensione illis, qvibus multum juris majestatici communicatum est, qvam qvi ejus aut parum, aut nihil obtinent. Scilicet respectus personarum hic ad qvandam æqvalitatem emergere nititur; minus autem incongrui habet, æqvalibus aut non adeo multũ superioribus pro tuitione sui contra assurgere, qvam qvos altiùs & multum supra nos sortis benignitas collocaverit. Ne dicam plus officii habere, pro multitudine innocentium supernè curæ tuæ commissâ pugnare, qvàm proprium privatumqve solummodò emolumentum manu violentâ vindicare. Deniqve qvartò multum qvoqve diversitatis jus defensionis hic patietur ex modô ipsius tyrannidis. ponatur Nero aliqvis, qvem juvet unô ictu colla totius populi abscindere, qvem delectet cernere conflagrationem captæ Trojæ per villas ac prædia subditorum promiscuè, cui gubernatori lubeat in alto constitutam perforare navem, in qva vehitur & ipse & tanta sub undis non

victura animarum copia. Certè svadebit natura conservatrix, rabidam belluam è medio conservandorum tandem tollere. Ast similiter faciendum, nulla unqvam suadebit civilis æqvitas, Alexandro cuidam, severo licet, Vespsiano, etiamsi nummos odoratos ex inodoris qværat. Ex hisce ac similibus limitum, ad conterminationem potestatis subditorū, libertatem suam adversus imperium tuendi, forsan humana ratiocinatione non adeò difficulter licebit descendere: sed eundum ulterius.

XXIV. Dictum est in præcedentibus de majestate rerumpub. qvô respectu qvibusvè terminis constricta non absoluta esse possit. Videndum porrò qvomodo, qvove respectu sit absoluta? Ni fallor, dicendum est, talem eam esse respectu subjectorum, qvatenus supernè restricta ipsa non est; vel, qvod eodem recidit, qvatenus hi ab eadem superiori auctoritate non liberi h. e. eidem subjecti sunt. Subjectio autem subditorum, qvâ majestatem imperantium respicit, ratione agendorum ad duplex officium videtur referendum. Unum eorum, qvæ perpetuatâ lege ad id pertinent hisqve incumbunt, alterum, qvæ ex momentaneo illorum arbitriô. In iis, qvæ ex lege perpetuatâ ad officium eorum, qvi reipubl. ejusqve dominatui subjacent, pertinent, sunt qvæ jura divina humanaqve naturalia simul ac civilia à qvoqvam exigunt. Jam verò extra dubium est, magistratum, summum imprimis, ad omnium harum legum qvasi custodiam & executionem esse positum: scil. minister Dei & executor divinæ sibi cognitæ justitiæ per civitatem est. (a) De positivo civili simul atqve de naturali jure acciperem illud doctissimi Pomponii: (b) *Qvantum est enim*, inqvientis, *jus in civitate esse, nisi sint qvi jura regere possint?* scil. *tripartitum erat jus* qvod per Romanorum observabatur civitatem: *collectum* videl. *ex naturalibus præceptis aut gentium aut civilibus (c)*. Custodire autem, exeqvi, regere per civitatem hæc jura, nihil aliud est qvâm juxta ea subjectorum officia, seu, qvod idem est, id, qvod per ea qvilibet subditorum qvibuslibet debeat, exigere. Cæterum, præter hæc, qvæ ita qvasi immediatè à clara ac diserta præordinatione legum descendunt, multa in civili vita solent exigenda emergere, qvæ qvatenus nunc hæc aut illa, hoc aut illo modo exeqvenda sint, in multis arbitrio regen-

(a) Rom. 13. Sap. 6.
(b) l. 2. §. 13. de O. J.
(c) l. 1. §. 2. de J. & J.

gentium veniunt tribuenda, veluti, ut tantum nunc tributi colligatur, illæ nunc vigiliæ hôc qvali modô disponantur, judicia hôc processu ordinis exerceantur & consimilia. Dico hæc & hujusmodi arbitrio regentium esse committenda, qvia si cujusvis per civitatem arbitrii essent, per capitum sensusqve diversitatem non possent, qvin ad inextricabilem dilaberentur confusionem, rem inimicissimam omni ordinatæ societati, cujusmodi civitas esse debet: Et siqvidem certis; utiqve nulli magis committenda erunt, qvàm ipsi, penes qvem ordinis directio est; nisi vel iterum ad facilem dissensus ac confusionis contingentiam placeat dilabi; (qvid enim si vim ordinandi habens nollet, qvod alter arbitraretur, aut diversum ab eo vellet?) vel etiam summum regentem non talem velis statuere; utpote qvi ab imperiali alterius arbitriô dependens summus imperans esse neqvit. Summâ, horum duplicis generis agendorum officiiqve respectu, potestas summa civilis in subditos est, eademq; horundem intuitu absoluta. utpote à qvibus obseqvium hactenus non imperium expectat.

XXV. Insignem hic non possum, qvin paucis tangam qvæstionem, qvam hodiè *ad penitùs totô divisos orbe Britannos* furiosis hominum independentium armis depugnari, & ab aliqvibus qvoqve horizontis nostri spiritibus publicatis scriptis diversimodè agitari videas. An nempè, si alicui uni aut aliqvibus per civitatem, Majestas, summumqve imperandi jus concessum est, an, inqvam, eadem cessa concessaqve Majestas, penes universum populum civitatis ita resideat, uti qvicqvid ejus & qvatenus penes imperantem est, à populo dependeat, ejusqve arbitrio obnoxium sit? Statum controversiæ existimo probè esse dignoscendum: videl. non adeò hic illud qværi, utrum, ubi pars aliqva præcipua majestatis uni aut aliqvibus commissa est, pars autem aliis coexistit, hisce arbitrium sit, cohibendi illos intra terminos suæ portionis, nec usurpandi ut proprium, qvod vel alienum vel commune est; Sed utrum eadem Majestas tanta, qvanta uni aut aliqvibus per civitatem aut etiam à civitate credita commissaqve est, ex populari arbitrio dependeat, ejusqve censuræ obnoxia sit? Citra ambages negandum duco propositum. Non motus iis, qvæ præcipua ochlocraticorum argu-

menta pro affirmante sunt: qvasi nempè ita esse conveniat, qvia 1. princeps, Rex aliiqve ἄρχοντες à populo habent commissam hanc potestatem; & qvia 2. eventus vacantiæ, qvid penes populum fuerit, facile commonstrat; & qvia 3. populi gratiâ constituti sunt imperantes; Et qvia deniqve 4. princeps potestas populo sese solet peculiariter, etiam juratò, obstringere.

§. 1. Qvod primum attinet, tantum abest, ut prostabiliendo ochlocratico arbitrio faciat; qvin adversus id inde inferatur: qvippe, ubi præsupponitur, à civitate sive populo certis, alicui aut aliqvibus, potestatem summam in civitatem populumve esse concessam: concessa illa regnanti, eumqve penes, post concessionem factam, extare putari debet, aut ut vicaria atqve administra populi; aut ut ipsi regnanti propria: Hisce enim duobus modis, puto, collectu haud difficile esse, qvod omnes qvas habemus potestates, alii aliis vel in totum vel ad partem soleamus concedere concessasqve habere. Jam ut tanqvam vicaria populi, summa illa per rempub. potestas, ipsis regnantibus sive à populo sive aliunde concedatur, concessaqve habeatur, ut alia taceam, duas imprimis absurditates incurrit. unam, qvâ, qvæ summa esse insignitur, simul non sit summa; qvippe qvod reapse superior aliqva hâc, in populo, per isthuc figmentum, qvo arbitrio illius hæcce obnoxia redditur collocetur. Alteram, qvod ex adversa parte vicaria potestas (Imperantis) constituatur imperium sibi dominanti auctoritati (populi) supereminens. Nisi enim fallor, utcunqve à populo dependentiam Monarchis Demogarchici tribuunt; Imperium tamen vicissim in populum etiam universum iis qvoddam concedunt. Jam verò forsan hoc inauditum est ut qvæ actu inferior potestas est, dominatus simul sit in superiorem, aut ut persona vicaria domina sit ejus, cui est vicaria, v. g. vice Rex Regis, Magistratus qvisqve ejus, à qvo huic sive magisterio sive ministerio magistrali præpositus est. Nisi fortè pactione se ei secundùm qvid submittat. v. g. qvod jus sibi velit ab ea pati dici (a). qvo tamen in exceptionis casu, siqvidem ponatur, populum pacto sese submisisse alicujus imperio, & simul tamen, qvod, qvatenus ex eô pactô sese illi submiserit, eidem is dominetur, ex absurditate in aliam ut lapsus fiat necesse erit, opinor

(a) per l. 14. de jurisdict.

vel

vel ex hisce patere, summam aliqvibus concessam potestatem in populum, ut populi vicariam non posse haberi, nisi summam non summam; vicariam principali dominantem h. e. non vicariam velis statuere. Unde seqvitur eandem summè Imperantibus qvantum ad populum ut propriam collatam haberi oportere: Si igitur ut propria confertur collataqve iis extat vel ab ipso populo etiam. jam per omnem vitam humanam ita observare licet obtinere, qvod, qvæ hominum etiam aliorum propria, ab iisdem aliis hominibus propria conceduntur, in qvantum conceduntur talia, non maneant concedentium arbitrio obnoxia; sed transeant potius hactenus in liberam dispositionem liberumq; arbitrium alterius. veluti si â qvoqvam in alterum dominium, usus fructus & simile jus suæ rei transfertur. Qvare qvia hoc communiter ita obtinet, docere hic debent ochlogarchici, unde in jure regnandi diversum obtineat. qvod qvamdiu non fit, etiamsi ponatur, à populo imperium imperantibus concedi, idipsum à populo tamen non videbitur amplius dependens: qvomodo in specie hac nostra, sine dubio ex lege sua regiâ, qvâ *populus principi & in principem omne imperium ac potestatem suam transtulerat, respondissent Romani*, & in simili secundùm veritatem responderet qvidam serviens, qvi consensu suo sese domino alicui ad omnigenum familiare obseqvium obstrinxisset.

§. 2. Verùm, agite, universales democratici, etiam in fundamento falsi estis, qvô supponitis Imperantes omnes à populo potestatem sibi collatam gerere. Eqvidem indulgentior hic vobis aliqvis esset, si præsupponeretis aliqvem formatum democratiæ statum, cujusmodi forte qvadantenus fuit Romanorum civitati ante Principum hujus occupationē; sc. qvod tum Majestatis sibi occupatum ante usurpatumqve habet populus, alteri potest commisisse. At unde qvæsò à vobis edocebimur, qvamvis hominum multitudinem, illud civitatis superintendens Imperium obtinere, qvæ variô forte casu, variâ fortunâ dominatum qvendam civilem subit, veluti si forte à qvodam Romulô aliqvi in condendam novam urbem producuntur, seqventes singuli hujus voluntatem & auspicium, hisce deinde accrescant alii; si qvidam Gvilhelmus Conqvestor homines alieni juris regniqve, ab illô alterô jugo liberat

rat & sibi subjicit, iidem autem consentiunt tandem in hujus ejusdemqve successorum in sese imperium, per multas utrinq; generationes? An non in hujusmodi casibus populus subiit potiusqvam attulit imperium; subjectumqve sese reddidit Imperio, non Imperantibus dominantem se constituit? an verò dicendum erit, scopas dissolutas, eô ipsô qvod in cumulum coacerventur aut etiam colligentur ab aliqvo, ipsum coacervatorem colligatoremqve sibi subjectum reddere eidemqve imperare incipere? Si cum Justiniano Imperatore (a) conseqventia nomina rebus esse studere cupimus, nescio, an non rectius in hujusmodi casibus, multitudo sese subjicere potestati Imperantis aut imperaturi, inqve eandem vel expressô vel tacitô qvôdam pactô consentire transireq;, qvàm eandem illi conferre, dicenda sit.

(a) §. 3. J. d. lonat.

§. 3. Verùm, posito qvod etiam hic ochlocraticis largiamur, Imperium sui penes ipsam omnem multitudinem populi, anteqvam certo aut certis qvibusdam id defertur, existere. An asserere audebunt, postqvam jam transtulit illud in unum aut aliqvos populus, penes eundem idem adhuc residere, & qvicqvid ejus illi aut illis concreditum est, ab hoc dependens esse? contra illud indubitatæ veritatis (b)) *Non est potestas nisi à Deo: Qvæ verò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. itaq; qvisqvis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Nam principes* (nota applicationem ad personam) *non terrori sunt bene agentibus sed malè. Dei minister est tibi in bonum, time non enim frustra gladium gestat. Nam DEI minister est &c.* & illud ante qvoqve adductum (c): *Audite Reges, & intelligite, discite judices finium terræ, qvi continetis multitudines, qvoniam data est à DEO potestas vobis & virtus ab altissimo;* & iterum illud divinæ sapientiæ (d): *per me Reges regnant.* & alia huc pertinentia divina oracula qvàm plurima; ut taceam, nimiam freqventiam, qvâ illud *Nos DEI gratiâ* civilis nomothetica inculcat, *Imperium à Deo hominibus imponi* asserens (e); idemqve *in maximis DEI donis referens à superna clementia hominibus collatis* (f) *creditumq; à DEO commissumq; Imperantibus* (g). Nisi fallor ad *hanc dependentiam* constitutæ jam majestatis, boni ochlocratici non satis animum advertunt: haud satis considerantes Deum de cœlo esse, non subjectos, à qvo & collata illa & munita sit,

(b) Rom. 13.

(c) Sap. 6.

(d) Prov. 8. 15.

(e) Constit. de confirm. ff. §. 18. (f) N. 6. pr. (g) N. 85. pr. add. 68. pr. & passim.

ita sit, etiam ad qvandam injuriosam administrationem usqve (a); (a) 1. Sam. 8.
licet in collationis instrumentis fortè ipsi electores subditi fuere, qvi proinde tanqvam ex qvadam ejus, qvi supremus omnium est, cõmissione regem constituerunt supra sese non autem, ut forte rex aut aliud reipub. consilium, magistratus solet alios, infra. Tantum de primo adverso argumento, qvô qvidem rejectô & re ipsa simul in meliorem sensum commutatâ, de reliqvis, opinor, expeditio est facilior. Ubi qvidem

§. 4. Imprimis secundum, qvod à signo vacantiæ est, per præmissa hæc labascit. positô enim, qvòd populus alicujus civitatis, sublatô aut sublatis iis personis, qvi cum Imperio hactenus fuerunt, jam illud penes sese habeat, (licet, propriè loqvendo, libertatem magis ab Imperiô, qvàm imperium ipsum aliqvod sibi constitutum, habeat) utiqve vel retinebit id sibi commune, (aut, ut malim, id sibi commune mutuis compactionibus constituet.) vel in certos rursus conferet, certisqve sese vicissim submittet. si retinet, aut sibi id confirmat, qvatenus citra cujusqve injuriam id fit factumqve est, nemo id ipsi communioni negabit. sin verò certis qvibusdam idem Imperium rursus permittit, eidemqve sese subjicit; in qvantum utiqve id permisit seqve subjecit, idem non potest habere amplius penes sese. neqve qvod hoc modô, consensu suô alienavit inqve alterum transtulit, per legem naturæ, qvæ conventiones firmat, ab illo sibi pro arbitratu revocare poterit. qvippe & rediit res in personis qvibus talis collatio facta est ad priorem majestaticam independentiam. Ecce igitur qvantillum ex hoc argumento Democratici juventur.

§. 5. Tertium argumentum ab objecto ejusqve boni intuitu petitum leve est; & tale, de cujus, qvæ, qvalis, qvanta, conseqventia, sit qværas; colliges enim confestim ita: cujus gratiâ cuive bono aliqvis constitutus est, ab illius imperio ipse dependet; præceptor discipuli, pastor gregis, procurator causæ curandæ gratiâ constitutus est: E. à causæ, gregis, discipuli Imperio dependet procurator, præceptor, pastor. adde ergo & à populi, constitutus Imperator. scilicet insignis hic latet paralogismus *non causæ*, qvando

fini bonoq; subjecti tribuitur, qvod est à commissione superna, ac subjectione facta propria subditorum.

§. 6. Sed qvartum, qvod objicere possunt ochlocratiæ defensores, nempe obligari tamen communiter Imperantes ipsi subdito populo: & qvidem obligatione sæpius juramenti religione firmatâ: hoc inqvam rationis, fortassis nonnihil plus valoris habet, qvam omnia qvæ unqvam pro dicto isthoc asserto ochlocraticô in medium proferri possunt. Qvod ferè vix fiat, qvin ei, cui obligamur, in aliqvo obnoxii simus, & ille aliqvid dominantis potestatis in nos habeat, prout, hoc c. 4. supra h. lib. fuit ostensum pluribus: Unde videri posset, qvia subditis, tantæ multitudini hominum, obligatus est summus civitatis præses, eundem juxta suum dominatum, & fortassis cum eo eidem qvoqve multùm obnoxium, subjectumve esse; maximè, si etiam juramentô vinculum istud constrictum sit. Verum & hæc res in fundo expeditu facilis est, modò attendatur, primò obligationis, qvâ qvis alteri obstrictus est, non simpliciter esse, ut dominatum ejusdem in eandem personam è medio tollat, qvomodo videre est, in officiosa illa patris, mariti, domini potestate; ratio est, qvia id, qvod personis versus personas dominatus nomine præcipuè ac magis propriè venit, in præeminentia qvadam potestatis præ obligatione huic in eadem persona conjuncta, simul ac in præeminentia ejusdem potestatis præ potestate in persona opposita adversum se constituta, consistit: licet enim cujuslibet potestatis personæ in personam aliqvid qvasi dominantis naturæ est; non tamen tantæ extensionis aut claritatis id statim est, qvin ipsum hoc præfulgeat alterum è regione positum luminare dominationis clarius, qvod id ipsum, qvasi splendidiores dominatus radios circumjaciens, obfuscet, nec apparere, eoqve nec nominari hoc tali nomine faciat, qvicqvid fortè, similis naturæ in subjecta persona vicissim posset aliàs deprehendi, siqvidem separatim positum in conspectum daretur. Unde igitur videri potest, si qvid subditi potestatis exigendi officii ab Imperante, ratione obligationis, qvâ obstrictus illis factus est, habent, qvia id tenue fortè est, præ illa potestate, qvam imperans in hos habet, vel in atten-

tentionem alicujus contra hunc dominatus non posse venire, nedum ut propterea is subditus subditis debeat æstimari.

§.7. Deinde omninò hic qvoqve attendendum erit, ad qvid rei se subditis obligavit Imperans. Nam si obligavit sese, qvod, vel omnia vel qvædam eorum, qvæ propriè ac præprimis Imperii sunt, nolit exercere, citra consensum & approbationem vel omnium vel qvorundam subditorum, jam qvidem qvatenus citra hunc consensum is non habet potestatem imperandi, non qvidem subditus est civium, ast majestatis restrictæ, atqve communicatæ est, & ipsi, (qvi dicuntur licet, subditi, vel omnes vel pars) utiq; nec Domini qvidem personæ præeminentiori exinde sunt, sed tamen hactenus in communione qvadam majestatis cum hac sunt. sed hic qvidem casus, (qvamvis ne eô qvidem, ut modò bis additum est, cives domini Imperantis, aut Imperans subditus civium fiat) extra qvæstionem est. qvando videl. id qværitur, an ab iis majestas imperantis dependeat, qvibus, ut merè subditis, tamen ad qvædam sese pacto placitoqve is obstrinxit. Ubi notari potest, repeti posse & qvasi in stipulationem deduci eam obligationem, qvâ jam ante ratione officii ex lege naturæ ad commune civitatis commodum princeps potestas est obstricta: & sic qvidem nihil novi videbitur induci, unde imperans subditis subditus fiat; sed tantum id svavioris conjunctionis & mutuæ fiduciæ introducendæ ergò manifestabitur subditis, ad qvod ipsis, per auctoritatem, non suam, sed superioris cœlestis domini, obstrictus est, à qvo scil. & officium & Imperium, sibi commendatum gerit; cujusqve adeo obligationis officiiqve respectu non subditis sed illi subjectus est.

§. 8. Sin autem porrò qvædam specialiter in obligationem hanc sunt deducta: ea beneficia erunt subditis præstanda, vel faciendi, vel omittendi actu. si qvædam singulariter imperans promittit subditis aut civitatis commodò facere, & illa qvidem imperandi rationem non concernunt; v. g. ex propriis fortunis tot aureos per capita distribuere, ædificium aliqvod civitati exstruere, tot armatos ex suo in tutelam publicam conducere: jam obligatus is videri potest ad hæc, ut qvilibet alius alii, obligatione qvadam qvasi crediti: qvam scimus, nisi ferè ad usq; animæ debitum intendatur,

I i 2 ne pri-

ne privatis qvidem dominii aut subjectionis rationem, qvæ qvidē notabilis sit, ad invicem inferre; qvod si verò imperandi modum tangunt promissa v.g. ut non nisi statô certôqve ordine, modôqve judicia exerceat; ipse in persona, non per legatos, certis negotiis publicis adsit &c. nunc qvidem iterum ipse Imperans aliqvam Imperii constrictionem videtur pati: & per conseqvens aliqvam subjectionis limitationem in subditis qvoqve admittere; non tamen illam, qvâ subjectus ipse subditus fiat, qvoad ipsam potestatem majestaticam, qvam concessam in eos legitimam habet. Ubi qvidem existimem in genere esse notandum, licet persona imperantis subditis possit variis modis obstricta esse, nunqvam tamen ipsam potestatem, qvomodo, qvanta, qvalis, penes eam legitima ac libera est, neqve etiam personam qvatenus seu in qvantum tali qvâdam majestaticâ potestate prædita est, obnoxiam arbitrio subditorum esse.

§. 9. Qvod præterea attinet obligationem omittendi imperantis, subditis specialiter ab eô acqvisitam v. g. ne his illis tributis eos oneret, ut illa aut illa corpora suô more permittat vivere, & qvæ sunt ejusmodi reliqva. hæc manifestè libertatem qvidem qvandam subditorum à potestate Imperantis infert, non autem imperantis, ejusqve qvam habet Majestatis subjectionem aut dependentiam ab iis, qvibus hæc ab illâ potestate libertas competit. neqve enim qvi tuæ potestati exemptus, liberqve ab ea est & qvatenus, tibi vicissim statim imperat, aut à sese te dependentem novit. Est hæc libertas subditorum, qvæ privilegiorum nomine communiter venit, qvam, existimo, accuratè distingvendam esse ab eo jure, qvod est in aliqvem dominatus; & facile simul patebit, eandem non idem esse cum illo, qvod in imperantem superintendens majestaticum jus populi sibi fingunt ochlogogi. Qvibus hic nihil amplius potest indulgeri, qvàm qvod per hanc privilegialem qvādam subditorum exemptionem aut libertatem, majestas imperantis in hos qvosdam privilegiatos restrictior sit. Cujus tamen nec abusus averruncatio simpliciter in arbitrio privilegiatorum est, nisi cum modo ac moderatione thesi 23. adnotatâ.

§. 10. Ubi tandem neqve id offendere debet, qvasi civitas, in

qva

qva ſubditi communiter multâ libertate, multâqve exemptione gaudent, nec tamen notabiliter publicæ diſpoſitivæ architectonicę poteſtatis participes ſunt, qvaſi, inqvã, talis civitas plenâ ac abſolutâ majeſtate careat: qvippe poſitô, qvod hoc ita in exercitiô verſetur, aut eô morbô respubl. aliqva laboret; an ideo corpus vivens morbidum non corpus vivens dixeris? qvin ut eſſe reipub. ſtatuatur, ſufficere poterit, ut modo id majeſtatici ſpiritus actu trahat, qvô utcunqve ſuſtentetur. atqve hoc eô minus abſonè, qvò magis cognitum eſt, ob legitimas naturæ poſitiones, per nullam rempub. majeſtatem eſſe per omnia liberam. niſi forſan, ne huc confugere opus habeas, dicere malis, in caſum ſalutis neceſſitatisqve publicæ ubi ſcil. illa aliter curari neqveat, omnia & privilegia & privilegiata plenæ arbitrariæ majeſtati civitatis ſubjecta exſtare, & ipſam qvidem majeſtatem, qvoad hæc regularis exercitii ſuperioritati aliàs exempta, in communitate conſiſtere, perqve pluralitatem conſentientium exitum habere; ita tamen, ut qvi in cæteris maximis regulariter imperans eſt, tanqvam communis ſalutis publicæ cuſtos conſtitutus, in his qvoqve plurimum valeat, etiam ſolus, ſi momentaneum res poſcat exitum. Qvicqvid autem horum omnium tandem ſit, ex dictis patere putem, nullô caſu majeſtatem Imperantem, ſeu etiam ipſos imperantes qvatenus tali poteſtate per rempub. præditi ſunt, ſubjectos eſſe ſuperattendenti arbitrio ac majeſtati populi, ſibi ſubjecti; id qvod contra ochlocraticos probandum erat. Qvibus ſi juramentum qvoqve, ab imperante ſubditis fortè dictum, urgere placeret, mantiſſæ locô regererem: juramentum promittentis non addere obligationi, ſed firmare eam, & qvidem per obſtrictionem, qvæ non tam homini creditori, qvàm ipſi Deo creatori facta eſt.

XXVI. De cætero, qvandò & aliàs & ex proximè dictis ſimul elucet, ſubjectum majeſtatis inhæſivum ſive partem perſonarum imperantem per civitates, non eſſe uniusmodi: operæ pretium fortè eſſet, ex politicorum obſervationibus hîc attexere, deductumq; reddere, qvomodo contingat, hanc rerumpub. ſuperioritatem modò penes unum, modò penes pauciores aliqvos, modò penes qvàm plurimos aut omnes reſidere: eosdemqve vel bonos, & com-

munem salutem maximè curantes; vel optimatum charactere minùs propriè consignandos, & qvi, neglectô communi, suum emolumentum, præcipuè, vel etiam omnibus modis intendant. Et porrò qvomodo ab hac, hujusve subjecti distinctione, Majestatisq; per hoc distributione, respub. ipsæ qvàm maximè in species diversas vulgatissimô Politicorum usu distingvantur. puta Monarchiã, Oligarchiam, Democratiam: & illam vel Regnum vel Tyrannidem; istam Aristocratiam & oligarchiam in specie dictam; hanc rempub. vel in specie democratiam: & deniqve in infinitæ varietatis ex his simplicibus, respub. mixtas: Qvomodo deinde hæ species rectissimè constituantur, foveanturqve, ut majestas statusqve singulis immoti maneant, qvibus remediis vacillantibus succurrendum sit: Porrò qvomodo exserat sese directrix hæc potestas in exercitium, per subordinatos magistratus ministrosqve variæ expeditionis, per jurediciale ministerium, armorumq; compulsionem: qvalis horum omnium constitutio, qvæ summi juris participatio. Hæc dico & hujusmodi tantum non innumera, circa subjectum imperans majestatemqve civilem juxtà discutienda veniunt. Verùm, qvia id esset, maximam partem disciplinæ politices apponere, atq; hoc qvidem nostrum institutum nunc non patitur: venia horum nobis erit, si modò potissimam ipsius Majestatis vim potissimorumq; actuum ejus nervum paucis subnotemus.

XXVII. Nervus itaqve virtutis majestaticæ in genere considerata, erit vis *statuendi* seu constituendi aliqva, circa Rempubl. totam ejusqve partes: statuere enim ut aliqvid fiat, sit aut obtineat, & hoc cum effectu & paritione omnium in civitate, absolutæ supremæ potestatis primum ac ultimum videtur esse. Aristoteles aliàs voce concreta ex modô, qvó ratio hæc constituendi initur, & subjectô constituente τὸ βουλευόμενον (addit) περὶ τῶν κοινῶν, appellat, *consilium seu partem civitatis consultantem circa publica* (a) Nostri, ad partem hujus vis, deliberatorum seu statutorum executivam respicientes *Imperium* efferre amant. *Potestatis verbum*, qvando plures significationes ejus recenset Paulus, (b) *in persona magistratuum imperium denotare* primo loco ponit. ubi qvidem animadvertere licet, vocem imperii, communicativè etiam ad magistratus pro-

(a) 4. polit. c. 14. add. §. 11. ib. consuli. l. 2. de O. J. (b) l. 215. de V. S.

propriè dictos, h. e. ministros & subordinatos majestatis referri, (a) qvomodo & ipsa vox majestatis qvandoqve usurpatur (b): propriè tamen & qvasi primariô sensu & majestatem & imperium de potestate suprema reipubl. accipi: qvando toties Imperii, ut & majestatis populi Romani, & inde Imperatorum imperatoriæqve majestatis fit mentio (c). Si autem species illius generis sibi cupiat in conspectum qvis dari, facile ex ipso genere ejusqve amplitudine, qvâ consistit in deliberando, statuendo, imperando omnia, qvæ ad publicam civitatis civiumqve omnium salutem & competentiam pertinent, colliget: harum magnum esse numerum; & si ad omnem rerum ac negotiorum ordinandorum varietatem in specie accommodare velit, majorem qvàm qvi inire facile possit. Cæterum cum neqve id opus videatur esse, per usum sui ipsius ad data universalia suppletorium; politici ferè solent contenti esse, certis generibus easdem majestaticas facultates concludere; reliqvas sub hisce contentas distinctiones ac species, usui & facili cujusvis intellectus subsumptioni, ut & specialioribus tractationibus committentes; Hinc Aristoteli (d) τὸ κύριόν ἐστι τὸ βουλευόμενον περὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης, καὶ συμμαχίας, καὶ διαλύσεως, καὶ περὶ νόμων, καὶ περὶ θανάτου, καὶ φυγῆς, καὶ δημεύσεως καὶ τῶν εὐθυνῶν. *Majestas consultat de bello & pace, de fœderibus pangendis ac dissolvendis, de legibus, morte, exilio, bonis publicandis, rationibus.* Adderes expressius qvæ sub περὶ τῶν εὐθυνῶν, περὶ πολέμου ac reliqvis nonnullis philosophus videtur complecti voluisse, *jus indicendorum exigendorumq; tributorum, vectigalium, operarum, administrandi negotia bonaq; publica & judicia, seu potius supernè advertendi in commissos administrationum, omnis generis publicarum curationum & judiciorum*, hoc est, Magistratus & judices; hujus auctoritate omnia qvæ hujusmodi possunt peragentes. prout pluribus in constitutione qvadã Friderici Cæsaris (e) & alibi passim per annotationes legitimas jura isthæc particulatim recensentur.

XXVIII. Pro confirmatione rei, qvod hæc & hujusmodi, uti sunt supremæ majestatis, ita & communiter ad eam tanqvam propria referantur, inter alia delibare libet exemplum ex Romanorum civitate, inter potentissimas ac celeberrimas, qvas unqvam habuit mundus, prima, de qva, ubi jam ad principes summa rerum de-

(a) l. 3. d. Jdict. l. 1 §. 1. ad L. jul. Maj. l pẽ. de just. & jur. (b) l. 9. de Jdict. d. l. pẽ. de J. & J. (c) l. 3. ne qvid in loc. pub. l. 7 §. 1. d. capt. & postl. proœm. Instit. l. ult C. de ll. & c. confirm. ff. ad senat. & omn. pop. It. ad Magn. sen. & pop. & omn. civ. §§. 18. (d) lib. 4. polit.

(e) II. F. tit. qvæ sunt regalia.

lata erat, nullus temerè dubitabit, fuisse eâ monarchici regiminis; τὸ κύριον, ipsam majestatem, totiusq; Reipub. architectonicæ potestatis caput penes imperatorem resedisse liberum: utpote cui & in qvem populi omne imperium ac potestas concessa transiverat (a); qvi Deo solo idipsum acceptum ferebat (b); cui uni per Rempubl. datum erat, *ut qvod constituisset ratum esset* (c), ipse verò etiam legibus humanis solutus esset (d). Cui qvidem porro isthæc jura etiam in specie videre est in Romanis legibus pluribus adseri: qvando nempe de jure belli ac pacis, Justinianus, (e) ubi præmiserat ejus juris aliqvid olim consulibus decretis populi obvenire solitum, addit: *Seqvens verò tempus in Imperatorum pientissimorum transponens bellandi & pacificandi potestatem &c.* & magnificentius alibi (f) *Imperatoriam Majestatem armis decoratam principem Romanum in hostilibus præliis victorem existere, victis hostibus triumphatorem magnificum fieri oportere*; & hæc ita, ut nulli qvidem alii, sub criminis Majestatis pœnâ, armorum usus permissus esset. *Nulli*, inqviunt Valentinianus & Valens Impp. (g) *prorsus nobis insciis atqve inconsultis qvorumlibet armorum movendorum copia tribuatur.* & per responsum Marciani JCti (h) *lege Julia majestatis tenetur, qvi injussu principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit.* Ab hoc jure jus qvoq; pangendorum *fœderum* dependens ab Impp. usurpatum, toties pax ab iis facta, tot bellicæ societates initæ, plusqvam manifestò evincunt. In curandis ad intra Rempubl. *legum ferendarum jus*, qvod etiam suô modô universale, & caput omnium jurium Majestatis appellari posset, si leges ferre, pro mandare, ac per jussa majestatica disponere omnia, qvæ per Rempubl. fieri oportet, accipias. Hoc, inqvam, sive ita sive specialius, prout à qvibusdam forte momentaneis ordinationibus distingvitur, accipias, solius qvoqve imperatoris erat, cum iis qvæ circa disponenda venire solent, veluti si privilegia concedenda, interpretatio legum, exitum aliàs non habens, facienda erat. *Tam conditor qvàm interpres legum solus Imperator justè existimabatur* (i) juxta Justiniani effatum. à qvo etiam privilegia proficiscuntur (k). Qvò pertinet jus *dignitates ac honores* certis *largiendi*, in qvo etiam reges populorũ ponere ac deponere sibi Impp. sumpserunt; scilicet loqvente Tacitò (l) *inter instru-*

(a) §. 6. de J. N. G & C. (b) pr. constit. de concept. ff. N. 47. c. 1. (c) l. 2. §. 11. de O. J. (d) l. 31. de ll. (e) N. 105. pr. (f) procem. Instit. (g) l. un. C. ut armorũ usus inscio Principe interdict. sit. (h) l. 3. ad L. Jul. Maj.

(i) l. fin. C. d. ll. add. Const. 1. de confirm. ff. §. 21. N. 143. pr. l. 2. §. 11. de O. J. (k) l. 1. §. 2. de const. pr. (l) in vit. Agr.

strumenta servitutis & reges habentes. Nec attinet multis dicere, qvomodo abolitis veteribus, novas dignitatum & species & gradus qvamplurimos introduxerint iidem Impp. pro arbitrio; ut apparet ex tit. C. de dignitatibus & seqq. ex Notitia imperii, & relationibus passim factis. Qvin affatim videre est, qvomodò etiam qvoad minores prærogativas, auctoritas hisce solis competierit, *civitate donandi* (a), *natalibus restituendi* (b), *legitimandi* (c) *veniam ætatis concedendi* (d), communitatibus *nundinas* (e) hisdem & certi ordinis hominibus v. g. *fœminis, minoribus &c.* (f) imò singularibus personis (g) *beneficia ac privilegia* varia indulgendi. *Pœnas etiam capitales remittendi.* (h) Cui ultimo alterum aliqvod caput, qvod vulgò statuitur, propinqvum est, *judicium* nempe, sive *suprema jurisdictio.* Nam etsi judicia vel in minoribus Rebuspubl. nedum in tanto imperio, impossibile sit, ut à consilio ipso summo administrentur omnia, sed à subordinatis commissis, sæpe etiam per varias subordinationes peragenda sunt; fons tamen Jurisdictionis, & suprema in ejus exercitium attentio penes majestatem residet, cui plerumqve etiam eô nomine sua peculiaria summa judicia & consistoria sunt ordinata, qvibus vel ipsa illa vel etiam nomen ejus atq; auctoritas proximè præsidium præbet. ad qvæ velut ad ipsam superioritatem eminentem ab inferioribus judiciis in causa denegatæ vel frustratæ justitiæ provocatio instituatur; ab ipsis verò non amplius provocetur; juxta qvam etiam in Imperio romano accidit principali cognitioni, ejusqve senatus (i), & cui id jus specialiter tanqvam suo vicario judici forte concesserat Imperator, ut præfecto prætorio (k); relictô licet remedio supplicationis ad principem. Et sub hac qvidem universali jurisdictione, qvod ex reservatis populi olim (l), jus vitæ & necis summum & propriū penes principem utiqve fuisse, deprehendere est. Qvæ autem in judicia, eadem qvoqve suprema principis inspectio in magistratus fuit reliqvos. qvin eorundem primorum omnium constitutio penes ipsum solum fuit (m). Itemqve jus sacrorum, qvatenus humanæ dispositioni illud subjacere potest. qvomodò vel in Româ constitutâ sub Ethnicorum Imperio *Impps. Deûm munere summos pontifices,*

Kk

(a) l. 17. d. stat. hom. l. 1. C. de metropol. Beryt.
(b) l. 1. 2. & ult. de natal. rest.
(c) N. 74. c. 2. N. 89. c. 9.
(d) t. t. C. de his qvi ven. ætat.
(e) l. un. C. de nund.
(f) t. d. colleg. & corpor. l. 30. C. qvi potiores in pign. t. ad SCtum Vellej. t. de minorib. d. restit. in integr. &c.
(g) l. 1. §. 2. de cōstit. princip. l. 2. §. 16 ne qvid in loc. pub.
(h) l 4. in f. l. 9. §. 11. in fin. l. 27. & l. 31 d. pœn. l. 10. & & t. t. C. de sentent. pass.
(i) l. 1. §. 1. & seq. à qvib. appell. nō lic.
(k) l. un. C. de sent. præf. prat.
(l) l. 1. §. 23. de O. J.
(m) per l. 1. pr. de ambit. l. 3. & fin. C. de crim. sacril. l. un. C. ut nulli patriæ suæ administr. pertinent tit. multi lib. 1 ff. lib. 1. & tribus ult. cod.

(a) 3. annal. (b) in Epist. dedicat. tom. 3. Constit. Imp. (c) lib. 1. pē. & ult. ff. lib. 1. & 3. ultimis C. (d) N. 47. (e) l. pē. & ult. C. de vestib. holoberis. lib. 10. l. 6. C. de divers. rescript. (f) lib. 2. cōt. App. (g) Rom. 13. 1. (h) 1. Sam. 8. 7. (i) 1. Sā. 12. 12.

ces, summos homines, ut de Tiberio loqvitur Tacitus (a), legimus habitos. similiter id de Christianis Imperatoribus ex Zosimo, Balsamone & aliis constare memorat Goldastus (b), Pontificis maximi jus eos sibi vindicasse ne dicam de praxi ordinandorum rituum, convocandorum conciliorum, similiumqve per Impp. circa rem religiosam ordinatorum. Jus fisci publici habendi, vectigalium, collectandi, vacantia & commissa occupandi, oneraqve complura alia personis rebusqve imponendi, iisdem principibus per Imperium fuisse, modo non innumeris juris nostri textibus (c). probatur. mitto complures personales eminentias reliqvas, qvibus vi Majestaticæ dignitatis, qvâ decorati erant, honorabantur, titulorum, denominandorum temporum (d), purpuræ, (e) & similium.

XXIX. Libet paucis qvoqve subjicere exemplum Reipub. Hebræorum antiqvissimæ, ejus nimirum temporis imprimis, qvô nomen θεοκρατίας, qvod jam olim Josephus rerum Judaicarum politissimus scriptor (f), ei dedit, maximè peculiari modô ipsi conveniebat, intelligo ante ætatem Regum; scil. singulari hôc vocabulô, qvid præ aliis monarchiis, ubi penes *unum hominem* summa potestas est, præcipuum hæc respub. habuerit, exprimitur. Ut tamen interea è genere monarchicô non eximatur. Et verô Deus, non qvidem communi illô modô tantùm; qvô *non est potestas, nisi à DEO* (g), qvô per universalem naturæ legem, omni mundanæ potestati præsidet, qvô in finem generalem ac bonum universale, etiam rerumpublicarum consilia flatus, qvæ appellamus, tandem dirigit; sed & peculiari modô, αὐτοκρατίαν hujus populi sibi tributam voluit, rex ejusdem sigillatim audire cupiens, & præcipuorum jurium Majestatis exercitium suo arbitrio servans. Qvod peculiari ratione regem se gesserit Israelitico statui Deus, ipsius ferunt verba ad Samuelem prolata, qvando populus ille eo pruritu processerat, ut regem hominem sibi præoptaret flagitaretqve (h): *Audi vocem populi in omnibus, qvæ loqvuntur tibi: non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Et porrò hæc Samuelis ad populum (i): *dicebatis mihi: Non tu, sed rex nobis dominabitur, cum tamen Dominus Deus vester regnaret in vobis.* Idem agnoscebat Gedeon, qvan-

qvãdo re bene gestâ qvibusdã ex Gẽte Israeliticâ qvi, ipsi & posteris ejus regnũ addicere vellent, modestè regessit(*a*): *Ego non dominabor vobis, nec filius meus, sed Jehova vobis dominabitur.* Expressit rem ita Siracides (*b*) : *In unamqvamq; gentem præposuit rectorem, pars DEI Israel facta est manifesta* qvæ postrema Germanicus vertit interpres: Uber Israel ist er selbst Herr worden. Qvod autem ipsa præcipua jura majestatis attinet, Deus hîc erat *conditor & interpres legum.* Conditor, qvando in monte Sinai, repetitâ primùm universali atqve æternâ naturæ lege, qvam moralem dicimus, peculiaria insuper multa longè æqvissima atqve optima ad varia vitæ negotia & ad forum, qvod dicimus, pertinentia, forensia statuta conderet, simulqve pro singulari fine, qvi erat ἐν τύπῳ repræsentare salutem mundi, usqve dum Salvator mundi veniret, seqve in carne humanâ manifestaret, admirabili sapientiâ instituta ceremonialia ordinaret qvàm plurima. additâ his omnibus cautione, ne qvicqvam privato ausu hisce vel adderet vel demeret populus(*c*). ut leges ita & privilegia dabat ipse Deus v.g. Levitis, ut perpetuò, aliis qvibusdam, (veluti qvi noviter vineam qvandam excolere cæpissent, ædes exstruxissent, necdum eas incolere cœpissent, uxori se despondissent, necdum domum eam duxissent) ut usqveqvò immunes à militiâ essent(*d*). Legum in casibus non liqvidis interpretatio; & cum hac *suprema jurisdictio*, qvatenus apud Deum hæserit, complura docent exempla consultationum, tum in civilibus tum in criminalibus ad eum delatarum, & ab ipso datarum responsionum, ac mandatorum(*e*). qvin inconsultus & extra ordinem promptâ qvasi ac immediatâ regiâ manu, ad pœnam criminosos rapere solitus ipse Deus(*f*). Notabile est illud qvasi aulicum summum Dei judicium institutum in hoc populo, ex sacerdotibus Leviticis, & eorum præside summo sacerdote constans, in causis dubiis adeundum, ejus auctoritatis, ut à latâ ab illo sententiâ non esset digressio, aut appellatio; ejusqve justitiæ, ut si modò rectè perageretur consultatio, adhibitô Urim illô sive *rationalt judicii*, infallibilis veritatis esset. (*g*). Deinde *Magistratus* maximæ in populo auctoritatis immediatâ vocatione à Deo *constitutos* probant exempla Mosis, Josuæ, & complurium aliorum; imò ad inferiores usqve qvandoqve descen-

(*a*) Judi. 8. 23
(*b*) cap. 17. 15.
(*c*) Deut. 4. 12.
(*d*) Num. 1. Deut. 20.
(*e*) Nũ. 15. 21. 27. 36. Lev. 24
(*f*) Levit. 10. Nũ. 11. 12. 14. 16
(*g*) Deut. 17. v. 8 & seqq.

(a) Num. 11. 13 & seqq. cap. 2. (b) N. 25. & 31. lib. Jos. (c) Nū 1. Deut. 20 (d) Nū. 20. & Deut. d. cap.

debat divina isthæc ordinatio (a) similis erat ratio *gerendi belli*, cujus arbitrium penitus ipsi reservaverat Deus: Ipse & jubebat gerere, & modū præscribebat procedendi adversus hostes (b), itemq; aciei formandæ (c) & ubi jam exierat exercitus, *in medio belligerantium, ipse erat & pro ipsis contra hostes pugnabat* (d). Sed tantum etiam ex hoc exemplô sufficiat annotatum. Qvadraret loco, ut qvasdam qvoqve alius generis respublicas excuteremus, olicharchias nempè, democratias, mixtosqve status; juraqve majestatica inibi oligarchicis, democraticis tributa exercitaqve spectaremus: verùm longum id foret, nec fortassis multum interest, id hic omisisse, qvando mutatis tantùm personis imperantibus horumq; numero, per dicta, de similibus idem facile sumere est judicium.

XXX. Civili absolutæ societati qvæ subjectæ sunt communiones, eoq; huic subordinatæ auctoritatis potestate gaudent, illæ qvidem tantæ sunt varietatis, ut communi qvadam mensurâ, ratione suæ imperativę proprię potestatis, easdem per omnia mensurare impossibile sit: qvippe sunt hic, qvæ immediatè summæ imperiali auctoritati subjacent, ut concorporatæ provinciæ, urbes proximè non nisi regnum venerantes; sunt, qvæ tertiò, qvartò aut ulteriori ordine alii atq; alii subjectæ societati vicissim subjacent, ut oppida provinciarum, corpora, collegia, universitates, societates artificū, studiis ac disciplinis liberalibus operam navantium, mercatorum, & similium. sunt deinde ex utrisqve, qvæ respectu superioris, maximâ gaudent libertate, eâq; tantâ sæpius, ut parum absit, qvin pro absolutis habeas rebusp. dum inconsultâ illâ, suos sibi rectores atq; magistratus constituunt, judicia ordinant, fœderibus sese cum aliis, etiam exteris, compingunt, arma explicant, tributa à suis cogunt &c. prout statibus potentioribus Imperii nostri Germanici hodie accidit. & aliqvibus etiam, qvi vel horum subditos se negare non audent. & paria, per alia, ni fallor, suprema imperia erunt observare plura. E contra, alia corporum addictius regnari videas, in qvibus tamen & ipsis ratio potestatis & subjectionis suæ tantâ est differentiâ, ut suscipere non audeas, omnes ejus diversitates enumerare. In qvibus tamen omnibus fortassis ne minima qvidem & subjectissima omnium societas est, qvæ non aliqvid libertatis prætendat,

tendat, qvæ non in aliqvo se non subjectam ducit potestati sibi supereminenti; alia autem plura, & alia iterum plura, & ita deinceps liberæ conditionis sibi asserit, & juxta libertatem aliqvid avtocraticæ potestatis. Imò forsan hoc ipsum, tanqvam commune omnibus est: qvod nimirū nulla sit ex subordinatis hisce societas legitima maxima, minima, etiam subjectissima, cui qvidem proprio motu in communem finem coire atqve instare datum est, qvæ non qvid dominantis potestatis in sese proprium ac jure liberum ab illa qvadam, cui aliàs subjacet potestate habeat: Ex ratione, qvod nulla talis detur qvæ non aliqvid *indulti* à superiori habeat potestate, sive eâ qvæ universæ naturæ præsidet, sive civili absolutâ, sive qvâcunq; eminenti aliâ; si enim id non haberet, legitima non esset, sed jure vetita; enimverò à tertiô, qvod hic datur, scil. merô *præcepto* sese conjungendi, nescio an servitium magis sociale, qvàm societas æstimanda sit integra. Qvicqvid autem ominibus nec ex præcepto nec ex prohibitione, sed ex permissu legis est, id supra ostensum est libertatis esse, & arbitrii proprii. Seqvitur igitur vel ex eô, qvod qvæ legitima est societas, eidem & liberæ & propriæ arbitrariæ potestatis qvid esse. Id qvod per species, si qvis eas respiciat facile manifestum est. cum vel ipsæ domesticæ omnes, utut in infimô fine ordine collocatæ ob divinam ac naturæ dispositionem, citra vim à nullâ civili aut aliâ potestate humanâ, suô illô aliqvô in commune consulendi jure privari haud possint. Ita cum liberum per naturam est, qvatenus id citra periculum & injuriam aliorum est, commercii & communis lucri causâ operas & nervos consociare, tales consociationes, ut naturali jure suffultas, immeritò infestaret potestas humana superior, nisi industriam ac solertiam naturâ commendatam ex humanitate velit tollere. Ponas, qvod ipsa vel suprema civilis majestas, vel alia eminens inferiori cuidam consociationi privilegia qvædam concedat, indulgeatqve, imò saltem qvosdam societatem, corpus, collegium habere patiatur; eô ipsô, qvod hæc approbat, qvod privilegiis indulgendis illam qvasi sibi exemptam relinqvit, libertatem & aliqvid utiqve potestatis propriç concedit, per qvam sibi aut mediæ cuidam alteri potestati usqveqvò non sint subjecta. Observarunt rem hanc JCti nostri, qvi, etsi sub

acrem censuram ponant omnes consociationes in civili majori societate coituras, & ob periculum, qvod hic metuendum, non indulgeât, uti qvid societatis aut corporis insciâ ac invitâ auctoritate publicâ temerè coalescat; diserte tamen non possunt non qvasdam ut naturâ licitas coitiones approbare, donec terminos æqvi non excedant, v.g. eam qvæ religionis causa, qvæ ob stipem menstruam conferendam à tenuioribus fit militibus (a). Circa alias v.g. mercimoniales, itemqve domesticas, tanqvam ex præsuppositô æqvas & naturâ licitas, plurimum disponunt, qvæ ad justitiam in iis accidentium pertinent (b). Et tandem de omnibus, qvæ qvidem indultum habebant publicum, prout multæ hujusmodi in grandi illâ romana repub. magnæ, mediæ, minores erant, pleno ore ita pronunciabant: *Qvibus autem permissum est, corpus habere collegii, societatis, sive cujusq; alterius eorum nomine: Proprium est, ad exemplum reipub. habere res communes, arcam communem, & actorem sive syndicum; per qvem tanqvam in repub. qvod communiter agi, fieriq; oporteat, agatur, fiat* (c) & iterum (d): *sodales sunt, qvi ejusdem collegii sunt, his autem potestatem facit lex, pactionem, qvam velint, sibi ferre: dum ne qvid ex publicâ lege corrumpant.* legem hanc ex lege solonis translatam autumat JCtus Gajus (e) eamqve Græcam referens, ita porrò latinè prodit: *si plebs vel fratres, vel sacrorum sacramentales, vel nautæ vel confrumentales, vel qvi in eodem sepulchro sepeliuntur, vel sodales, qvi & multùm simul habitantes sunt: enimverò ad negotiationem aut qvid aliud: qvicqvid hi disponent ad invicem, firmum sit: nisi hoc publicæ leges prohibuerint.* Sufficiant dicta de potestate sociali imperante.

(a) *l. 1. pr. & §. 1. de colleg. & corpor.*
(b) *tit. de societatib. de nuptiis & reliqvis.*
(c) *l. 1. §. 1. qvod cujusq; univers. nom.*
(d) *l. fin. d. colleg. & corpor.*
(e) *d. l. fin.*

CAP.

CAPUT X.

De poteſtate Crediti.

I. *Poteſtas crediti qvid? Hac ut re, ita & nomine tàm latè patere poteſt qvàm ipſum debitum.*

II. *Etiam ex naturali obligatione. In civilibus Actio dicta.*

III. *Reſpondere debuit rei definitæ latitudini definitio: & iterum res ipſa cum debito, etiam naturali, in paribus conſtitui terminis,*

IV. *Probè, qvatenus in ipſa re foventur, diſterminatis.*

V. *Probat qvodq; hanc obligationis ſive debiti cum poteſtate crediti æqvabilem etiam in naturalibus coëxiſtentiam, & naturæ æqvabilitas & conditio relatorum.*

VI. *Non obſtante his regulâ: Qvædam tametſi honeſtè accipiantur, inhoneſtè tamen petuntur.*

VII. *Amplitudo & celebritas, qvam poteſtas hæc obtinet per negotia rerum, & adnotationem Juriſperitorum.*

VIII. *Unde apud Romanos & nomen actionis ſortita hæc eſt, & ſingularem exercendi rationem;*

IX. *Per impetrationem, dataſq; formulas:*

X. *Seqviori ævo iterum ſublatas.*

XI. *Relictô interim, & foro & Juriſprudentiæ, nomine Actionis.*

XII. *Actio JCtis latiſſimè accepta.*

XIII. *Pro modô, qvo in objecto ſibi relatum fundamentale, obligationem videl. offendit, aut in rem eſt aut in perſonam.*

XIV. *Habitâ ratione ejus, qvod, qvia primariò ad hanc affectum eſt, primariò intentioni impetendi, probandiq; ejuſdem obligatoriæ affectionis, ſubjectum eſt.*

XV. Ex

XV. Ex variis circumstantiarum diversitatibus porrò per jus civile variè distingvitur actio.

I.

P*Otestas crediti* nobis esto *potestas cujusq; petendi ab altero qvod sibi debetur.* *Crediti* dicta non sine exemplo ac usu Jurisperitorum per vocis hujus conjugata, qvibus *credendi generalis appellatio est* (*a*), ut & *creditorum* (*b*); ita ut non tantum, vel pauló pressius acceptione facta (licet & hoc modo in se multum generalis sit) contractum fidemqve pro debito constituendo præstandoqve initam habitamqve præsupponat, eoqve sensu *titulus rerum creditarum omnes contractus, qvos alienam fidem secuti instituimus complectatur,* veluti de mutuo, de commodato, de pignore &c. *& cuicunqve rem assentiamur, alienam fidem secuti, mox recepturi qvid ex hoc contractu, credere dicamur* (*c*); ut præeunte Celso & Prætore Romano in edicti titulo *de rebus creditis* differit Ulpianus; sed & ut eadem denominatio, adstipulatore Gajo (*d*) in eam extendatur latitudinem, ut omni ex qvacunqve causa debito opponatur. *Creditorum appellatione* (verba sunt dicti JCti) *non hi tantum accipiuntur, qvi pecuniam crediderunt, sed omnes, qvibus ex qvalibet causa debetur.* Subjungunt Digestores nostri ex Ulpiano (*e*), *ut si cui ex empto, vel ex locato, vel ex alio ullo debetur. Sed et si ex delicto debentur,* (habent porrò ejusdem JCti verba) *mihi videtur posse creditoris loco accipi.* Qvibus gemina sunt ejusdem in prope præcedentibus (*f*): *Creditores constare accipiendos esse eos, qvibus debetur ex qvacunq; actione & persecutione, vel jure civili sine ulla exceptionis perpetua remotione, vel honorariô, vel extraordinariô, sive purè, sive in diem, vel sub conditione,* Et illa Pauli (*g*): *Creditores appellantur, qvibus qvacunq; ex causa actio cum fraudatore competat:* aliorum alibi (*h*): Juxta hos igitur nulla causa debiti excluditur, sive contractus, sive delictum, sive testamentaria dispositio (*i*) sive alia qvædam talis sit, qvæ *creditum* non causetur, faciatqve, ut, cui debetur, qvive exigendi potestatem habet, *creditor* dicatur; ut adeò nec nos videamur peccati arguendi, si ipsam illam potestatem, qvodvis ex qvalibet tali causa debitum exigendi, *pote-*

(*a*) *l.2. de reb. cred.* (*b*) *l.11. de V.S.*
(*c*) *d l.1.* (*d*) *d. l.11. de V.S.*
(*e*) *l.12. ib.*
(*f*) *l.10. d.t.*
(*g*) *l.15. qvi & à qvib. manumiss. lib. nō fin.*
(*h*) *l.49. §.3. de solut. l.34. de rec. arbitr.*
(*i*) *per l.42. in pr. d. O. & A.*

potestatem crediti (subaudi *petendi* exigendive) appellemus, utut fatendum, qvod si pressius ac propriissimè verbum credere velimus accipere, pro eo, qvod est fidem habere: tunc qvibusdam ex illis causis hanc designationem non adeò fore acceptam ferendam. Qvid enim delinqventi in nos fidei possumus habuisse, aut qvid ei credidisse? Sed seqvi tamen interea hactenus licebit JCtos, fulcrum fortassis aliqvod cum iis habituris, pro universali hac crediti acceptione, ex eô, qvod cui undecunqve efficaciter ab altero qvid debetur, is hoc ipsum, qvod & sibi id debeatur & qvod sibi ejus exigendi potestas competat verè ac justè habeat credere.

II. Si liberum esset paulo licentiosiùs hic in verbis agere, exemplum ex civilibus arriperem, & potestatem crediti etiam ex æqvô naturali jure debito superponerem. Scilicet id qvidem patet ante adductos authores in civili efficaci, & vel jam vel aliqvando judicialiter exigibili debito, huic credendi denominationi calcem ferè figere. Ita enim disertè Ulpianus, (a) postqvã censuisset *creditores eos nos accipere debere, qvi aliqvam actionem vel civilem habent, vel honorariam vel in factum,* in medio horum ponit, *sic tamen, ne exceptione summoveantur.* Et Paulus (b). *Creditor is demum est, qvi exceptione perpetuâ summoveri non potest*, & illius etiam ante adducta verba erant (c): *sine ulla perpetua exceptionis remotione.* Et qvamvis ambo hi (d), nec ei cui sub conditione debetur, qvive post tempus exigere valet, id nominis denegent, restringit tamen propositum religio Ulpiani alibi (e) ad conditionale debitum ex contractu; excludens, qvod ex ultima voluntate tale per legati dationem est: *Is,* inqviens, *cui sub conditione legatum est, pendente conditione non est creditor, sed tum cum extiterit conditio, qvamvis eum, qvi stipulatus est sub conditione, placet etiam pendente conditione creditorem esse.* hoc per rationem diversitatis sine dubio; qvod majoris incertitudinis sit, ex illâ, qvàm ex hac causa, ne debitum aliqvandò exigibile futurum sit. cum ex contractu conditionalis obligatio, seu conditionale exigendi jus, etiam mortuo ante existentiam conditionis principali, ad hæredes transeat (f), ex testamento non item (g). sed & diserte iterum Ulpianus in casu debiti merè naturalis (h): *Qvod si natura debeatur, non sunt loco creditorum.* Et vicissim (i) in casu,

(a) l. 42. §. 1. d. O. & A. (b) l. 55. de VS. (c) l. 10. eod. (d) d. l. 55. 54. & 10. de V. S (e) d. l. 12. pr. de O. & A. (f) §. 4. Inst. de V. O. §. 1. J. de perpet. ac temp. act. l. un. in fin. C. ut ab he. act. incip. poss. (g) l. 3 §. 5. qvando dies legat. vel fideicom. ced. (h) d l. 10. d. V (i) l. 12. eod. junct. l. 2. 3. 6. 7. §. 1. de pop. act. l. 2. §. 8. l. 4. §. 1. l. 29. §. 5. de adult. l. 8 & seqq. de accusat.

casu, qvô prælationem aut exclusionem acturus metuere habet: *Qvod si ex populari causâ* (debeatur) *ante litis contestationem rectè dicetur creditoris loco non esse, postea esse.* Sed, ut dixi, si venia, uti fuit nato, ita in simili extenso, esset verbo, etiam qviqvid hujusmodi aut similis potestatis est, qvenqvã, de debito qvodam naturali, conditionali, eventuali, ex æqvo jure compellandi, sub nomine crediti concluderem, idqve ad proportionem qvidem talem, qvalem debiti conditio ferat, ita nempe ut & hæc pro illius ratione naturalis, conditionalis, eventualis &c. sit; maximè cum & JCtos hæsitanter qvasi huc inclinare videam, qvando in conditionalibus *creditoribus* referunt, etiam qvi spem habent, ut actio competat(a), cum etiam ipsi eam, qvam creditori opponere consvevere, debendi rationem, cui qvidem alias creditoriam commensurant (b) ad naturale debitum curiosè extendunt (c); tametsi nec in universum reluctare cupiam, si cui magis placeat, qvam *crediti* hic appello, *petendi debiti potestatem* appellare: Imò ex usu communissimo jurisprudentiæ nostræ, qvatenus lege civili virtus ejus executiva, jurediciali sublevatur brachio *Actionem*; definiendam *jus* (potestatem seu facultatem legitimam) *perseqvendi in judicio qvid sibi debetur (d).*

III. Vel ex hoc *definiti* etymo ac præliminari qvasi descriptione facile pellucet, qvô sensu qvave latitudine sensus accipienda sint, qvæ *definitionem* ejusdem constituunt. Nempe complecti ac denotare velle omnem in universum facultatem, qvam qvis qvovis verô, hoc est, æqvô ac licitô jure (sive civili statutô id comprehensum extet sive non) obtinet, qvicqvam ab alio tanqvam debitum competensqve sibi petendi, eoqve contineri, non tantum jus petendi ea, qvæ nobis civiliter debentur, h. e. ad qvæ obtinenda etiam civilem judiciariam potestatem ad executionem paratam habemus; sed & qvæ naturaliter, ad usqve eleemosynaria ac misericordiæ debita, & si sunt alia, ad qvæ humanitas ac pudor præstanda hominem, si compellatur, stringit. Qvam proinde generalitatem subjecti nostri fovendam designandamqve etiam vox *petendi (e)* commodior visa fuit, ut in præmissa definitione poneretur, qvàm ea, qvæ prudentibus in definitione actionis posita est perseqvendi vox; qvod perseqvendi facultas effectum executivum & actu-

(a) l. 54. d. V. S.
(b) l. 108. de V. S. l. 66. d. R. J.
(c) l. 16. §. 4. d. fidej. l. 5. §. 2. l. 95. de solut. l. 25. §. 11. d. pet. hered. l. 66. de R. J. & pass.
(d) pr. I. de act. l. 51. de O. & A.
(e) ex l. 178. §. 2. de V. S.

& actualem exactionem magis fovere atqve inferre videatur, qvâ petitio naturaliter tantum debiti sæpius cassa est; ubi nimirum civili munimine destituitur, nec fortè incidit in humanum ac bonum ex æqvo debitorem; utut per naturalem competentiam justæ alias potestatis sit. Dixeris fortè potestatem hanc petendi, qvatenus ex naturali jure merè naturalis debiti est, *precariam* sive precandi; (qvippe ubi ita petimus, ut negari petita possunt, ferè precari dicimur) qvatenus verò cum efficacia exactionis est, exactivam, vel cum nostris actionem. Utriqve a. generi designando vox *petendi* utiqve commoda est, cum, uti notum est, petere ut plurimum etiam qvasi in specie pro precari usurpamus: aptâ tamen interea eâdem voce, ad designandam qvoqve executivam debiti perseqvendi rationem, usu id testante peritorum, qvibus petitio hæreditatis, (a) potestas petendi usumfructum, tutores (b), &c. dicitur qvod alibi actio, aut aliud civile efficax remedium iisdem audit (c).

IV. Et isthæc fortassis, qvoad naturalem naturalis debiti competentiam hujusqve omnem extensivam rationem minus dubii habent, modo in terminis, qvos natura ipsi tali debito ponit, probè constituantur; neqve enim qvodvis, qvod unius aut alterius circumstantiæ intuitu videtur, simpliciter debitum naturale est, & competentia ejus petendi ita natura justa, ut per humanitatem aut aliam rationem æqvam, petitum negari non debeat; utut ratione aliqvâ qvasi crediti illa aliqva usurpata petendi facultas sese palliaret; fortè qvod qvi seriò petit, ante fidei qvid habuisse aut credidisse videatur, fore, ut qvod intendit, accipiat. Qvia nimirum & hæc frivola potest esse ac naturali æqvabilitati incongrua credulitas, & aliæ possunt intervenire circumstantiæ, qvæ vim earum, qvæ pro æqvitate se videntur velle sistere, enervent. v. g. Si pannosus tibi appareat egenus, pro miserâ vitâ trahendâ subsidium tuum exigens, tuq; nummis præter necessarium victum abundans haud ambigas, hunc ope tuâ multum indigere, non dubium, puto, erit, qvin ille per naturæ cognationem divinitus institutam & confirmatam, jus habeat te de subsidio compellandi; eâ qvidem vi intentionem suam tibi infigens, ut citra notam inhumanitatis, id qvod petit negare ei non possis. Ast pone, te scire, illum qvi apparet,

(a) tit. de petit. hered. (b) tit. si usufr. pet. (c) tit. qvi pet. tut &c. (d) tit. de action. & pass.

paret, non esse ita egenum, aut esse qvidem plurimum egenum, fore tamen ut juvetur ab aliis multò commodius, aut etiam tibi, si hunc juvares, majori cum miseriâ statim confligandum esse; jam certè obligatio illa tua unà cum jure petendi, aut laxior erit, aut sublata penitus. Similiter si ponas, te beneficium aliqvod ab aliqvo accepisse, hic qvidem benefactor, si qvò rursus verè ac valdè indiget, & humanitatis & præterea hujus beneficii tibi dati ratione ex æqvitate naturæ jus habebit aliqvid rursus à te petendi (a): Sed reponas eundem bonis, qvæ à te petit abundare, te fortè longè magis indigum ipsô esse: & cessabit utiqve cum debitô, qvoad hæc qvæ ipse petit, justitiâ petitionis, qvæ est ipsa petendi potestas. Similis ratio ineunda est in aliis, idqve ductu rectæ, & ab affectuum injuriâ purgatæ rationis potissimum, (regulam enim universalem hisce ponere multa circumstantiarum varietas non admittit facile) & apparebit ut opinor ubivis haud difficulter adeò de justitia facultatis petendi, etiam qvoad amplissimum debiti naturalis campum.

(a) Not. exempl. David cibū petentis à Nabal. 1. Samuel. 25.

V. Qvod autem & reapse naturale debitum naturalisqve obligatio [cujusmodi qvidem affatim citra civilem exigendi vim, ex beneficio, ex naturali cognatione, ex nudâ conventione, causisqve aliis JCti nostri agnoscunt (b).] naturalem in persona, cui ita debetur contra positum habeat petendi potestatem; & ipsa naturæ æqvabilitas & conditio qvalitatis relativæ svadet. Naturæ æqvabilitas non videtur admissura; ut qvod alterum debere ordinaverit, non liceat alteri ad indigentiam suam sublevandam petere. Conditio verò relativæ qvalitatis, inter alias hæc est (c), qvod secum simul existere inferat, non tantum subjectum, cui inhæreat, sed & cum correlato hujus qvalitatem sibi correlativam; v.g. si existere datur filiatio, & filius simul infertur existere, & pater, & paternitas. ut exemplum proponamus nostro casui propinqvius, ubi datur subjectio, datur etiam persona subjecta, & simul in opposito, persona cui hæc est subjecta, dominans qvædam, unâ cum qvalitate eidem correlatæ personæ coexistente, qvalicunqve scilicet dominatione. Jam verò: qvin obligatio, qvæ fortè existit, in relativis sit qvalitatibus, subjecto cuidam obligato inhærens, ita qvidem,

(b) l. 25. §. 11. d. petit. hered. l. 3. de J. & J. l. 7. de serv. export. l. 1. 7. de pact.

(c) per ea qvæ habet Arist. lib. Categor. cap. 1: junct. commentar. scholasticorū &c.

at in opposito, & qvasi supra sese constitutum inferat aliqvem, cui hoc subjectum sive persona obligata obligata, debitumqve exinde debitum sit, itemqve qvalitatem in eadem correlata persona, qvæ obligationi respondeat, nescio an liceat ambigere. Sed qværas qvæ illa persona qvæve qvalitas hæc correlativa sit, aut qvomodo appellanda? Existimem, tritam esse viam procedendi à similibus ad similia, ab homogeneis ad homogenea. Dictum est ante *debitori*, qvi civili jure talis est, opponi *creditorem*, debito creditum, *obligationi actionem* seu *potestâtem*, sive crediti hanc sive *exigendi debiti* appelles. qvidni *naturaliter* debito, debitori debendiqve necessitati h. e. *obligationi* naturaliter creditum, creditorem, potestatemqve debitum exigendi opposita esse ac ita appellare licere tandem admitteres?

VI. Nec fortassis qvicqvam illa, qvæ his obloqvens videri potest, & vulgo & à JCto(a) etiam observata Maxima, contra evincere debet: qvâ, *qvadam, tametsi honestè accipiantur, inhonestè tamen peti* dicuntur. qvia primò honestas acceptionis seu facultas honestè accipiendi non est, qvam relativè opponimus honestè, h. e. jure naturæ debito, aut obligationi; sed ipsam facultatem petendi. qvin fatendum est, honestã acceptionem planè latiùs sese extendere, qvàm debitum naturale, cum etiam, qvæ ex merâ libertate indebitè prorsus offeruntur beneficia, accipi possunt, ut honestas nullam patiatur jacturam, (imò ut pateretur sæpius, si morosè respueres, speciem facilè præbiturus, ac si benignitatem benefici sperneres) cum tamen si peterentur, pateretur; tum qvod indecenter aliqvem fortè onerares, tùm qvod nec reapse, fortè ope humanitatis non indigo, petita debeantur. Ut adeò verum esse possit, inhonestè peti, qvæ honestè accipiantur, nec tamen seqvi necesse sit, inhonestè peti, qvæ naturaliter debentur. Sed ponas etiam honestè debitum, uti qvidem fit in casu à JCto huic regulæ accommodato; verba tamen ἐν πλάτει ac debitâ latitudine sunt accipienda, & oppositio probè, cum oppositorum circumstantiis conformanda, videndumqve, qvid qvomodo debeatur, qvid, qvomodo, qvando, ut debitum honestè exigi possit. dum v. g. accidere potest, ut aliqvâ aut aliqvibus circumstantiis inspectis videatur qvid deberi,

(a) *l. 1. §. 5. de extraor. cogn.*

qvod tamē, si & cæteras cōferas, nō debetur; aliqvid appareat debitū, nec tamē verè est, perq; cōmensurationē circūstantiarū nō rectè institutam, non rectè aut honestè petitur. veluti si qvis pro beneficio aut liberaliore opera, qvàm cuiqvam fortè exhibuerit, statim tantundem compensationis loco velit repetere; non habitô respectu, an & ipse nunc æqvè indigeat, qvàm indigebat alter, qvando acciperet; item an alter eâdem facilitate id repræstare possit, qvam ipse præstiterit: Licet fortè si tantumdem pro beneficio offeratur, ab altero non adeò inhonestè acceptaret: tum, qvod ejus adeò non erat, inqvirere in facultatem offerentis aliqvid, qvod etiamsi, ut minus debitum referretur, saltem ut novū aliqvod beneficium citra læsionem verecundiæ, acceptare poterat, promptus interea existens, qvicqvid superpondii in accepto sit, datâ occasione rependere. Deniqve tertiò, etiamsi qvis, honestè debitum cum omnibus honestè debendi circumstantiis vellet positum, & hoc idem dicere esse, qvod JCto dicitur honestè accipi, nec tamen honestè peti: ne tollamus commensuratam, obligationi debitoq; naturali honestoqve, potestatem idipsum exigendi, animadvertendum putem: qvatenus honestum qvid alicui sit habeaturve, ab opinione plurimùm dependere, eoqve fieri posse, uti qvid per se justum sit agaturqve (qvod qvidem nos modò reqvirimus in potestate exigendi) debito naturali pari licet opinionem lædat agentis, petentis: fortè qvod defectus hominis sive opum sive virtutis per petitionem debiti detegantur, id qvod in sibi inhonestis homines solent reputare, uti contra in honestis, haud inopem, haud ingenio difficilem, aut illiberalem esse &c. Manebit itaqve & per hanc regulam verum, qvod, qvo jure, sive civili sive naturali, qvæcunqve alicui debentur, eôdem qvoqve eadem justè, imò si veritatem potius qvàm opinionem respicias, honestè petendi potestas competat, eoqve æqvè latè hæc atq; illa pateat.

VII. Ex dictis licet judicare, qvantum habeat ambitum, qvantamq; amplitudinem potestas crediti, qvam dicimus, ratione juris eâ concedentis: Similem habitura ex concausis facti per naturam positis, conventione scil. cognatione, beneficio & cæteris, de qvibus suô locô potius qvàm hôc, eô intuitu, qvo constitutivæ obli-

obligationum ſunt, erit ag... Nunc porrò eandem hujus poteſtatis in uſu rerum latitudinem paucis qvoqve ex ipſis ei objectis ac circumjacentibus dignoſcere habebimus; ubi qvidem rerum negotia, negotiorumqve ſpecies circumſpicientes, obſervamus, eam per omnes hominum conditiones & ſtatus, per omne humanum commercium, breviter, per omnia ubi aliqvid debetur, hoc eſt, per omnem humanam vitam diffundi. qvando petendi jus poteſtatemqve habet, cui ex qvovis æqvo ac licito contractu, innominatô, nominatô, ex emptô venditô, locatô conductô, mutuô, depoſitô, & hujusmodi innumeris aliis pactorum conventionumqve ſpeciebus, ex teſtamentariâ diſpoſitione, inſtitutione, legato, fideicommiſſo; cui ex eô, qvod læſus eſt vel ipſe vel communitas, cujus membrum exiſtit, vel alter aliqvis, cujus negotium gerit, per fraudem, dolum, circumventionem, per graviora aut leviora, publica privataq; crimina, qvid debetur. Qvando facultatē porrò petendi debiti habet, nō tantùm, æqvalis ab æqvali, ſocius alicujus ſocietatis à paris conditionis ſocio, nec tantum ubi diſparitas eminentiæ ac ſubjectionis eſt, dominus à ſervo, pater à filio, maritus ab uxore, princeps aut qvodvis aliud reipub. adminiſtrans caput à ſubdito; ſed viciſſim ſubditus à magiſtratu, uxor à marito, filius à patre, ſervus deniqve à domino ſua aliqva poſtulandi jus obtinet. longum foret & totum jurisprudentiæ ſyſtema iterum iterumqve pervolvere eſſet, ſi recenſeri cupias, cui, à qvo, qvando, ubi, qvomodo, qvid, qvale, qvantum exigere jus poteſtasqve hæc ſit, uſus ejus amplitudinem inde porrò cōmonſtraturus. Notabile eſt per Jurisprudentiam Romanam, ſub nomine actionis hanc poteſtatem pleraq; juris privati complere; non paucis materiarum, etiam titulos ac inſcriptiones inde accipientibus, qvando v. g. *commodati depoſiti, locati, conducti &c.* ſubaudi *actio* inſigniuntur: inde ſub certis qvibusdam titulis ejus peculiarem qvoqve tractationem inſtitui, & qvaſi in faſciculo totum genus, cum ſpeciebus & affectionibus proponi. prout fieri videmus præcipuè ſub tit. Inſtit. *de actionib.* Digeſtorum *de Obl. & Actionibus* aliiſq; nonnullis naturam actionum extra certam negotii ſpeciem deſcribentibus, veluti, *de perpetuis & temporalibus actionib. qvando actio ab hærede & contra hæredem inſtituatur. de formulis ſublatis &c.*

VIII. Ut

VIII. Ut hoc de actionibus Jurisprudentiæ nostræ ænigma, sive ut mollius loqvar, hunc artis æqvi ac boni terminum, non cuiqvam œdipo,(qvi enim in arte nostra versati sunt viri,iis res planissima est,) sed illi solummodo bono lectori,qvi fortassis in eo adhuc est, ut penetralia jurisprudentiæ nostræ perrumpat, paucis ab aditu exponam, licebit de hoc porrò ita memorare. Qvando in reliqvis vitæ humanæ actionibus, imprimis multæ ac sedulæ attentionis est disceptatio forensis, sive merita causæ, sive ordinem ac modum procedendi spectes. etenim in ultimis remediis hæc est, à qvolibet etiam invito suum obtinendi. est deinde & cum contradictione hic luctandum, & qvidem cum spe ac periculo standi & cadendi. simulqve observanda sunt in ipsa multa alia, circa venerationem judicii circa multos ipsius judicialis processus articulos. Hinc igitur,qvia tanti erat momenti, tantæ observationis hæc in humanis agendi ratio, usus romanæ lingvæ facile eò videtur ab usqve primis temporibus inclinasse, ut verbo aliàs generalissimo (a) in specie & κατ᾽ ἐξοχὴν agere diceretur,qvod est judicialiter agere, & actio, qvæ in judicio ad justum obtinendum instituitur actio petitioqve. Qvam qvidem rem, qvemve denominandi usum præter momentum qvod in re suberat, vel imprimis stabilivisse videri potest additus à juris & judiciorum observantibus ordo ille, ac solennitas judicialis. Namqve cum judiciariæ & authoritatis & expeditionis intererat,primùm,ne temerè, & cum qvavis frivola postolatione, litigiosa cohors tribunal accurreret, & ubi deinde qvidam accesserant, ne vagantibus offuciis & inutilibus jurgiis, (qvæ qværula ruditas affectuumqve malignitas fundere solet,) idipsum fatigarent, id actum sollicitè ordinatumqve à Romanis videmus, ut qvi in animo haberent, judicio contendere, illi nec promiscuè ad ampliorem disceptationem procurrerent, nec etiam imperitiores juris sui ac judiciorum accederent. Et eò qvidem nomine duo imprimis ipsi, si intentionem spectes, saluberrimè ordinarunt; uti nempe qvælibet causa, anteqvam pleniori forensi disceptationi ac discussioni committeretur, qvandam Jureperitorum & vel ipsi jurisdictioni præsidentium,summariam qvam dicimus,cognitionem atqve censuram teneretur subire, cum hac ipsorum præsidentium facul-

(a) l.19.d.V.S.

facultate, ut vel ipsi, siqvidem in aperto jus erat, causam de plano disterminarent, ansamqve ulterius litigandi partibus contendentibus amputarent, vel (altero inventionis pro expediendis litibus capite) si causa id mereri visa esset, ut ulteriùs & ampliori cum disqvisitione veri justiqve agitaretur, porrò eam disceptare partibus concederent, ita tamen ut modum, *formulam* qvam appellabant, simul partibus præscriptam darent, juxta qvam apud judicem, causæ futurum plenarium discussorem, disceptationem ipsam necesse haberent instituere, ac dirigere. Prius remedium ex parte etiam nostris legibus moribusqve cognitum est, ubi in summo juris nostri tribunali (*a*) ordinatum habemus, anteqvam ad disceptationem procedatur, cum causæ jurisqve qvod prætenditur narratione pro processu decernendo esse supplicandum, decretumqve expectandum: simili observatô in aliis qvibusdam huic subordinatis judiciis. posterius mores nostros qvidem non intravit. Sed propositum est hic Romanorum instituta delibare. Qvia autem præliminaris illa cognitio cum momentanea sua expeditione facilis est conceptus, non est qvod in ea moremur, saltem de modo formandæ disceptationis per datas formulas paucis videndum.

(*a*) *ord.Cam. p.3.t.12. & 48*

IX. Atqve de Romanis qvidem ex legitima ipsorum institutione id fere liqvet, eosdem in forma agendi communicanda partibus, pro singularum figura causarum definienda, diu occupatos fuisse, paulatim id qvod actionem, hinc etiam formulam appellantes; repertis imprimis peritis qvibusdam, qvi inciperent hanc actionum & formularum compositionem in artem redigere. Dationem autem earundem ipsam, facile observatum est, factam semper fuisse ab iis, qvi juris cognitioni potissimum præsiderent, puta prisco Romanorum ævo, à collegio Pontificum, ejusqve capite, post autem à Prætore. Pomponius (*b*) rem ipsam & rationem convenientiæ, postqvam legem 12. tab. & præterea ex interpretatione ac disceptatione prudentũ circa hanc, jus aliqvod in civitatem introductum narrasset, ita porro referre orditur: *Deinde ex his legibus eodem tempore fere actiones compositæ sunt, qvibus inter se homines disceptarent, qvas actiones ne populus, prout vellet, institueret, certas solennesq;*

(*b*) *l.2. §.6. de O.J.*

lennesq; esse voluerunt. Et appellatur hac pars juris legis actiones, id est legitima actiones. & post pauca. *Omnium tamen harum & interpretandi scientia & actiones apud collegium Pontificum erant, ex qvibus constituebatur qvis qvoq; anno præesset privatis. & ferè populus annis prope centum hac consvetudine usus est.* Post Pontifices Prætoribus Romanis hanc dandarum actionum potestatem fuisse usurpatam, ex multis juris textibus est colligere (*a*). Et qvidem ita usurpatam, ut qvi jus haberet, & vellet agere, certa formulâ à Prætore præceptâ datâve intentionem proponeret. Unde igitur non semel apud JCtos ipsam formulam pro actione videas dici (*b*), & harũ formularum in jure nostro mentionem aliàs fieri (*c*) sæpius. Qvod autem usum harundem sive formularum sive actionum datarum attinet, ille qvidem potissimum videtur in eo constitisse, uti primo caput causæ, atqve id qvod probandum esset, judicis attentioni commodè exponeretur; id qvod utiq; fiebat, qvando actori ita proponendum erat: *ajo hanc rem meam esse, confiteor hoc jus ad me pertinere, dico Titium mihi dare facere oportere* (*d*). nempe dummodò vel nudè ita proponitur, jam & finis statim, qvem prætendit actor, patet, & attentio ad audiendam rationem præparata est. Deinde verò & judicaturo judicium simul faciebat formulæ allatio, causam ad exactum ordinariumqve judiciarium examen à præcognoscente potestate esse remissam. namqve vel ad ipsum judicaturum videntur formulæ istæ fuisse directę, verbis ita fere propositis: *si apparet eum dare oportere, si apparet eum usu cepisse, condemnetur hic illi in id &c.* (*e*), & vel inscriptis eam fuisse litigaturis à præliminaribus cognitoribus datam, ut exhiberi judici possent, vel alias publico testimoniô ad eundem delatam, & ad acta, (ut loqvimur) relatam, facile est conjicere; qvod utiqve ad notitiam, non judicis modò, sed & partis debebat pervenisse, nisi metuere vellet actor, exceptionem non impetratæ actionis (*f*). idemqve innuere videtur, solennis illa in edictis Prætorum toties repetita clausula: *judicium dabo*, nempe datum debebat apparere. Et hæc fortassis via primis seculis, Romanis satis & compendiosa & expedita cautaqve visa fuit, pro decente ingressu, ac expeditione forensium litium.

X. Verum enim verò ut fit in rebus humanis, ubi nihil constans

(*a*) l. 15. §. 18. de dam. inf. l. 1. §. 15. 6. de dolo malo, l. 17. §. 10. & seqq. d. injur. l. 1. §. ult. de ventr. inspic. & pass. (*b*) Ulp. fragm. Inst. t. 19. §. 15. t. 25. §. 10. (*c*) l. 47. de negot. gest. l. 1. & t. t. C. de formul. sublat. (*d*) per §. 1. 2. 4. 14. 15. &c. Inst. de actio. (*e*) per d. §. 14. I. de act.

(*f*) per l. fin. C. de form.

ſtans & perpetuum eſt, naturaqve ſemper novas deproperat edere formas; qvando, ut ab initio etiam obſervaverant Romani, non omnes cauſæ ordinarium qvēdam diſceptandi tractum deſiderant eoqve illam antiſtitem cenſuram ipſi iis ordinaverant; Ita porrò opulentiori ævo accuratiori experientiâ edocebantur, non omnium vel iſthuc delegandarum cauſarum conditionem ita eſſe comparatam, ut vel actio diſceptantium, nedum arbitrium judicantis certa formula circumſcriptum poſſit reddi. Jam igitur pro reformando priſco hoc de præſcribendis formulis inſtituto, dixeris colluctare eos cœpiſſe, imprimis, qvi inter eos juſtiperitiores videbantur, dum alia facere cœperunt, ſtricti juris judicia, alia bonæ fidei, & arbitraria, tanqvā qvæ ex hoc genere laxioris arbitrii judicis (a) eſſent, nec adeò ut illæ, præceptæ cuipiam formæ viderentur ſervæ poſſe eſſe. Qvomodo enim (ſecum ſine dubio argumentati ſunt) judici imprimis, judicandi aut ſententiam pronunciandi formula præſcribi poterit, ubi bonum & æqvum ex multa circumſtantiarum varietate eſt eruendum? Ubi, juxta qvam conditio cauſæ per cognitionem demum detecta compertaqve fuerit, modò compenſationis, modò doli, culpæ, aut caſus, modò alterius modò iterum alterius incidentis ratio habenda eſt? niſi pro formula hic adæqvata fortè habeas, ſi prætor dicat: *Indicetur, qvod æqvum & juſtum eſt.* atqve hæc qvidem citra aliqvam formulæ præſcriptionem univerſalis judicantium norma eſt, nec adeo in ſingulis cauſis ſingulari præſcriptione indiget. Qvid igitur facerent? Abolitam nolebant, qvam venerabantur antiqvitatem, & tamen emergendum ex illis formulariis tricis JCtis erat. Remedium niſi fallor primum hoc rei viſum fuit commodum, nempe ut agendi rationem, ſeu judicia ut appellant, in ordinaria & extraordinaria diſpeſcerent, illa tantiſper relinqverent, hæc eximerent formularum ſubtilitatibus (b). de cætero conflictantes, qvæ huic, qvæ illi ordini adnumeranda forent; donec tandem Imperatorum ætate & autoritate poſteritas omnem illam ordinariam formulas impetrandi & per eas agendi rationem negligere inciperet (c), imò ut captionum plenam penitus condemnaret. perfulgente etiam ſub capite *de formulis & impetrationibus actionum ſublatis* (d) conſtitutione Imperatoriâ hoc modo: Ju-

(a) §. 28 & ſeq. I. de act.

(b) per l. 47. d. negot. geſt.

(c) §. ult. Inſt. de ſucceſ. ſublat. §. fin. J. d. interd.

(d) C. lib. 2. tit. pen.

Juris formulæ aucupatione syllabarum insidiantes, cunctorum actibus radicitus amputentur (a). cui non obversatur, qvod etiam posteriori, qvam qvo hæc (qvæ Constantini) lata lex est, Justiniani nimirum tempore, de extraordinariis actionibus, pro causis ad interdicta veterum pertinentibus (*b*) instituendis nomothetica qvasi mentio fiat; qvia id vel adumbrandæ antiqvitatis causa, vel alio respectu extraordinariæ judicialis rationis, qvam qvæ in evitandis formulis erat, merito intelligitur factum; puta qvatenus in possessoriis & aliis qvibusdam, qvæ moram non patiuntur, causis ac præjudiciis, ordinaria judiciorum observatio, qvà tempus qvà personas &c. negligitur; prout etiam diserte ob tale aliqvid extraordinaria cognitio aliàs audire solet (*c*). Qvin qvod neglectu formularum majus est; Etiam eò, jam dum ante Justinianum nostrum ventum erat, ut ne actionem qvidem, hoc est, facultatem agendi impetrare qvisqvam haberet opus amplius, neqve, ut ante, ejus nomine cuiqvam exceptio, ac si nulliter aut non rectè accusationem instituisset, opponi posset; sed modo jus fundatum se habere putaret, jam statim ad tribunal ordinarium causam deferre cuiqvam esset liberum. libet apponere rescriptum Theodosii & Valentiniani Impp. (*d*), qvod ita habet: *Nulli prorsus non impetratæ actionis, in majore, vel minore judicio agenti opponatur exceptio, si aptam rei & proposito negotio competentem eam esse constiterit.* Qva cum re & expressio & inqvisitio generis actionis à foris illorum, qvi Romanos imitarentur, abiit; modusqve agendi ad eam simplicitatem redactus est: ut factum narrasse, & de injuria qvovis modò coram judice conqvestum sufficere cœperit (*e*).

(a) l. 1. d. t. add cap. 6. X. de judic.
(b) rub. ff. de interd.
(c) t. d. var. & extraord. cognit.
(d) l. fin. C. de form.
(e) per d. c. 6. X. de judic. & vulg. Dd.

XI. Cæterum etiamsi ita judicialiter instituenda actio nudata qvasi fuerit formularum solennitate, itemqve eâ, qvâ impetranda & specietenus exprimenda seu designanda in judicio erat, necessitate; non tamen hisce effectum est, qvò minus nomen suum actio facultati agendi impressum relinqveret. nempe cum obtinuerat, ut ipsa illa disceptatio forensis, seu propositio intentionis judicialiter facienda, actio Romanis dicta, nomen suum communicasset facultati facti, seu exercendi talem judiciariam actionem (nempe hujus facultatis, jam ante lege competentis, facultas exercendi

cendi, auctoritate judiciaria concessa, primitùs, ni fallor, actio data impetrataqve audiit) & porrò brevi simul ac declivi trajectu idem illud intimiùs in ipsam facultatem juris transposuisset, ita ut illa ipsa potestas seu facultas, qvam qvisqve jure habet, suum ab altero exigendi, præter naturam generis μετονύμως actio inciperet appellari, hominesqve, qvod jus petendi, perseqvendiqve debiti haberent, ejus actionem habere dici; phasma hoc nominis ita tenaciter huic subjecto tertio, juris nimirum facultati inhæsit, ut etiam perpetuo inibi lucens persisteret, postqvam in secundo, facultate scil. exercendi legitimam illam potestatem, in foro micare desierat. nimirum ubi hæc non impetranda fuit amplius, nec nomen actionis ei separatim videtur tributum fuisse. Retenta autem videtur & commoda visa vox actionis pro significanda legitima illa suum perseqvendi facultate propter compendium sermônis, qvo liqvidius erat dicere, actionem habere, qvam potestatem, aut jus perseqvendi in judicio, qvod sibi debetur, habere; scilicet longa erat hæc sermocinatio; & sufficere videbatur, per nomen illud usu fori intelligi hoc aliqvid subjecti; & idem illud nomen eô modô in arte juris describi, qvô etiam tyronibus is parallaxis facile manifestari qveat: qvamvis non dubitem, verbum hoc actionis in iis esse, qvę ob nimis longè petitam translationem nonnihil velaminis toti jurisprudentiæ, si primum captum respicias, qveant obducere. stupebit sanè qvisqvis limina artis nostræ primum adit, ubi actionem audiet, & subsentiet, non id hic significari, per illā, qvòd usu communi, & qvod per logicorum tyrocinia vox ista denotat. imò fortè magis adhuc hærebit, ubi in specie actionem tutelæ, negotiorum gestorum, actionem empti venditi, finium regundorum ac similia sibi peregrino sensu dici animadvertet. vix se aliqvo tempore à specie qvasi ostenti liberaturus; imò conflicturus forte cum improprietate etiam tum ubi jam superatis usitato in compendio plerisqve materiarum juris, (a) per propositā definitionem qvid actio in legibus dicatur addidicit. Qvem tamen qvicunqve sit, monitum volumus, artis æqvi ac boni studiosi, ut mori nobilissimæ artis nostræ, cum etiam ignobilioribus qvibusqve decet, hunc technicum terminum indulgeat, cum hac svasione, ut ubi in jurispruden-

(a) pr. l. de act.

tia actionem audit legitqve, sub nomine actionis semper, cum concepta in mente definitione ejusdem nominis, rei incumbat. qva qvidem de *actione* nunc alia non addimus, nisi qvæ antea etiam monuimus *jus nempe illam esse petendi qvod sibi debetur;* qvâ genus universum: *persequendi vero id ipsum in judicio* in specie, qvâ cum certa efficacia illa potestas est, qvâqve nomen illud technicum usu magis receptum demum est. saltem hic non prætereundum, qvin obiter etiam denuo moneatur: per *jus* facultatem jure concessam, seu *potestatem* hic intelligi, prout id aliàs legibus Romanis usu venit (*a*), qvibus & disertè actio hæc *facultas* agendi (*b*) audit.

(*a*) *pr. J. de usufr. pr. J. de servit.* (*b*) *l.1. de eo qvod cert. loc. add. l.6 §.12. d. negot. gest.* (*c*) *l.37. de O. & A. add. l.15 §. 2. 3. ad SC. Turpill.* (*d*) *l.25. de O. & A.*

XII. Atqve hæc qvidem sive facultas sive jus agendi sive actio (ut cum lingvâ Jureconsultorum porrò eloqvar, qvæ ex iis pro declaranda rei natura porrò visa fuere adnotanda) qvàm latissimè per Jurisprudentiam accipitur: prout vel ex hisce licet colligere Ulpiani fasciculis: qvibus *actionum verbo contineri* dicit (*c*) *in rem in personam, directam, utilem, præjudicium, stipulationes etiam, qvæ prætoriæ sunt, qvia actionum instar obtinent, ut damni infecti, legatorum, etsi qvæ similes sunt* (potestates hic innuit exigendi cautiones auctoritate ac interventu judicis) *interdicta qvoqs* (intellige jus petendæ tuendæqve possessionis, aut amovendæ alicujus injuriæ) *actionis verbo contineri.* Et iterum (*d*) actionem sic describit: *esse* scilicet eam, *per qvam rem nostram, qvæ ab alio possidetur petimus, qvâ cum eô agimus, qvi obligatus est nobis ad faciendum aliqvid vel dandum.* Et post pauca eandem tanqvam ex variis causis oriundam intuens, ita: *Actionum autem qvædam ex contractu, qvædam ex facto, qvædam in factum sunt,* & qvæ seqvuntur; qvibus hæc explicat. Non licet modo hæcce denuò deducere, qvandoqvidem interpretationem capiunt, vel ex iis, qvæ sub initium capitis de amplitudine potestatis crediti & post sunt dicta.

(*e*) *§.1. J. de act. add. l.fin. C de hered. vel act. vend.*

XIII. In distinctionibus actionum, qvæ JCtis imprimis notantur, prima est, qvâ ratione objecti, in qvod primò qvasi intenditur impetiturqve, dispescitur, in eam, qvæ in rem est, & qvæ in personam. *Omnium actionum* ait Justinianus (*e*), *qvibus inter aliqvos apud judices arbitrosve de qvacunqs re qværitur, summa divisio in duo genera deducitur, aut enim in rem sunt, aut in personam* præeunte

hunc

hunc Ulpiano (a), cui itidem *actionum genera sunt duo in rem & in personam* & hunc Papiniano (b). qvi omnes etiam porrò, & cum his qvoqve Justinianus, laborant de nomine cuilibet harum specierum congruo dando. *Vindicationem* dicendam existimantes eam, qvæ in rem est, *condictionem*, qvæ in personas (c) similiterqve voces genericas actionis, petitionis, &c. hisce speciebus appropriantes, & eam qvidem, qvæ in personam, est, actionem, qvæ verò in rem est, petitionem, plerumqve dici aut dicendas putantes; & ita vocē persequutionis qvasi utrumq; complecti, & latius etiam extendi, qvàm illas, ubi qvidem in specie sumuntur (d). Scilicet, ut de nominibus non sim sollicitus, rationem illius summæ divisionis actionum in rem, & in personam, videntur ponere illi in differentia obligationis, qva alterutra illarum vel primo vel per qvandam qvasi consequentiam nobis obstricta est: nempe vel ipsam aliqvam rei aut facultatis speciem nobis deprehendunt primò appropriatam, hoc est ita jure adstrictam alligatamqve, ut invitis avelli, aut usurpatio ejusdem præcludi neqveat, ipsi rem nostram jus nostrum esse dicunt: Vel etiam personam, (observant) alicui esse obligatam, ita ut obligatio illi proximè inhæreat, puta ex contractu, ex delicto, aut causa simili, qvâ ille obligare se aut obligari potuit. Jam verò qvia obligatio subjectæ reiqve personæqve causa atqve fundamenti loco est, ut res vel persona illa actioni obnoxia sit, meritò qvæ ex his principaliter obligata est, principaliter, actioni erit obnoxia, & primò per eandem impetenda. Unde adeo seqvitur & ad propositam divisionem fluit, qvod ubi primò res nobis obstricta jurisqve nostri competentiæ obnoxia est, eam actione primò esse impetendam, indeqve nasci in rem actionem. sin verò persona primò per causas qvibus personæ nobis obligari solent, obligata est, adversus hanc qvoqve primò actionis intentionem dirigendam esse, & ita fore actionem in personam, utrumqve, tum ratio seu fundamentum illud diversimodæ petitionis, tum ipsa simul juris seu potestatis petendi hæc diversimoda ad rem vel personam applicatio proposita reperitur, apud Ulpianum & Justinianum satis evidenter (e). Tametsi interea ita qvidem caput alterutrum in prima intentione petendi versetur, ut ab attentione tamen non negligatur consequens

(a) l. 25. de O. & A (b) l. 28. de O. & A. (c) d. l. 25. & §. 15. J. de act. add. tit. d. R. V. lib. 6. item de cōdict. lib. 12. ff. (d) per l. 28. d. O. & A. & l. 178. §. 2. d. V. S.

(e) d. l. 25. de O. & A. d. §. 1. & seqq. J. de act.

ſeqvens qvædam pertingentia ad alterum; qvando utiqve per obligatam perſonam res qvoqve ejusdem, & per rem nobis adſtrictam perſona qvoqve, qvæ injuriâ illam nobis detinet obſtricta ſit: ita qvidem ut ſi vel iſthic debitum non præſtetur, vel hic vindicationi noſtri obvietur, ibi ad rem, hic ad perſonam usqve perſecutio ſeſe qvoqve extendat.

XIV. Speciem namqve actionis in rem ſi reſpicias, extra dubium qvidem eſt, ei pro primo fundamento, ut dictum eſt, eſſe obligationem rei; ſive corpus ipſum per illam rem intelligas, in qvod jus qvoddam alicui competat, ſive qvandam in talem rem facultatem facti ſeu juris, qvod competit, exercitiis. Cæterum qvamdiu hæc res nobis liberæ eſt tractationis, aut ipſa competens facultas libera, hoc eſt, & actu & exercitiô qvoqve noſtra, qvæ jure noſtra eſt, eoqve nullum ab altero ejus patimur impedimentum, jam nulla hactenus nobis judicialis actio vel fingi poteſt; qvomodo enim in judicio perſeqvemur, tanqvam nobis debitum, qvod pleno arbitrio, & citra obſtaculum aliorum liberè obtinemus? Neceſſarium itaq; eſt, ut actio in rem judicialis poſſit naſci, ſimul poni obligationem perſonæ, qvalecunqve gravamen nobis creantis in re noſtra, qvo minus libertate competente in eâ perfruamur: obligationem videlicet, ſi non affirmativam præſtandi, ſaltem negativam, non faciendi, non detinendi rem noſtram, non eos præcludendi ab uſu rei noſtræ, nec turbandi &c. qvæ proinde obligatio perſonalis actioni in rem, non minus ac illi qvæ in perſonam vulgo dicitur, qvà actio eſt, fundamentum aliqvod ſimul eſt ſpecificans. Ne nunc urgeam, accidere, ut etiam præſtationes perſonæ erogatorias rei vindicatio attentioni ſuæ ſæpius incluſas habeat, puta damni in re noſtra dati, fructus, cauſæ, emolumenti intercepti, & ſimilium penſationes (*a*). Plane JCti non dominium tantum, aut qvalitatem rei, qvâ noſtra eſt, vel qvaſi, actioni reali pro baſi aut neceſſario reqviſito præſupponunt; ſed littereà poſſeſſionem vel qvaſi cujusdam adverſarii. ait Ulpianus (*b*): *In rem actio eſt, per qvam rem noſtram* (nota primum, & poſt ſecundùm) *qvæ ab alio poſſidetur, petimus, & ſemper adverſus eum, qvi rem poſſidet.* alii alibi iisdem terminis rem proponunt (*c*) pluribus. Et viciſſim qvidem

(a) per l. 68. d. R.V. §. 2. I. de offic. jud. (b) d. l. 25. pr. de O. & A. (c) d. §. 1. I. de act. l. 9. 36. ult. & c. tit. de R.V. l. 1. & ult. C. ubi in rem act. l. 9. d. petit. hæred. l. un. C. de alien. jud. mut. cauſ.

ſicuti

ſicuti in rem actio formam generis, ut actio ſit, ex obligatione perſonæ ſimul mutuatur, ita vice verſa, in perſonam etiam, qvæ eſt diciturqve actio, usqve in rem aliqvam ſtylum intentionis defigit. Neqve enim ullam in perſonam actionem inſtitui videas, ideò qvia perſona eſt, eademve neſcio ad qvid obligata eſt; ſed ideò, qvia aliqva res ab ea debetur, ſimulqve in illa perſonali obligatione concluditur; ſive illa res aliqva ſit corporea, ſive opera, ſive etiam jus qvod dicitur, extradendum, ſive pœna in vindictam læſi ſuſtinenda. Qvod ſanè & Juris compoſitores perſpicientes, non minùs in rem qvàm in perſonam actionibus rei perſeqvendæ cauſam ac naturam tribuerunt: ſaltem iis qvæ ex his pœnam intendunt, qvia ſpeciale qvid rei pœna eſt, ſpeciale nomen pœnæ perſeqvutoriarũ dantes (a). juvat, qvod in contumacibus & obæratis debitoribus, tandem omnis perſonalis actio in rerum, tanqvam obligatarum occupatione executionem habere ſolet; prout in materiis juris de pignoribus, bonorum poſſeſſionibus, ceſſionibus &c. pluribus edocemur. Unde igitur ex dictis videri poſſet ſeqvi: de genere potius univerſo actionis eſſe, qvod ſimul in rem & in perſonam ſit, nec adeò inde congruere, eandem à re ac perſona diſtingvere, atqve ſi alia in hanc alia in illam actio ſit. Sed manet, (juxta qvam monitum antea eſt) illam actionis diſtinctionem, ab accidente licet petitam, utiliter admodum fieri, qvando prorſus intereſt attendiſſe, in qva parte ſubjecti proximum ac præcipuum fundamentum intentionis qvælibet agendi facultas habeat ſitum, id ſcilicet, qvod probationem agentis, qvò obtinere poſſit, præprimis deſideret, obligationem nempe vel ipſius rei, ex ſuis, vel perſonæ, ex ſuis obligandi cauſis; ut proinde meritò per talem intuitum actio in rem audiat, qvæ primò ſubſtratum, itemqve demonſtrandum habet dominicum nexum rei, ſecundariò licet, & qvatenus hujus uſus à perſona impeditur, perſonam injurioſam ejusqve cum cauſa injuriæ nexum, plerumqve citra demonſtrationem facti evidentiâ patentem: Et viciſſim, ut rectè in perſonam actio dicatur, qvæ intendit, ideò rem, operam, pœnam deberi, qvia perſona ex tali vel tali cauſa obligata eſt, eoqve juſtitiam intentionis in obligatione perſonæ proximè fundat. Atqve hæc qvidem ſumma ut à

(a) §. 16. & ſeq. Inſt. de act. l. 35. de O. & A.

Justiniano dicitur (a) actionum divisio, ejusdemq; ratio differentiæ summatim sit ostensa.

XV. Subordinatè sub hisce speciebus ferè porrò distingvuntur à JCtis, qvæ in rem sunt actiones, in eas qvæ pro possessione ex interdictis, aliisqve legibus, & qvæ pro proprietate aut jure tuendo alio instituuntur; qvæ in rem sunt propriam, vel qvasi, puta bonâ fide hactenus possessam, iniqvè verò ab alio usuceptam; vel in qva aliud reale jus habemus v.g. pignoris: qvæ in corpus, & qvæ in jura, v. g. servitutes, qvæ dicuntur, vindicanda directæ sunt: qvæ vel in singula, vel in universitatem rerum competunt &c. qvæ qvidem omnes, hinc plurimùm qvoqve nominibus variant in legibus Romanis, dictæ, rei vindicatio, directa, utilis; hæreditatis petitio; interdictum, seu extraordinaria ex interdicto: Serviana vel qvasi, publiciana, Pauliana, rescissoria, confessoria, negatoria & ita porrò (b). Deinde ex maleficio proditæ actiones aliæ pœnæ tantùm persequendæ, ut furti; aliæ pœnæ & rei perseqvendæ, eoq; mistæ sunt, ut vi bonorum raptorum (c). sunt in simplum aliæ, aliæ in duplum, triplum, qvadruplum, &c. (d): aliæ in solidum, aliæ in id qvod debitor facere est (e); qvantum in peculio, qvantum in rem versum (f): aliæ in simplicem litis æstimationem, aliæ alternativè in hanc aut noxæ deditionem ejus, qvod nocuit, servi aut pecudis (g): aliæ in id qvod conventione aut lege strictè definitum est, aliæ in id, qvod ex æqvo & bono per laxius arbitrium judicis determinandum, præstari convenit (h): aliæ simplices, aliæ mixtæ naturæ exinde, qvod vel ab una vel ab utraqve sive alterutra partium institui possint, ut finium regundorum, familiæ herciscundæ, communi dividundo (i). à causa efficiente aliæ civiles sunt, aliæ prætoriæ, seu honorariæ, tam in rem qvàm in personam (k), & si qvæ sunt ulterius aliæ harum differentiæ, ratione subjecti, causæ, modi, ordinis &c. petendi, in suis fontibus observandæ; ad qvos nunc qvidem, ne jurisprudentiam universam hic videamur repetere velle, nos cogimur remittere.

(a) d. §. 1. I. de act.

(b) t. de R. V. t. d. interd. §. 1. & seq. I. de act. t. si serv. vend. t. si usufr. pet. t. d. petit. hared. &c

(c) §. 18. & seqq. de act.

(d) §. 21. & seq. de act.

(e) §. 36. & seq. eod.

(f) §. 4. Inst. qvod cū eo qvi in alie. potest.

(g) t. Inst. & ff. de noxal. act. & si qvadr. pauper. fec.

(h) §. 28. & seqq. I. de act.

(i) §. 20 I d. act. & lib. 10 ff. l. 37. §. 11 de O. & A.

(k) § 3 & seq. de act. l. 25. §. 1. d. O. & A.

CAP.

CAP. XI.

De poteſtate officioſa.

I. Poteſtas, præter diſtinctionem, qvam ex ſubjecto per jurisprudentiæ tractationem potiſſimum ſortitur, ex aliis qvoq; accidentibus notabiles qvasdam habet differentias.

II. Eſt illa vel arbitrariè libera vel officioſa: Atq; hæc qvidem ſtrictiſſimè talis, qvatenus meræ neceſſariæ exeqvutionis eſt.

III. Retenta ſub eodem adhuc genere, etiam ubi ipſa officioſa expeditio nonnulla arbitrariæ libertatis admixta habet.

IV. Qvin pertinet, qvæ per id qvod circa aliqvam perſonam conſtituta eſt, circa eandem ſibi compoſitum habet officium.

V. Imò talem aliqvomodo facit officium, ex alia cauſâ, qvam ex qvâ poteſtas eſt, ejusdem circa eundem conſtitutum. Neutiqvam verè, ubi aliam perſonam officium, aliam poteſtas alicujus reſpicit;

VI. Niſi forte ejus, qvem obligatio ſive officium alicujus reſpicit, intereſt, poteſtatem ab eodem adverſus alterum commodè exerceri.

VII. Eſt & poteſtas hominum in res, cum officio conjuncta, ſed cum reſpectu ad perſonas.

VIII. Omnem hominum in homines poteſtatem officioſam eſſe, qvam in vita attentionem mereatur.

IX. Omnis licet hominum poteſtas officii qvadam ratione afficiatur, è medio tamen eidem non tollitur libertatis arbitrariæ ratio omnis. Utut magis magisq; altera reſtricta officioſaq; reddatur alterâ.

X. Tutela munus eſt tuendi pupillum.

XI. Qvi perſona eſt ſui juris,

XII. Impubes, aliaq;, qvæ per infirmitatem ſuam ſe defendere neqvit.

XIII. Laudem meretur induſtria JCtorum, tutelare officium in tutelam & curam diſtingventium, ſimiliterq; generalia ſpeciei utriusq; obſervantium.

XIV. Tutelare munus civile publicum est; qvoad affectiones aliqvas,

XV. Qvæ hic per civilem jurisprudentiam pluribus annotantur.

XVI. In qvibus potissimùm tutelaris consistat tuitio? qvoad pupilli personam;

XVII. Bonaq; ejusdem

XVIII. Administrandi.

XIX. De auctoritate tutoris.

XX. Utrum citra hanc pupillus obligetur?

I.

PRæterqvam qvod potestas, h.e. cuiq; lege competens facultas, distinctè considerari potest, qvatenus & liber-(a) c.4.n.1.& 2.b.lib. tas in specie dicta, & dominans in qvid rei sit (a); atqve hæc iterum, qvatenus ratione ipsius objecti subjectiqve, ejusqve diversitatis multifariàm differat, existens & per familiam, & per reliqvam socialem civilem vitam in personas resqve subjectas imperans, itemqve crediti seu petendi debiti cujuslibet adversus debitorem qvemlibet, cum multâ insuper per singula isthæc genera ejusdem subjecti intuitu, distinctione; eâ qvidem, qvâ & vulgò & per civilis sapientiæ tractationem multùm freqventatam illa habet attentionem, adeò, ut ferè qvandam magistralem Jurisprudentiæ dixeris, hanc, ab objecto potestatis, distinctionem; siqvidem animadvertas, qvâ methodô, qvove ordine tractandi concinnior ipsius cultura progrediatur. Dico, præterqvam, qvod hoc modô ab objecto personarum ac rerum & vulgo & per civilis sapientiæ tractationem multum freqventatam habeat distinctionem, & per hanc distinctam tractationem humana potestas; Non desunt tamen, qvibus ab aliis circumstantiarum accidentibus variè qvoqve in vita differat, distingvendaqve veniat ulterius. Et illa fortassis longè plurima, siqvidem diversitates ejus paulò attentius circumspicere incipias. Ne diffundar hîc nimis, ad qvatuor tantum hujusmodi distinctionum qvæ ex numero potissimæ visæ fuerunt, animum paucis advertam, qvatenus nimirum accidat potestati, ut vel arbitratriè libera ma-

ra magis sit vel officiosa; limitata aut absoluta magis; dependens itemqve vicaria aut independens ac principalis, & primum qvidem qvatenus officiosa vel libera sit.

II. Potestas omnis qvatenus ex lege ejusqve virtute permissiva descendit, libera aliqva facultas qvidem est, h. e. qvatenus & qvousqve ex lege est, citra impedimentum legis existens, prout hoc supra cap. 3. n. 6. & alibi pluribus definitum est. Verum, ut porrò alibi declaratum qvoqve est (a), illa libertas per legem liberi nec impediti ad exercitium decursus, vel ita comparata est, ut juxtà admittat facultatem similiter liberam, non ita decurrendi; cujusmodi qvidem conditio est facultatis tollendi, qvod est nullius, acceptandi beneficium, non juvandi eum qvi juvamine abundat: vel ita; ut simul ex necessitate juris præceptivi ad actum, certumve actuum genus potestas provehatur, citra arbitrium potestate hac præditi, deligendi diversum aut oppositum, veluti est potestas honorandi Deum & parentes, solvendi debitum, abstinendi ab injurioso actu adversus proximum. Illam potestatem, ut etiam supra fuit commonitum arbitrariè liberam, hanc verò tanqvam speciem qvadam ab illa differentem jure optimô *officiosam* nobis dici existimem. scilicet, qvæcunqve ex necessitate legum, ut possunt, ita & tenentur facere homines, ad officium eorum & pertinent & pertinere dicuntur. Prout eam rem, & vulgi opinio sermoqve, & prudentum de officiis tractationes testatum reddunt, sub genere & nomine officiorum, qvicqvid ex jure æqvo justôqve homines alteris simul possunt ac tenentur facere, præstare, complectentium, eoq; omnem veram Philosophiam, omne humanum consortium plenum officiosæ rationis autumantium. Sapiens Romanus Orator de officiis ex professo agere instituens, *cum multa*, inqvit, (b) *sint in Philosophia & gravia & utilia accuratè copiosèq; à Philosophis disputata, latissimè patere videntur qvæ de officiis tradita ab illis & præcepta sunt. Nulla enim vitæ pars, neq; publicis, neq; privatis, neq; forensibus, neq; domesticis in rebus, neq; si tecum agas qvid, neq; si cum altero contrahas, vacare officio potest: in eoq; & colendo sita est vita honestas omnis, & negligendo turpitudo. Atq; hæc qvidem qvæstio communis est omnium Philosophorum. Qvis est enim, qvi nullis officii præceptis tradendis philosophum*

(a) cap. 2. n. 4.

(b) 1. offic. sub init.

phum se audeat dicere? En officii, & qvia hoc non nisi per potestatem legitimam expeditur, potestatis officio conjunctæ, h.e. officiosæ copiam, per omnem vitam ab hoc, &, (per hujus testimonium) ab universis veræ civilis sapientiæ cultoribus agnitam. JCtis nostris ferè in more est, ut idem, qvod qvidem hujus naturæ negotii est, indifferenter modò *potestatem*, modò *officium* designent; veluti videre est, in descriptionibus tutelæ, magistratus, sacerdotii ac similium (*a*); aliàs qvoqve, nisi conjecturâ (ex eo, qvod in re est, designatô, desumptâ) fallor, voce *muneris* (*b*) utrumqve junctim, h.e. officium cum potestate, & potestatem cum officio designaturi.

III. Qvamvis autem hoc modo propriissimè potestas qvædam officiosa rectè videatur dici, puta qvatenus idem rei, qvod permissa potestas est, necessitatem expediendi seu præcepti officii qvoqve habet, veluti est potestas Deum colendi, nec blasphemandi. Attamen nolim ego qvidem tam strictis terminis genus omne officiosæ potestatis conclusum, qvin eidem etiam in sinum sæpius admitterem, non parum arbitrariæ libertatis, maximè si pro aliqvâ plurium legitimarum facultatum congerie, (ut ferè facimus) v.g. Tutelarem, magistratus, &c. potestatem qvandam accipias. Notum enim est, utcunqve magistratus, similisqve potestas in tantum officiosa sit, ut etiam tota officium vulgatissimè audiat, & à peritis rerum ita definiatur, multam tamen in multis arbitrariam libertatem ipsum illud magistratus officium in sese solere concludere; qvando judex hâc horâ, hâc die, hac diætâ, has partes, ad tribunal causæqve ventilationem potest vocare & non vocare, admittere vel non admittere: vigiliarum præfectus, cujus de necessitate officii est, vigilias optimè disponere, hanc stationem illi militum decuriæ, aliam alii committere potest, & non committere. Et fortassis inter strictissimæ observantiæ officia obligationesq; vix dabuntur, qvibus non aliqvid hoc modo arbitrariæ libertatis accidat. Ponas officium hominis, qvô Deum necesse habet enixè colere; certè in modo cultus, præterqvam qvatenus disertè divinam determinationem præcise is habet, siccine an aliter cultum illum qvis instituat, in plurimis humano arbitrio est relictum. qvo qvidem ex fundamento, in publicis illa adiaphororum rituum varia definitio

(*a*) §. 1. Inst. d. tut. l. 1. ff. eod. junct. l. 16 eod l. 2. d. R. J. L. 1. de Jdict. jūct. l. 3. eod. l. 215. d. V. S. & pass.
(*b*) l. 18. l. 214. d. V. S. l. 1. §. ult. l. 10. 18. & t. t. ff. d. mun. & honor. It. de vacat. mū. de jure immun. &c.

nitio pendet, & in privatis arbitraria hominis cujusqve in his multa potestas, v. g. diurnasne an horarias, an verò etiam momentaneas, gemitune an verbis ad Deum velit mittere preces. scilicet & gemitus in DEI auribus clamoris extitisse novimus (*a*), & *Deus propitius esto mihi peccatori* plus aliqvando valuisse per os æternæ veritatis edocti sumus (*b*), qvam parasangæ precantium commemorationum. Et vicissim qvoqve per longas atqve ore profusas preces Dominum in partes pertractum scimus (*c*). Igitur ferè adserere ausim, in omnibus officiosis, atqve officiosissimis humanæ vitæ potestatibus, etiamsi magis magisqve in arctum coire in iis possit arbitraria libertas, vix tamen aliqvam esse (modò, qvô communiter in vita necessitas officii obligationisqve solet sumi) qvæ non aliqvid ejus, saltem in aliqvibus aut aliqvâ circumstantiarum conjunctum habeat, etiam qvatenus ad ipsam officiosam expeditionem illa hab^et pertendere; uti patere potest, si respicias, qvid usu officium, munus, obligatio etiam, dicitur, per exempla adducta, & alia ejusmodi innumer

(*a*) Exod. 14.
(*b*) Luc. 18.
(*c*) 2. Reg. 19.

IV. Qvin imò, cum hoc & genere & nomine officiosæ potestatis ad terminos progrederer ulterioris respectus, dicendo talem, etiam potestatem esse, qvæ in se qvidem multùm arbitrarii exercitii, in eodem autem & circa idem subjectum personarum, juxta qvod ipsa peculiaris est, peculiare secum conspirans officium conjunctum habet. cujusmodi esse potest potestas omnis per familiam imperans, veluti patria, maritalis, dominica. item illa, qvæ per civilem societatem imperium audit, & ea, qvæ cuivis alii societati præses atqve directrix potestas constituta est. Nempe deductum in superioribus est (*d*), qvomodo patris in filium, mariti in uxorem, domini in servum, Imperatoris in subditos, & reliqvorum sociali conjunctioni præfectorum in socios, potestas, ratione hujusdem conditionis erga easdem personas, in qvas ea iis competit, cum plurimo peculiari officio sit conjuncta. Imò deniqve nec excluderem ab hoc genere, si qvæ libera potestas, & qvatenus, qvalemcunq; peculiarem sibi compositam officiositatem negativâ seu qvæ non in faciendo consistit, habet, qvalis e. g. potestas est utendi locis jure gentium liberis, item ex indultu superioris facultas faciendi

(*d*) à cap. 5. usq; 9.

endi

endi aliqvid in publico loco; libèrtas sibi lucrandi; potestas qvædam exigendi debitum: qvatenus scilicet *illis* adjuncta est necessitas, ne cum injuria ac detrimēto vel publico vel privatorum etiam in communibus publicisqve locis exerceantur *(a)*; *Isti* eadem *(b)*; *huic* reqvisita indulgentia est alicujus temperamenti temporis modiciqve spatii, possibilitatisqve debitoris *(c)*. adde, vel facultatem petendi humanitatis officia à qvoqvam, id officiosæ rationis conjunctum habere, ne in gravamen enormius, inqve abusum faciliioris liberalitatis alterius procedat. Atqve hactenus qvidem cum hoc officiosæ potestatis genere ferè consisterem, nimirum talem adhuc dicendam existimans; cui modo (ut dicebatur sub init. thes.) peculiaris qvædam juxta conspiret compositaqve lege sit, ejusdem circa eandem personam idemve negotium objectum, officiositas; desumptâ appellatione hic, non tam ab ipso qvidem qvasi essentiali potestatis, qvô vel tota vel maximam sui partem necessariæ officiosæqve expeditionis est, cujusmodi in præcedentibus speciebus est; sed tamen ab accidentali proprio, officio nempe peculiariter cuidam potestati lege composito, & qvasi constipato, circa idem specie objectum, juxta ipsius potestatis exercitium exercendo. Obiter etiam hoc adnotatô, qvod, in iis maxime casibus, ubi officium potestati conjunctum, in faciendo consistit, sæpius in priorem officiosæ potestatis speciem res recidat, qvando e. g. patris liberior improbitatem filii coercendi potestas in ipsam officii paterni necessitatem planè pertrahitur: similia accidunt in hujusmodi similibus.

(a) l. 50. de acqvir. rer dom l. 4. §. 1. l. 2. §. 1 10. 17. neqvid in loc. publ. (b) l. 206. d. R. J. (c) l. 105. de solut. l. 1. §. 8. ad L. falcid. l. 137. §. 2. d. V. O l. 21. de judic.

V. Non autem extensam adeò cuperem hanc potestatis officiosæ rationem ultrà; putà ad usqve accidentalem qvamlibet officii cujusqve cum potestate qvalibet conjunctionem, in eadem persona licet. Imò lentius eundum censerem, etsi ejusdem circa eandem qvoqve personam ex diversis tamen potestas & obligatio causis sint. Intellige potestatem, qvæ fortè Titio in Sempronium crediti exigendi est, qvatenus idem Titius aut cuicunqve alii, aut ipsi Sempronio ad officium paternum, pastorale aut qvodvis humanitatis aliud ex alio capite causæ obstrictus est. Tametsi forte neqve hic, qvatenus ex altera causa (conventione) potestas cum

obli-

obligatione ex altera (copula conjugali) conjuncta est, donec utraqve hæc qvalitas eandem personam respicit, à peculiari qvadam officii ratione prorsus immunis illa sit censenda: qvin potius fatendum, accidere, qvod etiam ex alia causa debitum seu obligatio, aliunde competenti potestati, sese implicet, eidemq; officiosi qvandam rationem imprimat. res manifestè per Jurisprudentiam proditur, in casibus, ubi potestas exigendi, non ejusdem statuitur esse libertatis adversus parentes, cæterasqve, qvibus singularis veneratio debetur, personas, neqve etiam ejusdem efficaciæ adversus hasdem & reliqvas, qvibus qvis vicissim simili modo singulari vel honesti vinculo conjunctus est, veluti conjugem, socium, donatorem, vel etiam cujuscunqve liqvidi debiti debitorem, qvam adversus qvosvis alios; qvando ipsa isthæc crediti ex alia causa cuiqve competens potestas in illos, restricta qvasi est ad qvandam conveneratíonem eorundem (*a*); in istos, ad id qvod facere possunt, ne honestô victu (*b*) egeant; ad hos, ut compensetur, qvod vicissim his ab eodem hoc qvi potestatem illam habet, debetur (*c*). Unde adeo officiosa potestatis hæc tandem ultima videri possit protensio, qvatenus nempe, qvi illam in alteram habet, eidem vicissim jure sit ad officium obstrictus; non verò tàm, qvatenus alteri: qvod non illô hoc autem tandem casu, (licet in eodem subjecto officium cum potestate hæreat) ita distracta ab invicem utraq; qvalitas videri possit, qvod mutuo sese non afficiant, qvia videlicet, à principio licet uno, non parallelum tamen aut ad sese reflectêtem, sed in diversum, propositum habeant cursum.

(*a*) *l. 2. 13. & t. t. d. in jus voc.* (*b*) *§. 37. & seq de act. l. 12 solut. matrim. l. 30. de judic. l. 137. de R. J.* (*c*) *§. 39. de act. t. t. ff. de compensat.*

VI. Sed & hæc fortè se ita habent simplicius, siqvidem diversæ illæ personæ, (qvarum alteram qvis potestati obnoxiam habet, alteri officio obstrictus est) se ipsas inter se non ita contingant, qvod qvæ in alteram fiant, aut non fiant, alterius intersit. Si enim hoc est, etiam hinc ad priorem officiosam rationem potestas videtur retrahi, v. g. crediti, ne æqvè, atqve adversus qvemvis extraneum, libertus in parentes liberosqve patroni, sine venia eos in jus vocando, eam exercere possit. (*d*) qvia scilicet per has ipsas patronum contingentes personas officium ipsi patrono debitum videri potest suffodicari. Non ausim hic ad illud JCti (*e*), qvo *beneficio affici homi-*

(*d*) *l. 4. de in jus vocan.* (*e*) *l. 7. de serv. export.*

hominem hominis interest, descendere, & per ejusmodi ambages cujvis hominis in hominem potestati officium implicare, qvasi nempe qvisqve potestatem in alterum habens, reliqvis bonis omnibus, eorumqve complacentiæ obstrictus sit, ut citra injuriosam severitatem cumqve officioso moderamine eam exerceat; Saltem id attendisse velim, qvomodo homo qvivis, qvi potestate pollere in alium potest, saltem communis humanæ cognationis ratione, eidem non potest non ad officia humanitatis adstrictus esse. Et siqvidem minus ad præstanda alia, saltem ad illud humanæ istius cognationis conseqvens, qvô hominē homini insidiari nefas est (a). Qvamvis si ad solium sublimius hic mente colleveris, propter id, qvod isthic tertii interest, facilis qvoq; pateat descenso, ad remissionem mitemve exactionem centum nummûm, qvos à qvovis exigere potestatem habes; effectu, ut lucrari habeas, ne & tu ad ultimum usqve denarium exsolvere habeas, isthæc qvæ debes pondo mille (b).

VII. Potestas hominis in res corporeas alias præter hominem, qvomodo cum officio possit esse conjuncta, siqvidem ipsius rei intuitu eam consideres, haud pariter liqvet, nisi fortè aliqvid officiositati simile illi velis affingere, qvæ in viva animntia est. Veruntamen qvia & ipsa hæcce hominum in insensibilia ac irrationabilia rerum potestas, plurimùm cum respectu atqve attingentia ad personas conjuncta est, ita ut illæ per ejusdem exercitium & cōmodô & damnô possint affici; & verò per ante dicta constat, in eo respectu hominum potestati familiare admodum esse, ut officio sit condita, forsitan minus admirationis habet, si etiam iis, qvæ qvasi primariò alias in rem sunt, potestatibus, rationem officiosæ qvalitatis appressam posse esse, admittas; per illas JCtorum adnotationes, qvibus qvæ jure publico civili & gentium libero multumqve arbitrario usui qvorumvis exposita sunt, hactenus isthic usui relinqvuntur, donec *citra incommodum publicum injuriamq; privatorum* is procedat (c): facultas alienis rebus utendi fruendi ita adlimitatur, ut usurpatio fiat, *salva rerum substantia* (d); cum submissione in locum demortuorum capitum gregis ex fœtu, demortuarum vinearum, arborum, ejus generis aliarum; cum tali per omnia rei cultu, qvi boni patrisfamilias est (e); cum *cautione* insuper hujus homine

(a) l. 3. de J. & J.
(b) Matth. 18.
(c) l. 2. & t. t. ne qvid in loc. publ.
(d) l. 1. d. usuf.
(e) §. 38. de R. D.

præſtitâ(a). jus eundi, ambulandi, vehiculum ducendi per alienum fundum, ad modum trahitur (b). imò *expedire* deniqve aſſeritur, *reipub. neqvis re ſua male utatur* (c). Sed hæc nunc transmittimus, uti ſimiliter & illud, qvomodo qvæ hominis erga Deum qvaliscunqve poteſtas eſt, plurimâ ſui parte officioſa ſit. ut & magnâ, qvæ erga cæteras ſpirituales bonas naturas. Minus autem etiam nunc, qvando de officio humanæ poteſtati conjuncto diſqviſitio eſt, libet referre, de ea officioſa ratione, qvæ Dei aut alterius naturæ poteſtati confinis eſt.

(a) l. uſufr. qvemad. cav. (b) l. 11. qvemadm. ſervit. amit. l. 5. d. ſervit. præd. ruſt. (c) §. fin. Inſt. de his qvi ſui vel alien. jur.

VIII. Hoc autem ex dictis prorſus clareſcere exiſtimem, qvomodo omnis humana (activa) vita & officio ſit perfuſa, & ita qvidem perfuſa, ut ipſa, eandem pertranſiens, hominum agendi poteſtas, qvatenus circa homines occupata eſt, cum officio officioſaqve ratione qvadam affecta temperataqve, imò partim penitùs ligata contractaqve ſit. à qva qvidem ratione, qvia poteſtatem libuit officioſam dicere, ſeqvitur, qvicqvid hominum in homines poteſtatis eſt, id ſi non ſtrictiori, ſaltem aliqvâ ratione officioſum eſſe. Id qvod, qvoad rem ipſam multam in vita attentionem meretur, qvando ubicunqve aliqvid alicui poteſtatis in qvem qvosve competere ponitur, proximum continuò eſt, ſiqvidem illam poteſtatem probè diſcernere velis, juxta qvod ad libertatem ejus attendenum eſt, qværere ac intueri, qvousqve vel terminetur eadem, vel impellatur officiò. Et eſt fortaſſis hocce illud, in qvo maxima pars diſqviſitionis, de juſto in vita, occupata eſt.

IX. Per officium hoc modo jugiter accumbens poteſtati humanæ, non ſublatum eo ex genere, multam ipſius arbitrariam libertatem. qvin pari amplitudine eandem ſeſe diffundere potius exiſtimem. qvando nimirum viciſſim deprehendere licet, omni officio officioſæqve neceſſitati tale aliqvid libertatis adjacere; atqve hoc ferè poteſtatis, qvatenus ex principali ſua cauſa, putà, cum potentiâ ex legis permiſſione ipſa eſt, proprium eſſe, ut ita ſit libera. Hoc jamdum ſuperius (d) demonſtratum eſt; illud patet ex iis, qvæ modò ante num. 3. dicta ſunt. Verum qvod dicere velim, hoc eſt; non videri dari poteſtatem humanam, etiam plurimò cum arbitriò liberam, qvæ non, ſi non ipſa officioſa ſit, ſaltem aliqvid of-

(d) lib. hoc. c. 2. n. 4. c. 3. n. 18 lib. 1. c. 2.

(a) cap. 5. n. 4. ficii admiſtum habeat ita, ut non tantum (cujusmodi ſupra (a) qvoqve in genere de libertate & qvalitate ſervili adnotabatur) in uno ſubjecto poſſit cum hoc conſiſtere; ſed etiam qvod illa circa idem ſubjectum exercenda, ab hoc qvodammodo afficiatur, condirigaturqve: prout, exiſtimem, per adducta poſſe patere. Cæterũ ad hoc tamen porro attendendum putem; poteſtatem, qvatenus arbitrariam hanc libertatem in ea reſpicimus, diverſimodè per rationem officii confingi, magisqve minusqve contrahi trahiqve. Qvomodo extra dubium eſt, plus habere arbitrarii illam qvamlibet poteſtatem, qvæ ex mero magis jure permisſivo eſt, veluti eſt acceptandi beneficium, utendi ſuâ; qvàm qvæ vel tota vel principaliorem ſui partem ex præcepto juris ſimul deſcendit, cujusmodi eſt, venerandi parentes filiorum, jurisdicendi, adminiſtrandiqve, magiſtratuum, ſuſcepta procuratoria poteſtas, ac ſimiles. & viciſſim plus ſtringentis trahentisqve officii huic generi, minus illi inditum eſſe: eoqve etiam magis hoc qvàm illud inſigne officioſi mereri. De genere poteſtatis officioſæ, & qvomodo univerſum differat, qvamve extenſionem habeat per vitam forſan per dicta hæc ſatis conſtat. ordo videri poſſet reqvirere, ut nunc qvoqve perluſtremus ſpecies hujusdem, eas imprimis, qvæ maximam in vita attentionem momentumqve habeant. Verum qvia, qvæ in his laxioris ſunt arbitrii, veluti, per familiam patria, maritalis, dominica in perſonas ſervas, extra familiam in ſocietatibus, civili ac reliqvis, imperans, item crediti exigendi, poteſtates; ſimiliter & dominium in res cum partibus facultatibusqve homogeneis, poteſtasqve acqvirendi; qvia hæ inqvam poteſtates ex alio diſtributionis capite per hanc tractationem ſuam ſigillatim animadverſionem ſortiuntur; hic de illis agere non attinet: uti nec de illis, qvæ ex altero genere ſtrictisſimi ſunt officii; qvoniam partim luculenter ſatis illa natura pervidebitur ex iis, qvæ de ipſa obligatione ejusdemqve ratione ac cauſis inferius (b) proponenda erunt, partim etiam in iis nobis ſunt, qvæ liberioribus illis poteſtatibus viſa fuere ſtatim per ſingula capita (c) ſubjicienda. Saltem qvæ mediæ conditionis ſunt, juxta notabilem libertatem, officioſæ poteſtates, hunc videri poſſent velle occupare locum; ut adeò hic agendum foret de juriſdictione,

(b) lib. 3.

(c) 5. & ſeqq. h. lib.

ctione, seu jus dicendi facultate, de variis magistratuum officiis, publicisqve muneribus, imò & de privatis procuratoriis, negotiorumqve gestoriis, functionibus, prout præiri videmur à Juris civilis compilatoribus; de jurisdictione, de muneribus, & reliqvis, tum in genere, tum per species & partes tractationem instituentibus (a). Sed qvia major horum omnium amplitudo est, qvàm nostrum nunc patitur institutum, in hisce, locô modò qvo pertineant indicato, fontes, & curiosum interpretum laborem nunc suspicimus, de cætero eas transeuntes. Tantummodò, ne exemplum desit loco, unam tutelam, carpemus ex numero, ejusdemqve schema suis qvasi primis lineamentis appositum dabimus; qvando & illam dignã habuerunt juris nostri auctores cultissimi, cujus pleniorem tractationem in compendiosa & maximè methodicâ Jurisprudentia (b) non omitterent.

(a) lib. 1. & 50. ff. lib. 1. & 10. C. locisq; ali.

(b) à tit. 13. ad fin. lib. 1. Inst.

De Tutelis.

X. *TUTELA EST*, ut Servius definivit, *vis ac POTESTAS in capite libero ad tuendum eum, qvi per ætatem se defendere neqvit* (c). Non libet hic disqvirere, qvare Servius in hac suâ definitione verba *vis ac potestas* conjungat, cum unum videri possit sufficere: facile id indulgeas eloqventiæ romanæ, simili figurâ, etiam in aliis juris nostri textibus sese insinuanti (d); & pari qvidem in hoc nostræ abundantiæ, qvâ eodem effectu simplicis sensus verba **Macht und Gewalt** solemus conjungere, iteq; ut illa: *jus & potestas* (e) **Recht und Gewalt**. Neqve etiam torqveri velim, indagando, qvodnam *caput liberum* hic intellectum velit JCtus, ipsiusne tutoris an pupilli, subjectivène, an objectivè id accipiendum sit; utriqve personæ, ut tutela locum habeat, caput liberum facilè asserens à servitute (f) etiam præ tutore (g) pupillo à patria potestate (h); ad qvem Jurisperiti hic etiam potius adeò videri possunt respexisse, qvando postqvam de capitibus personisve subjectis potestati familiari dominicæ patriæqve egerunt, de iis, tutelæ jus aggressuri, acturos sese præfantur (i) qvæ ab hujusmodi potestatibus jure liberi sunt. Cæterum & reliqvis per se in hac positione claris, id saltem apprimè notari velim, constitui tutelam à Servio, & qvi eum seqvuntur

(c) l. 1. de tut. §. 1. Inst. eod.

(d) l. 12. de ll. l. 1. d. noxal. act. §. 3. Inst. d. Interdict.

(e) l. 1. ad l. Falcid.

(f) §. 1. qvi testam. tut. dar. pos. pr. Inst. de tut.

(g) pr. Inst. qvi testã. tut. dar. pos. l. 9. de his qvi sui vel alien. jur.

(h) d. pr. I. de tut.

(i) d. pr.

in genere *POTESTATUM*. Cui si adjungas, qvibus eadē Jurisperitis *OFFICIUM* appellitatur(*a*) habes, id gen9 officii, qvod insigni cuidā potestati est cōjūctissimū, & illā potestatis speciē, qvæ notabili modo officiosa est. Qvam rem, qvādo ut supra adnotavi, juris lingvæq; romanæ peritissimi junctim verbo *MUNERIS* videntur exprimere velle, prout etiam in ipsa hac specie, sæpissimè faciunt(*b*); & præterea ille, qvi sui juris existens, per ætatē se defendere neqvit, idem ipsis est, qvi *pupillus*; & qvod præterea eò ipsò, qvod potestatem aut munus dicis, (intelligens per civitatem administrandum, aut publicum) aliqvid jure civili datum ac permissum dicis; datum constitutumq; scilicet, qvatenus officium, permissum qvatenus potestas: forsan retentis necessariis, rejectis autem etiam cæteris, Servio abundantibus, haud invenuste definitionem ab ipso propositam contraxeris; dicturus; *TUTELAM ESSE MUNUS TUENDI PUPILLUM.*

(*a*) l.16. de tutel. rubr. & l. 1. C. qvand. mul. tut. off. fug. pot. &c.

(*b*) l.1. §.4. l.18 §.1. d muner. & honor. pr. J. de excus. tut. &c.

XI. Si considerentur, qvæ per positionem hanc dicuntur, & manuductore Philosopho (*c*) partes ejus singulæ discutiantur, h.e. ipsæ tanqvam nomina resqve definiendæ constitutæ rursus definiantur, earundem propria & accidentia pervestigentur; factâ ad ipsum subjectum primum, qvod tutela hic nobis est applicatione omnium; ut opinor, tota de tutelis materia commodissimam habere, potest, facilioris qve conceptus tractationem. Eo ipso qvod ponitur objectum aliqvod tuendum, & munus tuendi, supponitur aliqvis, cui hoc munus tuendi est, *qvi eam vim ac potestatem in objectam illam personam habet*, & in genere, *ex ipsa re nomen accipiens qvasi tuitor atq; defensor* (*d*), & in specie, qvatenus usu cum pupillo tanqvam speciali correlato componitur, *tutor*, munus ipsum *tutela* appellatur. Persona cui bono munus hoc constituitur, cujusve tutelæ tutor occupatur, *pupillus* hic audit, qvem ita nobis describit Pomponius JCtus (*e*) *PUPILLUS est qvi cum impubes est, desiit in patris potestate esse aut morte aut emancipatione.* brevius fortè tantundem effectu diceres, phrasi similiter legitima, *pupillus est impubes sui juris persona.* Et nempe ad duo circa personam pupilli notabilia, utraqve descriptio videtur recidere; uti videlicet, (siqvidem talis haberi debeat, cui maximoperè competat tutelæ subdi) & *sui juris*, seu

(*c*) lib. 6. top. cap. 7. in fin. & passim.

(*d*) §.2. I. de tutel.

(*e*) l.239. de V. S.

ſeu libera à poteſtate patria, adde & dominica ſit, & impubes adhuc exiſtat. De priori res expeditæ rationis videtur eſſe, eoqve jure civili facile comprobationem nacta (a): cum poteſtas patria aut dominica in aliqvam talem pupillarem perſonam, per liberiorem, qvâ ipſa pollet, manu, non videtur compati poſſe extranei privati hominis in eandem perſonam, aliqvam talem poteſtatem, qvalis tutela eſt. ne dicam totum tutelæ munus in ſubſidium videri conſtitutum deficienti paternæ curæ dominicæqve proviſionis. Eſſe autem in pupillis tutelaribus, non tantum, qvi juxta adductam JCti poſitionem, impuberes in poteſtate patris deſierunt eſſe; ſed & qvæ deſierunt in poteſtate dominica eſſe, alibi adnotant jura civilia, ubi etiam patronos, horumqve liberos ad legitimam hujusmodi libertorum tutelam vocant (b). Notari autem obiter debet; verbum pupilli interea, qvatenus extra particularem ad tutelam reſpectum verſeris, habito ſolummodo ad ætatem intuitu, qvemlibet dici impuberem, etiamſi in patria aut dominica poteſtate ſit conſtitutus (c): qvò pertinet derivatio nominis pupilli à pappo ſive puppa, qvod parvum puerum denotat (d). Et in hiſce qvidem terminis etiam hactenus cernere eſt, ex parte conſiſtere præmiſſas definitiones pupilli, qvatenus videlicet conditionem pupillarem non reſtringunt ad tutelarem: Unde addere habemus, nos cum reſpectu ad tutorem tutelamve pupillum hic accipere, more aliàs per civile jus uſitatisſimo.

XII. Qvod autem præcisè *impuberem* ætatem, annis, in maribus qvatuordecim, in fœminis duodecim circumſcriptam (e) romana jurispoſitio ſub tutela, (qvam talem propriè ſtrictève dictam cupit) concludit, & hanc illi ſolùm applicat; Id huic nomotheticæ peculiare aliqvid eſt: uti videtur, inde ei ortum, qvod hæc ætas prius ipſi fuerit definita pro habitudine ad nuptias obeundas: qvam qvidem antiqvitatem vel ipſa illa in legibus cum maſculinæ fœmineæ pubertatis cõpoſita cõſignatio multoties innuit, qvâ fœminæ hujus qvalitatis, viri potentes appellitantur (f). Nimirum viſum fortè, cum tutelaris poteſtas majorum virium amplioriſqve libertatis erat in perſonam bonaqve tuenda, hanc non adeò qvadrare ei ætati; cui contingebat novam ſibi & peculiarem familiam con-

(a) pr. J. d. tutel. add. pr. J. de his qvi ſui vel al. jur.

(b) t. J. de leg. patron. tut.

(c) l. fin. §. 2. d. V. O. l. 4. d. neceſ. ſerv. hæred. inſt. l. 7. §. 3. de pecul. l. 14. ad SCtum Syllan.

(d) ex Martiali Gæd. ad l. 16. n. 2. d. V. S.

(e) pr. Inſt. qvib. mod. tutel. finit.

(f) pr. J. de nupt. d. pr. Inſt. qvib. mod. tut. fin. pr. J. d. curat.

constituere, aut in ea esse; eoqve potius congruere, uti propter ipsam hanc contingentiam strictior illa ac potentior tutelaris potestas, vel cessaret penitùs, vel etiam nomine & omine in indulgentiorem commutaretur, qvæ scilicet & cura diceretur, & reapse qvalitas munusve esset plus officii, minus potestatis habens. Qvam tamen ipsam muneris speciem, siqvidem non tam vim Romani abusus, qvàm ipsam proprietatem vocis intueri velis, omninò sub tutelari genere comprehendes. Et si hoc; absq; dubio simul si nō nomē saltem objectum ipsum muneris tutelaris ultra pupillos, personas infantiæ vicinas, ad alias qvoqve personas extendes, qvæ simili ratione ut pupilli alienâ tuitione indigent, nempe omnes eas, qvibus romana legitima sedulitas curatores constituit(*a*); puta majores 25. annis, furiosos, prodigos, mente captos, mutos, surdos, perpetuô morbô laborātes, & si qvi sunt Præterea alii. Planè cum hujusmodi extensione mores nostri juraqve propria, vel ignara, vel negligentia subtilitatum romanarum, tutorium munus, nobis dictum **die Vormundschafft** solent accipere. Et nescio qvidem, an ipsa vox pupilli, ex more, qvô per similitudines rerum, nominum translatio à re ad rem solet fieri, etiam reliqvis personis tutelari tuitione indigētibus, puberes licet sint, accōmodari possit; Certè tutoris nomē deprehendere est etiam ab antiqviore Romanorum Nomothetica ad alios qvoq; qvâm impuberes protractum esse, veluti fœminas (*b*). imò communem utriusqve naturam nil magis videri potest urgere, qvàm utriusqve muneris commune fundamentum rationis, qvare utrumqve constituendum sit, à JCtis ipsis facilè observatum: sontica nempe personæ infirmitas, qvâ se suaqve ipsa tueri non potest, eòqve alterius ope ac tuitione prorsus opus habet, ut salva sit. Hanc Justinianus de tutela impuberum ita effert (*c*): *Impuberes in tutela esse, naturali juri conveniens est, ut is qvi perfectæ ætatis non est, alterius tutelâ regatur.* De ætate pubere infra vigesimum qvintum annum constituta idem (*d*) *masculi qvidem puberes, & fœminæ viri potentes usq; ad vigesimum qvintum annum completum curatores accipiunt, qvia licet puberes sint, adhuc tamen ejus ætatis sunt* (nota parem priori rationem) *ut sua negotia tueri non possint.* Qvibus respondent hæc Ulpiani (*e*): *inter omnes constat, fragile esse & infirmum*

(*a*) t.1. de curat.t.ff.de curat.fur.prod. & aliis extr.min.dand. & pass.

(*b*) Ulp. tit.9. pr.

(*c*) §.6.de Atil.tut.

(*d*) pr.Inst.de curat.

(*e*) l.1.pr.& §.3.ff.de minor.

mum hujusmodi ætatium consilium, multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum. - Et ideo hodiè in hanc usq; ætatem (25. annorum) *adolescentes curatorum auxilio reguntur, nec ante rei suæ administratio eis committi debebit &c.* Idem hic de fœminis ad antiqviorem romanorum usum ita ait *(a) : Tutores constituuntur fœminis tam impuberibus, qvàm puberibus,* (nota porrò rationem) *& propter sexus infirmitatem, & propter forensium rerum ignorantiam.* qvibus gemina sunt hæc Ciceronis *(b) Mulieres omnes propter infirmitatem consilii veteres in tutorum potestate esse voluerunt.* Postqvam de furiosis & prodigis, eorumqve impotentia sua tuendi dixissent compilatores juris ex Ulpiano *(c)*, addunt ex Paulo *(d) sed & aliis dabit proconsul curatores* (ratio) *qvia rebus suis superesse non possunt.* Hosce *alios* cum eadem ratione Justinianus alibi *(e)* compendiô refert, *mente captos surdos, mutos, & qvi perpetuo morbo laborant.* Ex qvibus omnibus fortè haud ineptè colligas, siqvidem justa generalitate accipiantur dicta definitionis nostræ, qvâ *tutela potestas est tuendi pupillum*; isthæc omnia potestatis officiiqve, qvæ JCti Romanenses partim ad tutelam ipsis propriè dictam, partim ad curam, ut qvoddam qvasi alius naturæ munus, tanta sollicitudine ut distincta aliàs referunt, eadem contineri.

(a) *tit. 11. Inst. pr.*
(b) *in Orat. pro Muren.*
(c) *l. 1. d. curat. furios.*
(d) *l. 2. eod.*
(e) *§. 4. d. cur.*

XIII. Tametsi interea condemnare nolim, imò multum æstimem, industriam horum virorum, qvâ ipsi ferè nobis observarunt soli, qvam diversitatis rationem per naturæ æqvitatem huic muneri adferat, diversitas ætatis, aliarumqve qvalitatum, in personis tuendis. Qvâ modo conveniat, ut cura potestasqve tuitorum principaliter ad personam sit directa, puta ubi impubes adhuc est tuendus; modo ad res (huc autem omne etiam tutelare munus sese protendere extra ambiguitatem collocat ratio, qva persona non bene recteqve defenditur, nisi & bona ejus defenduntur) majore libertate personæ relictâ *(f)*; qvâ alii ætati conveniat, etiam invitam subire hanc potestatem, alii non item *(b)*; & si qvæ sunt ab iis similia huc illuc diversa annotata; qvæ, ut dislocanda, pepererunt, configurarunt qve diversas illas tutelaris muneris species Tutelam & curam. Similiter laudanda industria, qvâ etiam communia utriqve speciei, h. e. universo generi tutelari compe-

(f) *§. 4. Inst. qvi testã. tut. dar. pos. §. 2. de curat.* (g) *l. 6. d. tutor. dat. d. §. 2. de curat.*

tentia eidem ſubnotare non omiſerunt, veluti qvod tàm tutores, qvàm curatores teneantur ſatisdare, iidem poſſint ſe certas ob cauſas excuſare, poſſint qvoq; ut ſuſpecti à munere removeri (*a*), & qvæ ſunt reliqva ejusmodi, qvæ partim ex natura generis, qvô munus eſt, tutelæ applicantur.

(*a*) *tit. 24. 25. 26. J. lib. 1.*

XIV. *MUNUS*, qvod ante dixi ex uſu peritorum & poteſtatis & officii rationem in ſe videri complecti, ſubjecto noſtro, loco primigeneris ponitur, unde id facile conſeqvens eſt; qvod ſi qvà illud genus in ſpecies abit, attendendum eſſe, ad qvam ſubjectum noſtrum pertineat. Et ſi qvę vel univerſo illi generi, vel huic ſpeciei, ad qvam ipſum hoc ſubjectum pertinet, cõmuniter competentia ſunt, eadem qvoqve huic, puta tutelæ, fore talia, donec fortè ſpecialiſſima qvædam hujus in aliqvibus monſtretur diverſitas. Qvod primum attinet, qvandò munera non tantum diſtingvantur, civilia pbulica, à privatis; ſed & illa qvaſi καθ' ἐξοχὴν munera appellentur (*b*); ſiqvidem qværas, cujus dignationis munus tutelæ hic ſit à veteribus habitum; plenæ ſunt teſtimoniorum leges romanæ non tantum, qvod excellentiori muneris nomine ſæpiſſimè dicatur, ſed & qvod *placuerit tutelam & curam publicum munus eſſe* (*c*), itemqve *civile* (*d*). ubi qvidem notandum videtur, qvod ſi à fine, rationem illam, qvâ publicum munus aliqvod dici poſſit, æſtimare velis, & illum finem ita accipere, qvatenus non tàm per conſeqventiam qvandam, ſed qvàm proximè publica utilitas eſt; forſan duriuſculum videri, tutelam, inter publica munera referri. qvoniam ferè privatæ illæ perſonæ ſunt, qvarum commodum per hoc muneris ſigillatim qværitur. Qvo fortaſſis etiam reſpexit Modeſtinus (*e*), qvando *non eſſe reipubl. munus tutelam* dicit. Veruntamen nec viciſſim negari poteſt, utcunqve in privatorum utilitatem proximè tendat ejusdem hujus muneris ordinatio, eandem tamen ita tendere, uti qvàm plurimum utilitatis inde in civitatem univerſam, h.e. in publicum redundet; qvando nimirum & cives paternâ curâ deſerti (qvorum benè multos fragilitas mortalis vitæ ſolet conſtituere) civitati per id educantur, & ita qvidem educantur, ut & moribus & fortunis, olim publicè faciendis commodis habiles ei ſiſtantur. qvando deinde & horum & aliorum qvorundam infirmiorum bona pu-

(*b*) *tit. de muneribus.*
(*c*) *pr. J d. excuſat. l. 9. de his qvi ſui vel al. jur.*
(*d*) *l. 18. pr. de munerib. & honor.*
(*e*) *l. 6. §. 12. de excuſ. tut.*

na publicis qvoqve subsidiis per idipsum salva conservantur. Qvæ adeo rationes, præterqvam qvod ipsa humanitas enixè reqvirebat, civibus sociisqve infirmis publica ordinatione sedulo subveniri, satis opinor, ponderis attulerunt, uti munus hoc in censum publicorum civiliumqve munerum collevarent publicæ salutis humanitatisqve studiosi legistæ. intellige qvoad reqvisita effectaqve, qvibus aliàs publica & reipubl. munera civilis publica autoritas donare solet. In qvibus sunt, qvod regulariter à viris non à mulieribus administretur, *virileq;* adeo officium sit (*a*), qvod *lege, more, imperiove magistratuum* qvibusvis ex civibus, modo habiles sint, id ipsum deferatur (*b*), idq; necessario obire habeant ii, qvibus defertur (*c*), nisi forte peculiari publicô privilegiô vallati, illud, se excusando, declinare possint (*d*); qvod porrò qvi susceperunt plurima cum cautione ac industria susceptum administrare teneantur (*e*); citra pecuniarium licet damnum proprium; qvippe hoc meritò, si qvid incidit, instaurationem habet ex bonis administratis ejus, cui privatim per munus hoc tantoperè inservitur (*f*), unde & *personale*, non reale munus esse nostris dicitur (*g*), tanqvam qvod per industriam personæ, non verò onere reali sumptuqve ejusdem proprio sit peragendum.

XV. Locus hic est, ubi in specie pluribus ex Jurisprudentia nostra liceret apponere, & qvæ communia ex natura publici muneris, & qvæ specialia sibi tutelare hoc munus habeat. 1. in *constitutione*, qvomodo nimirum testamentô, lege, ac datione magistratus deferatur, inde specie diversa, testamentaria, legitima, ac dativa existens tutela (*h*); & qvæ causæ legibus approbatæ excusationem ab hac præbeant (*i*). 2. In iis, qvæ constitutionem, ingressumqve officii *concomitantur*, cujusmodi sunt satisdatio, hujusdemqve exactio (*k*); inventarii confectio (*l*); 3. *In finitione*, qvomodò scilicet certis annis, certisqve emergentibus casibus veluti pubertate, morte, capitis deminutione aliqva alterutrius personæ, reconvalescentiâ ejus qvi per infirmitatem hac provisione opus habuit, conditione, tempore, præfinitis (*m*), & imprimis, qvomodo etiam remotione suspecti (*n*) terminetur. 4. In iis qvæ *ad, sive etiam post finem* muneris hujus in observantiam cadunt, qvatenus *in omnibus qvæ fa-*

(*a*) l. 2. de V. S. junct. l. 16. de tut. l. 1. §. 2. de leg. tut. (*b*) l. 214. d. V. S. junct t. 13. & aliqv. seqq. Inst. lib. 1 (*c*) l. 214. junct l. 20. C. d. neg. gest. l. 1. pr. l. 5 §. 1. de admin. tut. (*d*) t. d. ex cusat. tut. (*e*) per capit. jur. multa. (*f*) t. de contr. tut. act (*g*) l. 1. §. ult. l. 18. §. 1. de muner. & bonor. (*h*) cũ parall. per ff. & C. lib. 1. Inst. t. 13. 14. 15. 17. 18. 19. 20. (*i*) t. 25. (*k*) t. 24. (*l*) l. 24. C. de admin. tut. l. 7. pr. ff. eod. l. 22. C. de Episcop. aud. l fin. §. 5. d. cur. furios. l. fin. C. arbitr. tutel. (*m*) t. I. qvib. mod. tut. fin. l. 1. pr. de cur. furios. (*n*) t. ult. lib. 1. Inst.

cit tutor, cum facere non deberet: Item in his, qvæ non fecit, rationem reddit tutelæ judicio, *præstando dolum culpam, & qvantam in suis rebus diligentiam* (a), datô tutelari huic judicio progressu ad usqve fidejussores & magistratus datores (b), qvatenus idem tutor *actione de rationibus distrahendis*, de iis, qvæ ex bonis pupilli malitiose abstulit in duplum excutitur (c). Vicissim autem, qvatenus, qvæcunqve bonâ fide de suo in rem pupilli administrationemqve impenderit (d), contraria tutelæ actione, qvæ dicitur, repetit. Et si qvæ in omnibus hisce particulatim observanda veniunt reliqva; qvæ nunc sigillatim omnia repetere, esset extra intentionem nobis modernam (qvæ est ad generaliora Jurisprudentiæ consistere, & inde modò qvasi desuper contenta ejusdem commonstrare) nimis procurrere.

(a) L.1.ff.d.tutel. & rationib. distrab. (b) tit.7.& 8.lib.27.ff. (c) d.t.l.1.§.1.& l.2. (d) l.1.pr.§.4. l.4.§.8. cõtr. tutel.

XVI. Solummodò, qvando munus pupillum TUENDI tutela nobis describitur, illud *tueri* pupillum aut qvemlibet tutioni huic subjectum alium, qvam rationem habeat, & in qvibus potissimum actibus consistat, paucis hic *qvintó* locô percensere licebit. Et habet qvidem Tutor *tueri & personam & res* seu bona pupilli. *Personam* ipsam rectè tuebitur, ubi probè prospiciet de omnibus iis, qvæ ad victum ac disciplinam, ad naturalem & moralem vitam ei rectè atqve commodè degendam, instituendam, formandamqve pertinent, ac reqviruntur. Ad victum, vitamqve naturalem curandam pertinent, præprimis locus educationis, & alimonia constituenda. In loco educationis provideri debet, ut personæ sint qvantum habere possint commodæ, & qvarum benigna affectio in pupillum præsumitur, cujusmodi præprimis mater est, donec vitricum liberis non induxerit (e) propinqvi, & alii, respectu habito ad conditionem, conjunctionemqve personarum, & numqvid emolumenti vel acceperint, veluti libertatem, legatum, hujus officii sustinendi intuitu; vel sperent, successionem putà in eventum mortis pupilli; cujusmodi etiam invitos magistratus judicium ad hoc officii adigit (f): ut tamen metus absit insidiarum, ob ipsam spem successionis, fortè qvod cognatus aut testamentô substitutus sit futurus educator (g); scilicet *id agere prætorem oportet, ut sine ulla maligna suspicione alatur parens & educetur & ob id nonnunqvam à voluntate*

(e) l.1.C.ubi pupil.educar. deb. (f) l.1. per tot.ff.l.1. & 2.C.ubi pupill.educ. (g) d l.2.C. l.1.§. 2.ff.eod.

luntate patris idem recedet. Alimenta cum reliqvis ad victum pertinentibus, veluti sunt vestis, tectum, mancipia, mercedesqve pro necessitatibus aliis *(a)*, omninò ex facultatibus pupilli eidem subministrabit tutor, ejus nomine acri censuræ judiciali subjectus, siqvidem eâ in re tergiverfetur *(b)*, nec ipse præstans, nec admissurus, ut modus impendendorum officio judicis decernatur. [Hoc autem ut fiat, & ipse tutor & alii suâ pro cautione, ac commoditate pupilli, solent impetrare *(c)*;] qvi qvidem modus tum ipsius tutoris, tum judicis provisione ad modum patrimonii diligenter est commensurandus, neqve enim vel ex suo alere tenebitur tutor; aut etiam ita temerè impendere, ut patrimonii substantia inde minuatur; qvin parcè, & qvantum possibile, ita præberi victus necessaria debent, ut etiam ex reditu semper aliqvid supersit *(d)*; qvandoqve etiam concessâ tutori facultate, ut si ita visum fuerit, à prætoris itemqve patris judicio ipse recedat; fortè qvod deprehendat jure, ipsos vel non rectè perspexisse vires patrimonii, vel etiã qvod augmentum aut detrimentum facultates passæ fuerint post emissum judicis patrisqve judicium *(e)*. Debent autem & alia hic in modo alimentorum decernendo considerari, veluti pupilli conditio, status, ætas, ac similia *(f)*. Qvæ autem ratio alimentorum definiendorum, eadem ferè & disciplinæ pupillo constituendæ aptandæqve est, cum suis, si qvæ & hæc habet, particularibus *(g)* scilicet & moribus pupilli præpositi habentur tutores *(h)*.

(a) l. 2. pr. l. 3. §. 2. d. t. (b) §. 9. Inst. de susp. tutor. l. 3. §. 14 l. 1. §. fin. ff. eod. (c) l. 1. pr. l. 3. §. 1. l. 4. d. t. & l. fin. C. de alim. pupill. præstand. (d) l. 3. pr. §. 1. 3. 4. ff. d. t.

(e) l. 2. §. 2. & 3. l. 3. §. 6. d. t. (f) l. 1. l. 3. §. 2. d. t. (g) l. 2 pr. l. 3. §. 5. l. 4. 5. ff. l. 2. C. eod. (h) l. 12. §. 3. de adminst. tut.

XVII. Qvod *res sive bona* pupilli attinet, etsi in more est jurisprudentiæ nostræ dicere: *Personæ non causæ vel rei tutorem dari* *(i)*; hoc tamen non alium qvàm eum habere potest sensum, qvod vix, imò non intelligatur propriè tutor (cujus esse talem pro more romano qvasi in relatione ad pupillum qvendam ponebatur) datus, siqvidem non supponatur, eundem pupilli personæ h. e. pupillo ipsi datum esse, in qvem multa, imò præcipua qvasi cura tutelaris officii sese reflectebat. Unde adeò si contingeret, ut aliqvis alicujus tantum bonis aut etiam certo negotio solummodò curando præpositus esset, is communiori nomine procurator, aut etiam laxiori tutelaris officii vocabulo, curator potius ipsis dicendus erat. qvod nempe talis qvidem bona curare habebat, reverà autem tutor pupilli

(i) l. 14. de testam. tut. §. 4. I. qvi testam. tut. dar. poss.

pilli propriè non erat, nisi per latiorem illam consequentiam, quâ quilibet negotiorum gestor, quilibet quarundam rerum nostrarum defensor, tutor noster, nosque tueri dici queat. atque ita quidem pro hac specialitate videbatur romanorum usus arguere. De cætero, si ipsum tutelæ munus, ut in se quidem est, consideres, præterquam quod ne rectè quidem defensa persona dici queat, nisi etiam bona ejus defensor tueatur, utique planæ dispositionis legitimæ, rem ut est respicientis, est: *Tutorem datum ad universum patrimonium datum esse credi (a).* Interpretes, ut hanc hujus & illius textuum juris collisionem commodè evadant, tutorem principaliter personæ, secundariò rei datum solent dicere. Quamvis notare est, nec ipsos partim legum nostrarum auctores isti superstitioni, ac si tutores rebus non dentur, nimium solere inhærere. Ulpianus præmissæ regulæ ex Marciano: *Persona non causa vel rei &c.* à compilatoribus nostris ita inducitur subnotare: *Si tamen tutor detur rei Africanæ, vel rei Syriaticæ, utilis datio est, hoc enim jure utimur. (b).* Imò ipse Marcianus, cujus ante dicta regula est, certis pupillorum rebus aliquando tutores dandos esse, indulget, cum adjuncta ratione, quare id necessario admittendum sit; *licet datus tutor* ait *(c) ad universum patrimonium datur* (nota & hujus illam à persona ad bona consequentiæ regulam esse) *tamen excusare se potest, ne ultra centesimũ lapidẽ tutelam gerat, nisi in eadem provincia pupilli patrimonium sit, & ideo illarum rerum dabunt tutores in provinciis præsides ejus.* Gemina hæc sunt Hermogeniani *(d)*: *Pupillo qui tam Romæ quàm in provincia facultates habet, rerum quæ sunt Romæ Prætor, provincialium præses tutorem dare potest.* Certe & effectu huc res conspirat, quando ipsi tutores inter sese administrationem bonorum divisam habent *(e)*. Sed hæc ita, ubi necessitas ac utilitas ita fert, alioquin, opinor, verum semper erit, & personas primò, & juxta has simul res ipsarum ad tutelæ officium spectare, cum tali autem & in rebus vi, ut in pluribus dominica in ipsas potestate fruantur *(f)* pertinente ad utrumq; hâc de officio regulâ: *Tutoris est præcipuum officium, ne indefensum pupillum relinquat (g).*

XVIII. Quod si autem de officio hoc tutorio, quoad rerum tuitionem, ulterius quæras; ex JCto Callistrato, hanc ei datam habes

(a) §. 17. I. de excus. tut. l. 21 §. 21. eod.

(b) l. 15. de testam. tut. (c) d. l. 21. §. 2. de excus. tut.

(d) l. 27. d. tutor. & curat. dat.

(e) per l. ult. C si ex plur. tutor. §. 1. de satisdat. tut. (f) l. 27 & t. t. de admin. tut. l. 7. pro emptor l 56. §. pen. de furt. (g) l. 30. d. admin. tut.

habes regulam generalem (a): *A tutoribus & curatoribus pupillorum eadem diligentia exigenda est, circa administrationem rerum pupillarium, qvam paterfamilias rebus suis ex bona fide præbere debet*, cui pari modo adstipulatur Ulpianus (b): Pertinere autem in specie ad hoc officium, observatur, ut pro pupillis tutores contrahant negotia, stipulentur, judicia obeant (c); ut pecuniam, si qva in bonis pupilli est, non otiosam relinqvant, sed vel in emptionem prædiorum collocent (d) vel usurariam faciant (e). qvod qvidem ultimum Novellâ Justiniani lege (f), remissionem accepit, sanciente, *nullam necessitatem ex legibus debere esse curatoribus, minorum pecunias fœnerare, sed cautè reponere & reservare.* Deinde verò primò eorum officii, qvoad res, est, *ut aurum argentumqve, & qvicqvid vetustate temporis non mutatur, in tutissimâ custodia collocent* (g), è contrà verò eas res, qvæ usu detritæ, seu corruptæ servando serv. ri non possunt, aut aliàs tempore deperituræ sunt, incessanter distrahant, ut & qvæ ex genere mobilium aut moventium supervacua (h). Observabilis autem est potestatis tutoriæ restrictio, qvoad res immobiles, veluti prædia, aut possessiones alias, juraq; immobilibus hactenus accensenda, qvatenus nec temerè, aut citra necessitatem, æris alieni fortassis aut similem, nec tandem sine cognitione aut decreto Magistratus easdem res vel alienare, vel supponere qveant (i).

(a) l. 33. pr. de admin. tut.
(b) l. 10. eod. & l. 1. de tut. & rat. distrah.
(c) d. l. 10. tit. 40. & seq. lib. 5 C. & pass. (d) l. 7. §. 3. d. administr. tut.
(e) l. 24. C. eod
(f) Nov. 72. c. 6. (g) l. 24. C. d. admin. tut.
(h) l. 22. C. l. 7. §. 1. ff. d. tit.
(i) rubr. l. 1. & t. t. ff. de reb. eor. qvi sub tutel. l. 11. 12. & t. t. C. de præd. minor.

XIX. Unum singulare potestatis officiiq; tutelaris est, qvod dubites, magisne ad personam an rei tuitionem referas, qvia personam proximè qvidem adficit, effectu autem in provisionem ad res redundat: qvod est de *auctoritate* pullis ad negotia contractusq; ab ipsismet perficiendos, præstanda. hoc tanqvam alterum aliqvod caput juxta negotiorum gestionem tutelæ supponit Ulpianus; imò tale exprimit, qvasi in qvo vel solo tutelæ administrandæ ratio persistere possit: *Pupillorum, pupillarumq; tutores* is ait (k) *& negotia gerunt, & auctoritatem interponunt. Mulierum autem tutores auctoritatem duntaxat interponunt.* Scilicet indulget & naturæ (ut videtur), & legum civilium benignitas, etiam imperfectæ ætatis ac judicii sub potestate tutoria constitutis personis; ut juxtà, qvam à tutoribus ipsorum res agitur, ipsi qvoqve pro suis commodis agere, remqve suam meliorem facere possint, per contractus aliaqve negotia

(k) in fragm. I. t. 11 §. 24.

(a) l.18. pr. de acqvir. hæred pr. I. de auct. tut l.1 & t. t. ff. cod. § 2. I. qvib. aliē. lic. § 9. I. de inut. stipul. l.7. §. 2. d. rescind. vēd l.1. §. 2. commod. l.33. pro socio &c. (b) per l.III. de R. I. l.23 de furt. (c) d. pr. I. de auct. tut. l.9. ff. cod § 9. de inut. stipul. §. 2. qvib. alien. lic. l 28 pr. de pact. (d) d. §. 2. qvib. alien. lic. l.11. d. acq. rer. dom. (e) l.2. C. d. auct. tut. (f) l 3. C. d. præscript. 30. vel 40. annor. (g) l.9. §. 2. de auct. tut. l.15. de solut. add. l.25 C. d. administ. tut.

gotia, qvibus sua augere homines communiter solent, eoqve & data accipere, & alios qvoqve contractu obligare, idqve citra auctoritatem aut adstipulationem tutoris(a). Ita inqvam facile qvidem indulget legitima ratio qvalicunqve pupillorum mediocris judicii arbitrio, pro commodo sibi ipsi faciendo. Cæterum vicissim eadem legitima benignitas idem innocens arbitrium [extra casum, qvo fortè nimia præcox malignitas id ipsum ad delinqvendum occupavit (b)], vi, sibi ipsi actu suo nocendi, privat liberatqve, infirmans annihilansqve qvicqvid negotii contractus actusqve ab eo edatur, qvod ac qvatenus vergit in ipsius personæ pupillaris præjudicium, vel saltem ratio metus subsit, ne vergat, deterioremqve inde conditionem pupillus ipse patiatur (c). Estqve hinc, qvod suâ solius auctoritate nihil is plenâ efficacia alienet (d), actiones nō remittat (e). præscriptionem vereri non habeat (f), ne solvendo qvidē dominium rei solutæ transferat (g), mutuum contrahens nummos accipientis minus ita faciat, qvò-ii extent, eosdem vindicare, si consumpti sunt bona fide, condicere, sin mala fide ad exhibendum de his agere neqveat (h). Qvin nec universitatem bonorum, cui commodis & onera inesse ferè contingere solet, puta hæreditatem, bonorum possessionem, qvamvis reapse fortè nunc lucrosa sint, acceptare suo arbitratu permittitur: ratione legis; *ne ullum damnum habeat* (i), neqve etiam repudiare (k). plane huc partis opinor est, qvo exterit vim suam regula juris (l): *Pupillus nec velle nec nolle in eâ ætate, nisi adpositâ tutoris auctoritate creditur. Nam qvod animi judicio fit, in eo tutoris auctoritas necessaria est.* Ex propositis autem existimem facile collectu esse, qvid præstet tutoris auctoritas pupillo ratione negotiorum, qvibus ipse admovet munus, nempe ut obligatio à parte ejus nascatur. qvod mitto.

(h) §. 2 qvib. alien. lic. l.19. 11. §. ult. de reb. cred. (i) §. 1. I. de auct. tut. l.9. §. 2. & 4. l.11 eod. l.8. 9. de acqv. hæred. l.17. §. fin. d. appel. l.4. ad SCtū Trebell. (k) l.5. C. de repud. hered. per l 8. §. 4. de acqvir. hered. (l) l.189. de R. J.

XX. Tantùm unam, qvæ hinc resilit, qvæstionem ut nostris penè inextricabilem ita antiqvæ sapientiæ ambiguam relictam obiter licebit attingere: Qvæ est *an pupillus sine tutoris auctoritate saltem naturaliter obligetur?* Sunt veterum Jurisperitorum, qvi negant

gant (*a*), sunt qvi affirmant (*b*). Potissimum, ut ex locis suis apparet, versantes in casu conventionis contractusve. Nisi fallor, donec in puris conventionis terminis consistitur; qvia nimis infirmum est pupillaris ætatis judicium, conventionis autem natura est, (ut infra (*c*) pluribus ostendetur) ut consultò, potente ac deliberatâ proæresi, obligationem demum firmiter nectat; aut nullâ aut certè admodùm infirmâ obligatione pupillus conventione suâ etiam per naturam, sese potest innodare; Est qvo videntur spectasse thema nostrum negantes. Cæterùm, qvia tamen (modò aliqvem intellectum pupillus habeat, nec vel infans, vel planè infantiæ proximus sit, eòqve non multum, ut loqvitur Imperator (*d*) à furioso distet) aliqvid arbitrarii delectus in conventione ejusdem intercedit, eòqve aliqvid naturalis vinculi, si non constringitur, saltem componi qvasi incipit; forsan haud absurdè dicitur, tantum valoris ei inesse, ut non noviter componi id opus sit, qvò sufficiens sustentaculum præbere possit obligationi superaccedenti, ex sese aliàs perfectæ, & nihil reqvirentis, qvàm ut aliqva alia obligatio, cui accedat, subjaceat. Qvorsum planè effectu ire videntur affirmantes dictum thema; qvando hactenus naturalem aliqvam pupilli obligationem teneri admittunt, ut fidejussio ut novatio teneat (*e*): ita qvoad naturalem ex mera conventione obligationem isti; qvibus adstipulamur. Alioqvin siqvidem simpliciter de obligatione pupilli qværas, & vel extra casum conventionis procedas, vel etiam meram non relinqvas conventionalem obligationis causam; jam non tantum naturaliter, sed etiam est, qvod civiliter pupillus obligetur. ubi scilicet & in qvantum locupletior factus est (*f*); ubi (loqvuntur ita JCti) *ex re actio venit* (*g*), intellige ubi fortè tales res bonaqve ille jure occupata tenet, qvæ aliorum juri actioniqve obnoxia sunt. Item ubi ex gesto tutoris, pro eo, qvod ab tutore administrante utiliter impensum fuit conveniendus est, actionibus contraria tutelæ & utili qvæ dicuntur (*h*). Esset, si de tuendi ratione per tutelas plenius foret agendum, dicendum, qvomodo in cæteris muneris hujus objectis, minoribus nempe 25. annis, furiosis ac reliqvis, propter infirmitatem eorum hujusmodi tuitioni subdendis in multis hæc tuitio variet. Sed hæc & hujusmodi latioris sunt

(a) l.45 d. cōdict. indeb. l. 59. de O. & A. junct. l. 10. cod l. 6. de cōpens. (b) l. 21. ad l. Falc. l. 64. ad Trebell. l. 25. § 1. qvand. dies legat. add. l. 1. § 1. de novat. l. 25. de fideju. junct. § 1. J. eod. l. 172. de V.O. (c) lib. 3. cap. de cōvēt. (d) § 9. I. de inut. stipulat. (e) d. l. 25. ff. junct. § 1. I. de fidejus. d. l. 1. § 1. de novat. (f) l. 5. in fin. pr. & § 1. de auct. tut. l. 13. § 1. & l. seq. l. 41. de cōd. indeb. l. 47. 95. d. solut. l. 3. pr. cōmod. (g) l. 46. de O. & A. l. 47. de solut. (h) l. 1. pr. § 7. l. 3. 7. 8. l. fin. et t. t. de contr. tut.

tractationis, qvàm nostra fuit intentio. Sufficiant igitur modò hæc dicta de tutela, specie qvadam insigniter æstimata, in genere munerum, cumq; officio potestatum.

CAPUT XII.

De potestate limitata.

I. Potestas à duplici præceptiva legis virtute duplicem patitur limitationem.

II. Dari potestatem limitatam & res & usus dictitat.

III. Limitata itemq; absoluta ferè dicitur potestas, qvatenus limitem subsistentiæ à lege habet, vel non habet; idq; vel simpliciter vel comparativè.

IV. Solius DEI simpliciter absoluta & illimitata est potestas, hominum verò simpliciter limitata.

V. Sin autem hominum inter se comparantur, in iis maximè absoluta, minusq; adeò limitata est civilis summa potestas, præ iis, qvæ privatorum sunt potestates.

VI. Qvæ qvidem duplici modò absolutæ aut limitatæ magis possunt dici. uno, qvatenus vel possunt vel possunt minus ab humana auctoritate limitari;

VII. Altero, qvatenus qvantæ, magis minusq;, plurium vel pauciorum potestatum congerie existunt.

VIII. Qvâ qvidem posteriori ratione, ut absoluta aut limitata magis minusq; potestas dicatur, usus commoditati est donandum.

I.

DE potestatum limitandi ratione, jamdum per superiora materiarum conditio, ut ageremus, non semel impulit, imprimis ubi de potestate per societates imperante fuit agendum (a), qvando hæc qvidem, per inferiores ac subordinatas societates, intra plurimum solet consistere limitem; & deinde, ubi cap. proximè præcedenti potestas, qvatenus officiosa est, fuit

(a) cap. 9.

fuit describenda; utpote cum, qvicqvid officii potestati adjunctum est, id eidem loco alicujus limitis existat. Fortassis igitur ab ulteriori hujus rei mentione possemus abstinere, nisi visum esset, saltem expedire, ut summatim & qvasi fasciculo collecta res denuo proponatur; maximè qvod, qvatenus limitata sit qvælibet potestas, insignis est per vitam adnotationis. Res idcirco videri posset adhuc desiderare hujusmodi conceptionem: Qvod nempè qvælibet potestas qvatenus legitimæ permissæ licentiæ est, & usqve qvò talis est; limite (legis) absoluta illimitataqve sit, qvatenus verò à lege vel imperante in exercitium adigatur, vel vetante sistatur, limitata sit habenda. Nisi fallor propositio clara est, cernenti de natura esse legitimæ permissionis, facere, ut qvatenus & qvousqve permittat, ipsum permissum, à limite legis (talem autem limitem nunc solummodo obtuemur) merum sit; & vicissim de natura esse legitimi Imperii, facere per coactivam vim suam, imperatum, qvatenus ab ea propellitur, nec retro-silire valet, ab hac qvidem impulsus parte constricti limitis; vetare autem legis ipsum nihil aliud esse, qvàm limitare facultatem acturi: Emergit autem ex eadem hac positione à duplici legis præceptivâ virtute, qvod potestas qvasi duplicem diversi generis patiatur limitationem: unam qvâ qvasi cum compulsu ad certum profluxum condirigitur; alteram qvâ uti stet, nec ultra procedat, coërcetur. Prior limitandi modus, qvia effectu recidit, potestatemqve retrahit in rationem officiositatis, & qvidem ejus, qvæ strictissimè talis, arbitrariæ potissimum opponenda, sub initium cap. præcedentis nobis descripta est; cùm hic peculiari qvadam consideratione nolim nunc recolere. Posterior verò modus, qvia ad sistendum potestatis liberum exercitii decursum pertinet, eòq; tali limitis ratione eandē afficit, qvâ potissimùm absolutæ videatur opposititia esse, videri posset, paulo plenioreē hic tractationem desiderare. Verum qvia & hæc res superiùs, sub capite *de potestate imperante* non potuit relinqvi præterita: sufficerit paucis nunc eam summatim hic reponere.

II. Limitatam lege potestatem, utrum, si accuratè propriè velis loqvi, dicere possis, dubitaret qvis: non qvidem adeò, qvod ipsa vox limitare, limitatum, limes, terminus ac similes; per translatio-

lationem huc accommodantur; qvia translationem talem hic poscit necessitas, qvam penuria vocum nobis gignit, qvâ illud, qvod lex ac legitimum simile habet cum limite ac limitandi ratione in rebus corporeis, mutuatô hinc nomine, qvia scil. proprium deest, exprimendum venit: Sed qvia primò potestatis qvaliscunq; essentia non ex lege limitante, sed permittente est, qvæ qvatenus talis est, non limitans est. Et qvia deinde per principia superius nobis posita deductaqve (a) potentia naturalis seu facti potius est, qvæ limitatur à lege, perqve ipsam hujus limitationem qvasi notam accipit, qvousqve in speciem potestatis, qvæ itidem legis in illa effectus est, ipsa abierit. Veruntamen, utut hæc ita sint; qvia tamen qvi terminus à lege positus potentiæ est, simul claudit protensū cujusq; potestatis; & potestatem qvandam finitam ponere (ut necesse qvidē habemus) est utiqve limitem aut terminum eidem asserere; nolim hic usum communem qvi potestatem ut absolutam, ita & limitatam dicit, cujusdam à re discrepantiæ redarguere. Certus, potestatum aliàs limites suos in longè majori sibi habere distantia à lege positos, eoq; per multam protensionem limite legitimo esse absolutas; aliàs verò constrictiori libertatis plano per eosdem limites esse conclusas, eoq; limitatarum potestatum nomen has præ illis, absolutarum, illas præ hisce sibi vindicare.

(a) lib. 1. cap. 2 & 4. imprim.

III. Qvando contrarium contrario (ut habet logicorum Maxima) juxtà positum magis elucescit, limitativæ potestatis rationi, licebit (ut cœptum modo est) porrò qvoqve juxtà ponere absolutivam; absolutam potestatem limitatæ. Repeto autem, me hic nunc indifferentem relinqvere illum potestatis liberæ respectum, qvatenus arbitraria ipsa ad hoc aliqvid & ad oppositum alterum est, nec vel tantoperè eodem adeo isthoc respectu eam me hic dicere *absolutam*; sed potius, qvatenus, juxtà talem fortè liberam deligendi rationem, (neqve enim, dico, hanc interim semotam ab hac potestatis consideratione velim) ut ad unam vel alteram partem progressura, citra limitem subsistentiæ à lege relicta est. Et eodem modo nec *limitatam* me hic dicere potestatem, qvatenus ab arbitrario resultu præpedita ad unam partem qvasi, à collimitante lege propellatur ac dirigatur; sed qvatenus, vel ipsa illa, qvæ etiam à capite

pite fortè arbitraria eſt, ſive ad hanc ſive ad illam aliqvam partem ſuum ad actus decurſum, ſubſiſtentiæ terminis à lege habet præcluſum. Atqve inde primùm hoc præmittens ſubjungo: Poteſtatem & abſolutam & limitatam (intell. legis terminis) duplici modò poſſe ſumi: abſolutam unô, qvatenus ſimpliciter omni termino vacat, eoqve infinita eſt; alterô, qvatenus limite licet tandem aliqvo non careat, multum verò interea ampla eſt, & ſi cum aliis, maximè huic hominum ſubjectorum poteſtatibus conferas, longè laxiùs & multùm ſupra harum terminos protenſa eſt: Limitatam unô, itidem ſimpliciter, qvatenus qvalemcunqve à lege limitem ſive limites habet, ultra qvos ei procedere haud eſt integrum; altero, cum reſpectu ad aliam, qvæ hujus terminos ſupergreditur, & fortaſſis hanc ipſammet multum conſtrictam habet.

IV. Simpliciter legum terminis abſolutam poteſtatem, etſi rerum entia circumſpiciamus, forſan haud inveniemus, præterqvam eam, qvæ ſolius Dei omnipotentis eſt. Hæc enim ſola infinita & ſine termino eſſe ſcitur qvarumvis legum, qvorumvis præceptorum, ſibi à qvoqvam præſcriptorum. Non ſcrutor nunc, qvomodo divina poteſtas ex arbitrio ipſius Dei delectuqve ac propoſito ejus aliqvid *inſtar* termini legitimi habere potuerit, aut poſſit; qvo juxta qvam propoſuerat, mundum, hoc qvo ſpectatur ordine, non alio aut ulteriori cum machimento conderet, eundemq; ad certum usqve tempus conſervet, non verò vel interea perdat, vel diutius qvam deſtinârit conſervaturus ſit: qvo homines fideles vita donet non morti tradat, & qvæ poſſunt eſſe ſimilia alia immutati Dei propoſiti. Tantummodo hoc hiſce connotatum velim, qvod etiã qvæ homines ſibi liberô ſuô aliqvo arbitratu deligunt propoñũtq;, donec intus delecta propoſitaq; ipſis ſunt, citra qvod alteriꝰ fiduciæ oblata ſunt eâdemqve apprehenſa, non tantoperè pro iis haberi ſoleant, qvę hominis qvamcunq; poteſtatem limitatam reddiderint. Qvippe limitationem cujusqve poteſtatis lege alienæ eminentioris auctoritatis propriè tribuimus; proprium autem cujusqve propoſitum qvatęnus in ſe tale, licet aliqvid inſtar legis videatur, non tamen pro lege propriè dicta qvisqvam habet, & per conſeqvens, nec effectum ejus, puta qvalem qvalem poteſtatis ſuæ

determinationem pro ea qvę legitima aut legis sit poterit habere. Si a. hominis liber delectus non deprehenditur ejus potestati, proprie loqvendo, limites legitimos ponere, neqve id videtur dicendum humano loqvendi more de ea, cujus hic similitudinem gerit, liberrima scil. Dei omnipotentis delectione, qvoad suam ipsius potestatem. Sed inqvam missis hujusmodi scrupulis; ubi nobis hic qværitur, an potestas aliqva existat simpliciter absoluta, infinita, interminata? Talem judico se offert Dei omnipotentis, & illa qvidem sola. Qvando qvicqvid præter Deum, esse suum aliqvod habet aut novit, hujus auctoritati, hujusqve legitimæ ordinationi obnoxium est, suæqve qvaliscunq; potestatis circumscriptionem ac terminum hinc habet. Id qvod hominibus nobis, ut cætera mittam, in humana potestate manifestissimum est; qvæ omnis utcumqve etiam pro suo modo laxa sit atqve amplissima, tandem, non tantum cum finitæ potentiæ nostræ terminis finita est, sed & intra hujus planum, suos per legem Dei ac naturæ limites habet notabiles, qvos etiam maximæ auctoritatis homines, Principes scil. Dominiqve terrarum, aut qvocunqve aliô magnificô tituló ac auctoritate pollentes suæ potestati positos agnoscere habent. ut adeò contrariô modô, atqve de divina, de humana potestate concludere liceat, eam simpliciter absolutam nullam, limitatam verò esse omnem, intellige saltem divina ac naturæ lege, si non etiam præterea aliâ.

V. Qvod si verò humana cum humanis conferre incipias, terminosqve ac dilatationes humanarum potestatũ respicere atq; componere; tantam in hisce differentiam, qvâ protensionem, qvà positos limites deprehendes, uti fortè parum absit, qvin harum nonnullas etiam omnimodè absolutas, alias verò contra omnimodè restrictas ac limitatas appellare affectes; præeunte etiam hac in re partim communi usu; qvo qvæ privatorum potestates sunt, pro restrictis atqve limitatis facile habentur, qvæ autem rerumpubl. major potestas est, legibus soluta, (qvod idem dicit ac limitibus legum absoluta) audire solet (a). scilicet in hujus potestatis expanso sunt, magnæ hominum multitudini regulas agendi præscribere, actus ejusdem judicare, deviantes coërcere, bella movere, paces sancire, & complura hujusmodi exercere, qvæ qvidem maxi-

(a) l. 31. de ll. l. 23. de legat 3.

maximi in vita ponderis sunt, & longè supergrediuntur limites potestatum eorum omnium, qvi numerosissimo numero per respubl. subditi aut privati, aut saltem non cum summo illo imperio sunt, dictum est supra cap. 9. in specie de ratione majestaticæ hujus potestatis, qvatenus, qvando absoluta hæcce dicitur, id de lege humana intelligendum sit, & qvos tandem terminos, tum divinâ merâ, tum huic mixtâ humanâ arbitrariâ lege habere soleat; qvæ adeò nunc non licebit repetere. Qvod cæteras attinet hominum magis privatorum potestates, de iis siqvidem cum majestate civili cõponuntur, id videtur esse notabile, iisdem omnibus contingere, uti non tantum, qvâ illa, lege scil. divinâ naturali gentiumqve, sed præterea etiam positiva humanâ sæpius sint limitatæ. nimirũ qvidqvid potestatis privatæ, imò etiam à Majestate dependentis publicæ per civitates est, id omne legibus majestatis, civilibusqve definitionibus novimus obnoxium esse; licet non simpliciter qvidem, saltem secundum qvid, & qvoad aliqvas sui circumstantias; id qvod manifestum reddunt illæ tot limitationes per hanc majestatem jure civili romano potestati patriæ, dominicæ, maritali & cuivis sociali, civiliqve, creditiqve, adjectæ. & porrò qvidem res ipsa ostendit, qvomodò qvævis hominum ulterior, qvæ plurima datur, subjectio, potestatem eorum, libertatemqve ulterius qvoq; imminuit, sive enim qvis domino, sive patri, sive alicui ut magistratui, subditus sit, revereri necesse habet superiorem & sæpius in plurimis actus suos dirigere ad placitum potestatis imperantis. id qvod est magis ac magis limitatam habere potestatem. Imprimis communis est limitandi arbitrii potestatisq; hominum ratio per conventionem, qvâ qvidem infinitis ferè modis sese mutuò adstringunt homines, hoc aliqvid faciendi aut non faciendi, inqve suo patiendi, cum ante, qvam conventum esset, & hoc & diversum liberè poterant.

VI. Qvando a. de potestate hominum superioritati humanæ subjectorum dicitur, eam ipsis magis ac minus ab humana lege absolutam aut limitatam esse; id duplicem potest habere sensum, unũ, qvô notatur, an & qvatenus *possit* aliqva talis ab humana auctoritate magis limitari aut non limitari: Et deinde qvatenus forte in *qvanto* sui talis *existat*. Qvando considerantur hominum, etiam

iam privatorum potestates, qvatenus *possint* positivâ qvâdam humanæ auctoritatis lege restringi, aut non restringi, eòqve magis minusq; limitatæ reddi? id iis accidere deprehendimus, qvod nonnullæ, hujusmodi limitationi in multis minùs sint obnoxiæ, puta qvatenus divinæ legis, unde hominibus concessæ sunt, sanctione, fortè liberioris competentiæ indultu donatæ, & contra humanam prohibitionem communitæ magis extant, cujusmodi sunt e.g. potestas patris corrigendi filium, domini rebus suis utendi, cujusqve hominis aera respirandi aqvam perfluentem hauriendi & similes. Certè qvæcunqve potestates ex divina ac naturali lege plurimum strictioris officii habent conjunctæ, qvatenus idipsum habent, minus limitis ab humana auctoritate videntur posse admittere: veluti est potestas legitimè vocatorum sacerdotum, Ecclesiæ suæ prædicandi Evangelium de Christo servatore; cujusqve judicis justè judicandi; patrisfamilias sustentandi suos; cujuslibet hominis, diligendi Deum & proximum. Hæ igitur, porrò dico, & hujusmodi hominum etiam imperio humano aliàs subjectorum potestates, sicuti, qvà possibilitatem juris, limitationem positivæ humanæ dispositionis minus admittunt, ita eodem respectu magis absolutæ qvoqve sunt. Qvid vicissim in hisce per species differentiæ occurrant longius foret disqvirere. nobis igitur nunc suffecerit, observasse solummodò hisce aliqvid generalis normæ judicii: Nimirum, qvamlibet hominum etiam privatorum, divinitus ipsis competentem potestatem, eò minus limitationi humanæ auctoritatis obnoxiam magisqve ab ea absolutam esse, qvò magis citra læsionem cujusqve innocentis tendens sit, vel ad necessariam sui conservationem; vel ad exeqvutionem officii erga alterum strictè imperati; magis verò esse tales, qvò minus sint hujusmodi. qvâ observatâ regulâ, existimem, multa, qvæ de justitia civilis prohibitionis adversus indulta jussaqve naturæ factæ disqviri solent, veluti an venatio aut captura ferarum subditis licitè adimatur (*a*)? an prohiberi possit pater ne liberos, ex nefario licet complexu natos, alat (*b*)? & qvæcunqve possunt in qvæstionem vocari hujusmodi.

(a) c.5. v. nemo retic. ll. F. de pace tenēda. (b) auth. ex complexu C. d. incest. & inutil. nupt.

VII. Si deinde rationem potestatum qvarumlibet hominum, etiam privatorum, qvâ limitatæ aut absolutæ magis dicendæ sint,

ex

ex *qvanto, qvo existere* cuiqve solent, æstimare velimus; intelligo, qvatenus vel plurium vel pauciorum legitimarum coexistentium facultatum est: jam per vitam manifestum qvoqve est: Alias potestatum species, qvæ qvidem vulgò ut qvædam unæ accipiuntur ac nominantur, longè laxius habere planum liberum, atqve habebent aliæ, eoqve illas qvasdam minus limitatas, & magis absolutas, has aliqvas minus absolutas ac magis limitatas esse. Sumamus, e. g. dominium herile, potestatemqve patriam, item mariti in uxorem, per supra (*a*) tradita; longe amplius facultatum inest dominio herili in servum; veluti vendendi, noxæ dedendi; qvam patriæ potestati: & vicissim, plus amplitudinis hæc habet in filium, qvàm maritalis in uxorem, veluti lucrandi bona per ejus manum, etiam extrinsecus adventitia, qvoad usumfructum (*b*). Assumamus dominium rerum plenum; Hoc in se complectitur facultatem rem (esto illa fundus, pecus, instrumentum) perpetim sibi retinendi, asservandi, fructus inde percipiendi, in fundo eundi, ambulandi, agendi jumenta, agendi vehicula, per omnes ejus partes, utendi istis omnibus ad placitum, imò alienandi, pecus mactandi, instrumentum corrumpendi: Juxta hoc tot facultatum dominium, ponamus jus seu potestatem aliqvam particularem, qvam fortè aliqvis habet particulatim, vel circa simile aliqvod genus rerum, vel etiam circa eandem rem, in qvam istæ facultates omnes per dominicam rationem alteri constitutam competunt; veluti certo fortè tramite per alterius fundum eundi, ambulandi aut similis qvædam servitus alia (*c*), copia sumendi modicæ lactis à pecude, qvalis est cui pecoris cujusdam usus est concessus (*d*), facultas utendi instrumento, multa cum necessitate legitima idem ab interitu ac corruptione conservandi, cujusmodi est ratio usus commodatarii (*e*). Hujusmodi inqvam potestates, si cum corpore facultatum dominii componas, forsan proclivis eris dicere; dominium potestatē si non simpliciter, saltem multùm absolutam esse, hasce verò, si non omnimodò, saltem circa ejusmodi rem multum restrictas ac limitatas esse. Non nunc adeò pro una potestate venditarem, qvæcunqve modo unius alicujus hominis legitimæ facultates in varias res personasqve sunt; etiamsi tali qvoq; cumulo plurima jura tan-

(*a*) c. 6. 7. 8.

(*b*) l. 6. C. de bon. qvæ lib.

(*c*) tit. d. serv.

(*d*) l. 12. §. 2. d. usu & habit.

(*e*) §. 2. I. qvib. mod. re cōtr. obl.

qvam unitum aliqvod sumi usui non prorsus insolens est; qvando successori tribuimus omne jus seu potestatem, qvam defunctus habuit (a); potestatem in familiam, non potestates dicimus; libertatem, facultatem non facultates definimus, & ita porrò: Si verò & ita acervatim species potestatum accipere qvis velit, planè plurium facultatum, eoqve & ab hac parte laxiorem deprehendet potestatem e. g. patris cujusdam, qvam filii, domini qvam servi, capacis publici consilii, qvam ejus qvi illius non est capax, ex parte magistratus, qvam ejus, qvi est merè subditus.

(a) l. 59. 62. de R. J.

VIII. Atqve hoc qvidem modô etiam usu venit, corpus aliqvod sive congeriem plurium, pauciorumqve potestatum, potestatem magis minusve absolutam, magis minusve limitatam dici, qvamvis si concisè magis velimus loqvi, fortasſis hoc in casu simplicius dicendum esset: plures alicui vel pauciores esse posse potestates, sive species, aut partes potestatis, sive etiam potestatem majoris minorisve potentiæ, plurium vel pauciorum facultatum; utpote cum alia facultas potestasqve videatur esse, rem nunc usurpandi, alia eam sibi in futurum forte usum detinendi, alia eandem corrũpendi. Sed dandum hic aliqvid usui, qvi etiam aliàs in disciplinarum tractatione, tanqvam uni singulari multa genere similia solet includere, veluti, leonem, canem, piscem, avem, hominem, animali; & deinde per affectiones, non universis, sed pluribus, alias atqve alias competentes, eadem distingvere; veluti animal per rationale & irrationale, per terrestre volatile aqvatile. & ita fortè non male includentur potestati patriæ, facultates, filium coërcendi, castigandi, occidendi, per eundem acqvirendi, eundem vendendi &c. diceturqve, eandem potestatem patriam, qvatenus consideratur, ut vel pars harum facultatum dempta ei additave sit, vel etiam qvatenus in circumstantiis laxioris restrictiorisqve potentiæ ipsæ sunt, eandem absolutam magis ac minus limitatam puta jure civili antiqvo fuisse; restrictam autem magis minusqve absolutam esse jure naturali aut gentium. Simile esto de dominio, de majestate, de jurisdictione, & reliqvis ejusmodi judicium. Species potestatum magis minusqve absolutarum, aut limitatarum recensere, & in singulis ostendere, qvousqve aliæ sint multùm, magis, maximè

ximè absolutæ, aliæ multùm, magis, maximè restrictæ, esset totam vitam humanam in officinam vocare; id qvia nostri nunc non est propositi, sufficere nobis potest obiter perstrinxisse in hoc rei qviddam, qvod qvidem & ipsum maximam per vitam attentionem meretur.

CAPUT XIII.

De potestate vicaria ac dependente reliqva.

I. Dependens potestas, latiori acceptione, omnis illa est, qvæ alicui ab altero est.

II. Contingit humanæ potestati, à duplici dependere auctoritate; divinâ & humanâ: & ab illa qvidem (vel solâ vel junctim cum hac) semper.

III. Qvædam ab humana auctoritate origine dependens potestas, postqvam consistit, ab eadem amplius non est dependens, sed hactenus suæ auctoritatis.

IV. Ab humana auctoritate dependens potestas propriè dicta est, qvæ & qvatenus continuè per illam & consistit & tolli potest. Estq; vel Precaria;

V. Vel Vicaria.

VI. Normæ qvædam dependentis potestatis sunt: ut terminos commissionis custodiat. & qvod par esse, non excedere qveat copiam ejus auctoritatis, unde dependet.

VII. Nisi qvatenus superior auctoritas hac mutat.

VIII. Cujus concurrentia plurimum facit, ut humanitus concessæ potestates, ex qvo constitutæ sunt, vel simpliciter vel ex parte à concedente auctoritate independentes consistant.

I.

QVando dependens aliqva alicujus dicitur potestas, videtur dici talis, ad respectum alterius potestatis,

 vel

vel certè alterius personæ, qvàm cujus hæc est: & illa altera qvidem potestas ejusdemq; huc respiciens vis auctoritas videtur dici communiter, persona verò auctor. scilicet, qvando de competentia alicujus qvalis potestatis dubitamus, aut qværimus; qvânam aut cujus auctoritate qvid ab aliqvo fieri possit, qvisve auctor sit huic alicui exercitæ potestatis, ferè sciscitamur; indigitantes potestatem aut personam, hâc qvâdam potestate priorem, & unde hæc qvidem nata vimqve suam nacta est. Qvod autem ipsam attinet dependentiæ rationem potestatis ab alterâ, aut alterô; illa duplici modô videtur consideranda. Unô generali, qvatenus hæc aliqva potestas, de cujus dependentia qværitur, ab altero, qvi prius aut etiam principaliter eam habet aut habuit, in hunc aliqvem profecta est, ita qvidem, ut hic eam non haberet, nisi apud alterum extitisset; & simul ab illo altero concessione ejusdem, aut aliô modô legitimô in hunc transiisset. atqve ita qvidem dependens est, non tantum in publicis, potestas magistratuum & qvorumlibet administratorum à summa per rempub. potestate; in privatis procuratoris cujusqve à principali negotii domino; sed & ea, qvam qvisqve modò nunc propriam ab altero in se translatam habet, veluti est emptoris, heredisqve potestas, qvam à venditore, à defuncto, in rem illorum sibi translatam obtinet; namqve etiam hic ad auctorem solemus provocare, & nostrum jus ad mensuram auctoritatis ejus, penes qvem prius id constitit, tueri.

II. Sed multum notabile existimem esse, qvomodò duplex humanis potestatibus dependentia, duplex auctoramentum contingat: ab communi nempe aut publicâ supereminente auctoritate, & à privata sive particulari qvorundam hominum. idqve modò junctim, qvandoqve etiam separatim. Patria patris naturalis potestas aliqva, qvatenus citra legum civilium dispositionem est; à nulla humana auctoritate, (nisi longè nimis derivationem instituas) dependens est, sed à sola naturali divinaqve: primi mariti in uxorem à mera qvoqve erat divina: Multis in veteri fœdere prophetis potestas prophetandi, populumqve redarguendi, à merâ divinâ erat auctoritate: similiterqve dependebat ab eà sola, eorum publica civilis potestas, qvos ductores & judices populo Israëlitico

immc-

immediatâ vocatione præponebat Deus, est ita extra dubium plane, potestatem qvandam hominum à solâ divina auctoritate posse dependere. An autem à solâ humanâ etiam qvædam dependeat, verè humana legitima potestas, eâdem facilitate adserere non ausim; qvod saltem, qvæcunqve talis haberi debeat, approbationem qvandam & qvasi fulcrum à naturali lege divinaqve auctoritate videtur exposcere; qvando, qvæcunqve ejusmodi aliqvalem naturalem approbationem, aut conspirationem non habent, haud verè legitimæ justæqve potestates, sed iniqvæ potius injustæqve licentiæ videri possunt; de communi isthoc omnium legitimorum fulcimine dictum etiam est supra (a). res autem facile hic manifesta qvoqve potest esse in exemplis, ubi, plurimùm potestates qvædam hominibus ab humana auctoritate censeri solent enasci; veluti est actio seu potestas debiti exigendi ex conventione; qvæ qvatenus ex conventionis actu est, utiqve ab humana pendet concessione; qvatenus verò pacta lege naturæ firmamentum suum obtinent, (b) plane illius simul robore ac auctoritate eandem vigere certum est. similiter, ubi qvidam paterfamilias, etiam ex mero qvod habet arbitrio, qvædam suarum rerum, vel familiaribus suis, vel etiam extraneis qvovis modo ad obseqvium obnoxiis demandat; itemqve, ubi, qvi cum publica potestate est, sibi subjectis qvædam expedienda committit, potestatemqve earum rerum aut negotiorum causa concedit: hanc qvidem commissam potestatem iis, qvibus commissa est ab auctoritate esse hominum committentium, facile concesserit omnis. verum, qvia vel ipsa illa committens auctoritas, talia qvædam vel per se vel per subordinatos expediendi à diviniori aliqva permissione habet, & eadem divinor auctoritas etiam porrò obseqvium exigendo ab obnoxiis, ab hac qvoqve parte ejus exeqvendi vim roborat; seqvitur & hanc commissorum potestatem præter humanam auctoritatem aliqvid simul dependentiæ à diviniori habere. ut adeò vel huc usqve pervalere, aliqvis existimaret, illud generale Apostoli: *Non est potestas nisi à DEO* (c). utut fortassis primaria intentio viri sancti ad potestatem socialem dominantem fuerit directa. Qvæ autem ratio dependentiæ potestatum est, à divina cum humana concurrente auctoritate, eadem est qvoqve

(a) *lib. 1. cap. 2 n. 15.*

(b) *l. 1. d. pact. & poss.*

(c) *Rom. 13.*

ejus, qvæ à civili publica aut superiori simili concurrente auctoritate cum propinqviùs committente est, putà, si lex civilis qvandam alicui propriam concessit potestatem, & is eandem exercendam ex ejusdem legis indultu alteri committit.

III. Qvando autem porrò dependentiam potestatis humanæ consideramus, qvatenus junctim ab humana, simulqve & a divina auctoritate est, insignis hic videtur utriusqve ab invicem observanda differentia. qvando, qvatenus à divina aliqva talis potestas dependet auctoritate, illa & originem & sustentaculum & munimentum inde suum habet semper; qvatenus verò ab humana dependet, non ita semper; intellige qvoad continuatam vel sustentationem vel munimentū: Nempe ita in humanis observamus fieri, qvod qvædam potestates de persona in personam transmittantur, concedanturqve aliis ab aliis ita, ut concedens nil auctoritatis sibi retineat in concessas, sed totum id qvod concedentis auctoritatis fuit, penitus in concessarium transeat, suæqve prorsus auctoritatis post concessionem factam penes eundem existat. cujusmodi contingere videmus, in dominiis rerum, in potestate crediti qvicqvam exigendi, in Majestate rerumpubl. & compluribus jurium aliis: scilicet desinit prorsus dominicum aliqvod jus habere in re, qvi illud transtulit totum in alium; non habet in potestate sua debitor, mutandi creditori actionem, cui semel promissis sese obnoxium reddidit; nec arbitrii collatorum videtur esse, imperia qvæ semel plenè transtulerunt, qvatenus transtulerunt, ad suum moderamen revocare, sed jam, qvi has tales potestates sunt nacti, earundem moderatores ac arbitri & suæ qvidem hactenus auctoritatis videntur esse. Unde id porrò seqvitur, qvod qvæ sunt potestates hoc modo transeuntes, præter illam qvalemcunqve, qvâ dicere licet, originariam dependentiam, nullam ab humana auctoritate scire, eoq; actu reverà hactenus independentes esse, & per conseqvens nec moderationi, nec revocationi ejus, unde acceptæ sunt, obnoxias existere; vel contra ipsam hanc divina publica auctoritate munitæ. qvando scil. naturæ lex est; ut à nemine, alteri jus ipsi plenè acqvisitum, turbetur.

IV. Cæterùm observare tamen interea etiam porrò licet, non

non illô tantum penitus abdicativè transmissoriô, sed & alterô aliqvô modô potestates hominibus ab alteris dependentes extare; qvô nempe continuò alienâ humanâ auctoritate consistant ipsæ ac sustineantur, itemqve ad arbitrium ejus, cujus illa sustentatrix auctoritas est, revocentur; stent cadantqve, valeant ac non valeant. Cujusmodi potestatum forsan propriè in humanis dependentes licebit appellare. tanqvam qvæ in statu suo persistant, donec à principali attinentur foventurqve; pereant autem ubi foveri ac sustineri desinunt. Earum autem duplex videtur esse genus, ut um illarum, qvas ex isthoc alterius perpetuato indultu, donec istud durat, sibi suoqve fortè commodo primariò qvis usurpare habet; alterum earum, qvas in vicem ac ministerium alterius habet exercere. Illas *precarias* has *vicarias* dixeris potestates. *Precariam* potestatem ejusqve dependentiæ rationem, qvâ ab alterius arbitrio auctoritatis illa penitus pendet valet ac revocatur, peculiari titulo (*a*) satis luculenter nobis describere nituntur JCti, & causam defluxus liberalem scil. alicujus concessionem, & libertatem concessâ revocandi, & respondentem huic ab altera parte ejus tenendi modum exprimentes. *Precarium est*, ait Ulpianus (*b*), *qvod precibus petenti utendum conceditur, tamdiu, qvamdiu is qvi concessit patitur. Qvod genus liberalitatis ex jure gentium descendit. Et distat à donatione, eo qvod qvi donat, sic dat, ne recipiat; at qvi precario concedit, sic dat, qvasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere.* & iterum (*c*): *Habere precariò videtur, qvi possessionem vel corporis vel juris adeptus est, ex hac solummodo causâ, qvod preces adhibuit*, (not. rationem nominis) *& impetravit, ut sibi possidere aut uti liceat.* veluti (addunt compilatores ex Gajo) *si me precariò rogaveris, ut per fundum meum ire vel agere tibi liceat &c.* notabile est, qvod *juris* h.e. *potestatis* jure concessæ, & expresse in his mētio, & per species precariò cōcessorum declaratio, fiat. Caput autem hujusmodi precariæ potestatis per humanam vitam latissimè sese insinuat. Notat JCtus (*d*) ejus aliqvid in commodato. nisi fallor, si potestatem, qvam habemus rebus mundanis utendi, ad divinam concessionem referimus, & qvatenus inde dependet, eam consideramus, tota hujusmodi precariæ naturæ illa est, & continuò valorem suum ex divino indul-

(*a*) *de precar.*
(*b*) *l.1. pr. d. t.*
(*c*) *l. 2. §. 3. eod*
(*d*) *d. l. 1. §. 3.*

indultu mutuans, & ad ejusdem auctoritatis arbitrium nobis in momenta revocabilis existens.

V. Vicaria dependens potestas multum qvoqve freqvens est per publicam simul ac privatam vitam. ut autem positione præcedenti innuitur, vicaria nobis dicitur, qvam qvisqve ita ab altero obtinet, ut simul in vicem ac ministerium ejusdem ipsam exercere habeat, id ex ea peracturus, qvod ipse principalis (cujus adeò potestatem & principalem diceres) agere potest, ac etiam forte debet. Estqve adeò hujus generis, in publicis, potestas magistratuum ac judicum, omniumqve reipub. ministrorum, qvi qvasi manus instrumentaqve sunt, per qvæ Majestati aliàs propria vis imperandi ac dirigendi, per omnes partes civitatis exseritur protenditurqve; qvarum qvidem partem personarum etiam ipso nomine qvandoqve præferre contingit, qvid potestatis gerant; ubi forte Vice-Reges, Vice-Comites &c. imò vicarii qvandoqve audiunt. In privata vita, vicem aliorum subeunt negotiorum gestores, qvos dicimus, itemqve procuratores, tuentes eorum negotia, qvi ipsi rebus suis superesse vel nolunt vel non possunt, idq; vel per expressum mandatum principalium, vel ad præsumptum eorum consensum, impulsu humanitatis (a): qvorum adeo & ipsorum potestatem vicariam meritò qvoqve dixeris, ut & principalem eorum, qvorum vicem hi subeunt. Qvin porrò per familias potestatem famulitiam huc referes; subeuntem per negotia familiaria vicem familiæ domini. Qvod autem modò dictæ vicariæ potestates ante commemoratô modo dependentes sint, nempe qvod magistratuum propriè dictorum ministrorumqve publicorum potestas, per majestaticam auctoritatem continuò consistat, vim ac vitam qvasi inde suam trahat, simulqve arbitrio principalium revocabilis existat; id & qvotidiana praxis & crebra confessio hujusmodi ministrorum, ad auctoritatem imperiorem provocantium, contestatur. Dominos servis certarum rerum negotiorumq; facultatem & dare & adimere, de freqventissimo familiari usu est. Potestatis procuratoriæ consistentia & causam & fines habere solet per mandatum: sed & *recta qvoq; mandatum contractum, si, dum adhuc integra res est, revocatum fuerit, evanescit* (b). si per species distingvere recu-

(a) *per l. 1. & t. t. de procur. t. d. neg. gest. t. mandati &c.*

(b) §. 9. *J. mand.*

re cuperes hanc vicariam dependentem ab humana auctoritate potestatem, forsan ministerii publici, privati, ac familiaris; sive etiam ipsam publicam privatam ac familiarem diceres. Ut tamen juxtà notetur, qvod si ad divinam auctoritatem continuatumqve arbitrium humanas potestates conferamus, illam earundem vicariæ dependentiæ rationem latius sese extendere, & vel earum aliqvas, qvæ humanitus principales ac propriæ sunt, vicarias ac dependentes evadere, prout vel ipsa in humanis absolutissima Majestas rerumpub. eorum est qvi ministri Dei cluunt (a) vicem Dei in terris gerentes. Similiter ministri ac dispensatores mysteriorum Dei sui muneris ratione audiunt sacerdotes Ecclesiæ (b) qvinimò communiter nostri omnium potestas ad id ministerium DEO vicaria est, qvô qvod unicuiqve suum justumqve is assignavit per eam illi tribuatur. Unde illud videri posset resultare: Omnem humanam, qvatenus cū divina confertur, potestatem, rationem vicariæ qvoq; dependentiæ qvandam habere: eoqve etiam hic tandem solàm divinam ipsam dari, qvæ simpliciter ac absolutè principalis sit. Sed hujusmodi ulterius disqvirere prohibet ratio compendiosioris propositi. qvæ etiam in genere monere tantum admittit, qvod si qværatur, unde de potestate qvalibet judicium liceat sumere dependensne an non dependens sit ab humana auctoritate, & qvatenus fortè talis sit aut non sit, ita ut per alteram qvandam auctoritatem & consistat ac revocari aut etiam transformari possit; id ex iis potissimum dijudicandum fore, qvæ communiter in tali aliqva potestate observantur; ex ipsius committentis qvoqve ratione ac vi, an nempe constitutam qvandam potestatē à sese, porrò arbitrio suo prorsus obnoxiam habere possit. an verò ut administra alterius auctoritatis, unde ipsa qvoq; dependet, commissionem tantū peregerit? ex intentione deinde declarata concedentis; ex modo concessionis, ac similibus. qvæ expeditius in potestatum singulis suis ex fundamentis eruuntur, qvàm ut generalius commodè qveant explanata reddi. unde missis nunc hisce, unam atqve alteram solummodò generaliorem regulam circa vim atqve copiam dependentis potestatis ex juris nostri auctoribus, licebit subnotare.

(a) Rom. 13.
(b) 1. Cor. 3. & 4.

VI. Regula copiæ potestati dependenti generalior una, qvod

terminos commissionis diligenter observare debeat, qvi talem habet. Indicant nobis, hanc in specie vicariæ privatæ ex mandato, hoc modo: *Is qvi exeqvitur mandatum non debet excedere fines mandati* (a). Item: *Diligenter fines mandati custodiendi sunt. nam qvi excessit aliud qvid facere videtur* (b). nihil addo huic, nisi qvod mutatis subjectis commoda videatur, qvæ applicetur cuivis alii, præter privatam mandatariam, dependenti potestati (c): & qvod suam ex æqvo interpretationem patiatur (d). Altera autem regula dependenti potestati ferè hæc est: Qvod qvatenus talis *par esse possit, non amplioris auctoritatis vel copiæ qvàm illa est unde descendit:* qvam Jureconsulti ferè in specie transeuntis prioris auctoritatis (generaliter tamen itidem, ut priorem illam applicandam) ita proponunt: nempe Paulus (e): *Non debeo melioris conditionis esse qvàm AUCTOR meus à qvo jus in me transit.* Ulpianus ita (f) *Nemo plus juris ad alium transferre potest qvàm ipse habet.* In specie ex causâ translationis inter vivos, idem (g) eleganter hoc modo: *Traditio nihil amplius transferre debet, vel potest ad eum qvi accepit qvàm est apud eum qvi tradit. Si igitur qvis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert, si non habuit, ad eum, qvi accepit nihil transfert.* in specie hæreditariæ successionis Paulus (h): *Nemo plus commodi hæredi suo relinqvit qvàm ipse habuit*, & iterum in simili Ulpianus (i): *Absurdum est, plus juris habere eum, cui legatus sit fundus, qvam hæredem aut ipsum testatorem si viveret.* Qvin notatur ab iisdem porrò qvædam hujus regulæ sive ampliatio sive declaratio, qvâ cum eàdem restrictione, cum eodem onere jus potestasqve apud eum ad qvem transiit, qvàm apud auctorem fuerit, futura est. (k) nisi qvatenus dispensationem fortè aliqvam admittat, si ob incidens personæ vitium, defectum apud auctorem fortè passa fuerit, qvi de cætero naturam ipsius potestatis non comitatur (l). Et vicissim, si qvidem totum aliqvod juris integrum transire factum est, ad omnimodam paritatem, qvâ extensionem qvâ restrictionem, commodum & incommodum exprimendum, eandem modò dictam regulam verbis generalibus hi solent conformare, dicentes: *Qvi in jus dominiumve alterius succedit jure ejus uti debet* (m). *Hæredem ejusdem potestatis jurisq; esse, cujus fuit defunctus constat* (n). *Alienatio cum sit, cum sua causa dominium* an-

(a) § 8. I. mãdat. (b) l. 5. ff. eod. (c) arg §. 6. I. d. obl. qvæ ex delict. l. ul. de Jdict. (d) per l. 2. & 11. d. Jdict. l. 56. & seqq. l. 62. de procurat. & c. (e) l. 175. §. 1. d. R. J. (f) l. 54. eod. add. c. 79. eod. in 6. (g) l. 20. de acqvir. rer. dom. (h) l. 120. de R. J. (i) l. 160. §. f. eod. (k) d. l. 20 d. acqvir. rer. dom. t. C. sine consf. vel reliq. l. 143. de R. J. (l) per l. 4. §. 27. d. dol. mal. & met. caus. except. (m) l. 177. d R. J. l. 37. de acqvir. hered. (n) l. 59. d. R. J.

ad alium transferimus, qvæ esset futura, si apud nos ea res mansisset (a). cum hac itidem declaratione, *cum qvis in alicujus locum successit, non æqvum esse ei nocere, qvod adversus eum non nocuit, in cujus locum successit* (b).

(a) *l.67.de cōtrah.empt.*
(b) *l.156.§.1.d.R.J.*

VII. Atqve hoc qvidem, (etiam generaliter regulæ ad subjectum nostrum factâ applicatione) qvoad paritatem copiæ dependentis potestatis, cum ea à qva dependet in humanis sic satis perpetuum est: donec sese non admisceat commissioni, qvædam tertia superior auctoritas, publica civilis fortè aut etiam communis divinior, vel restringens vel amplians, vel etiam in aliam qvasi formam commutans copiam potestatis concessæ, qvàm qvâ erat concedens. qvomodo accidere videmus, qvando auctoritas publica efficit, ut patrium jus potestasqve à naturali patre in adoptivum extraneum translatum non eô transeat vigore aut forma, atqve penes principalem existit (c), sed multò minutius ac restrictius. Econtra amplius imò diversum aliqvid potestatis transit per magistratus constitutionem in sacerdotem Ecclesiæ ab ipso præfectum, qvàm apud ipsum magistratum est. Aliam mediante indultu ac consensu patris, [qvem nuptiæ filiæ præreqvirunt (d)] maritus accipit potestatem in fœminam sibi elocatam, qvam pater in eam habebat. Majorem itidem summus sępè Imperator per civitatem, qvàm erat Electorum eum constituentium.

(c) *l.pen.C.de adopt.*
(d) *pr.J.de nupt.*

VIII. Causa dictæ rei, & simul ratio generalis, mistæ humanitùs concessarum potestatum dependentiæ ac independentiæ, facile perspicitur, si modò attenditur, ad concurrentiam illam superioris auctoritatis cum illa, qvæ fortè humana proximè committens est. Si omnia qvæ hominibus ab aliis committuntur, h.e. potestates officiaqve, simili ab iisdem arbitrio revocari possent, (id qvod præcipuum aliqvod est actu dependentis auctoramenti) sine dubio variabilitas humanorum affectuum non levem inferret confusionem ordini, qvi commune conservat sive humanæ sive publicæ, sive cujusqve alterius societatis bonum. sapienter itaqve ab universali justitia ordinatum videmus, ut plurima qvidem arbitrariè ab humana auctoritate his illis hominibus concedantur committantur; qvæ tamen postqvam semel commissa sunt, nunc amplius

plius non per committentis sed per superioris potestatis auctoritatem consistunt ac ordinantur, nec illius sed hujus demum revocationi obnoxia, h. e. non ab illa sed ab hac dependentia sunt. Idq; vel simpliciter, ut accidit concesso juri maritali, dominio rerum aliisqve in res privatas juribus; vel ex parte & communitativè, qvomodo pleraqve munera publica, veluti sacerdotium, jurisdictio similiaqve alia, non simpliciter, sive directioni seu ordinationi, sive etiam qvandoqve revocationi potestatis committentis obnoxia sunt, ita v. c. sacerdotium, partim hujus directioni qvoad adiaphora ceremoniarum, revocationi in casibus exorbitantiæ ac neglecti officii; non verò directioni, qvoad divinitùs huic ordinata, nec revocationi, donec innocentis vitæ sacerdos agit qvæ ipsius sunt muneris. Ita qvilibet judex constitutus hactenus exemptus est Majestati imperantis, ne agnoscere habeat directionem ejus in hoc, ut injustè judicet (a). Detractæ, humanæ committenti auctoritati, revocationis, etiam per aliam humanam auctoritatem, exemplum notabile præbet in legibus romanis jurisdictio Legati Proconsulis, qvæ tota Proconsulis auctoritati videbatur vicaria (b), at retractioni ejusdem non erat obnoxia simpliciter (c). Sed tantum etiam hac vice de potestate dependente cursim dicta sufficiant.

(a) per cap. 19 lib. 2. Paralip. (b) l. 13. l. 6. §. 2 de offic. procons. (c) d. l. 6. §. 1. eod.

CAP.

CAPUT XIV.

De Dominio rerum.

I. Dominii qvandam probè concinnatam definitionem civilis jurisprudentia unô in loco non suggerit.

II. Qvomodò illud describant Interpretes.

III. Est autem IN REM substantialem,

IV. Corpoream; non, (qvatenus hominum est,) merè spiritualem,

V. Nec in facultates propriè legitimas ullas.

VI. Non obstante, qvod tradi etiam hæ putentur apprehendiq;

VII. Et qvod vindicentur.

VIII. Decet autem domino CONTINGIBILEM esse rem dominio obnoxiam:

IX. Natura scil. ac jure; Non tollente idipsum vi, qvæ jurisdictione publica potest arceri.

X. Est verò ARBITRARIA dominium

XI. POTESTAS:

XII. Plurium legitimarum in rem facultatum.

XIII. Qvas etsi opponi contingat dominio.

XIV. In pleniori tamen ipso solent comprehendi pleraq; omnes.

XV. Non impediente id istbâc contra positione.

XVI. Ut tamen suâ peculiari ratione, qvasi in specie dominium dici meruerit Potestas cujusq; PERPETIM ATTINENDI rem.

XVII. Propriam.

XVIII. (*Adstipulantur Prudentes*)
XIX. SIBI.

I.

(a) l. 1. & t. t. ff. de A. R. D. l. 1. § 1. de acq. poss. tit. 1 lib. 2 J. & passim.

DOminium rerum, qvod dicimus(a), nusqvam, qvod sciam, ab auctoribus elegantioris jurisprudentiæ nostræ ad ἀκρίβειαν, qvam qvidem concinnioris σοφίας definiendi Lex reqvirit, definitur; imò vix huc subjecti destinatô propositô plenius definiri tentatur; juxtà qvam in aliis hujusmodi dignationis capitibus multoties tamen fieri videmus, felicitatemqve exitus admiramur; veluti, ubi essentialia libertatis, servitutis, obligationis, actionis, pacti, ususfructus & similium, nobis definitiva qvadam positione concinnare illi nituntur (b). Dubitare, animum huc advortens, non desines; cum dominium res tanti usus, tantæq; æstimationis in vita sit; qvid viros tantæ prudentiæ in hoc fecerit deficere? nisi dicas, eos, aut neglexisse docere studio verborum, qvod tantùm non nimiâ freqventiâ usus vulgò hominum *ture* docendo obtruderet; aut impeditos fuisse nimiâ verbi *dominii*, sive ὁμωνυμία multum propinqvæ ἀναλογίας, sive significatus latitudine per vitam: qvod nimirum hisce efficiebatur, uti plurimis hoc modô, unô nomine propriè impropriéqve latè strictéqve dictis unum genus superius proprium constituere, & rursus hinc concinnè ad speciem, isthæc omnia ambitu suo complectentem, ejusqve planam ac plenam disterminationem descendere, in difficilioribus esset; nec fortassis etiam in iis, qvæ in decidenda occurrentium sibi Negotiorum Justitia magnoperè poscebantur oracula jústi; sine dubio subtilius progressuri, si hoc egissent, ut ad methodum disciplinarum sua componerent; imò, opinor, in multis multos & hoc qvoqve egisse, & luculenter satis progressos fuisse, nos visuros, modò nec per se injuria temporis rerum edacis, nec ambiguæ utilitatis Justinianea cura, nobis prisci seculi jurisprudentiam intervertisset, illam, qvam in cultissimo populo, orbis terrarum maximè excultam vidit; cujus de flore ac elegantiâ; vel laciniæ & frustula hodieqve, contra seqvioris ævi, sui generis opera, dignitatem pristinam,

(b) l. 4. d. stat. hom. pr. J. de obl. pr. I. de act. l. 1. § 2. de pact. l. 1. de usufr.

-tam corporis sui manibus tutantia, testimonio sunt luculentissimô. Sed hæc extra propositum. Concinnam satis Dominii definitionem dixi etiam elegantior jurisprudentia nostra haud nobis suggerit. unde, qvæ palpitatio nostratium, positionibus accuratioribus in materiis juris gaudentium, qvæve confusa circa ipsum Dominii esse cognitio, oriatur, partim in subseqventibus pellucebit.

II. Et nostri qvidem essentialia dominii circumspicientes, id ferè describunt, qvod sit *jus de re corporea liberè disponendi* (*a*); *jus qvo res nostra est*; *jus proprietatis* (*b*); *jus in re corporali constitutum, qvo res nostra est*, & si qvi extant modi ejus describendi similes: in qvibus & ille (cujusdam) à Wesenbecio adductus (*c*) *qvô facultas est ordinata lege divina vel humana, qvâ rem tenet Dominus & de eo disponit suo arbitrio, nisi qvantum lege aut pactô prohibetur.* Multa in hujusmodi dicuntur, qvæ probè, etiam phrasi legibus civilibus usitatâ, pro delineanda dominii natura faciunt; tametsi reqviras fortè in nonnullis definitivi sermonis congruam verborum proprietatem; in aliis incuses abundantiam ac nimiam dictionis latitudinem; in aliis restrictionem nimiam, siqvidem universum genus describendum venit: Qvod attinet, qvibus ad genus Juris refertur, sive qvibus *Jus* dominio generis loco ponitur; tametsi nec raro dominium juri, eidemqve in re, qvasi opponitur (*d*); non negarem tamen æqvè ut illa opposita, hoc qvoqve jus, sive jus in re meritò dici; qvando & legibus id est non incognitũ, diserte jus dominii enũciantibꝰ (*e*); & videri possit, si ulla alia, à jure nobis deputata, jura dici possint, hoc ut aliqvod præcipuũ in talibꝰ nomẽ hocce maximè mereri: unde fortassis, qvãdo aliqvibus juris civilis textibus jus qvasi juxta dominiũ ponitur, id non fit, qs. alterũ genere diversũ aliqvod ab altero sit, sed qvod dominium tanqvam tale esse, indubitatò supponatur; qvis autem dubitaret, donec in hac phrasi persistas, dominium in præcipuis speciebus juris in re esse? Qvod autem desiderari hic possit, forsitan hoc est, qvod dictione minus propriâ genus dominii exprimatur, per metonymiam caussæ nimirum, cum id potius deberet dici, qvod sicut dominium ipsum, juris effectus est, qvam ad rem, ultimò locô à nobis modò adducta descriptio videtur collimare

(*a*) Bart. in l. si qvis 17. §. 1. de acq. poss. n. 4 (*b*) Wesenb. π. t. de acqv. rer. d. m. n. 3. (*c*) d. loc. in fin.

(*d*) l. 13. §. 1. l. 19. de damn. infecto.

(*e*) t. t. C. de jure domin. impetr.

limare rectiùs, qvando qvod in alteris *jus* est *facultatem lege ordinatam* substituit; tametsi adhuc leviter saltem in eo à lege definitiva aberrat, qvod genus remotius cum differentia ponat, cum licuisset, ut genus proximius, utrumqve illud continentem proponere speciem, qvæ per supra deducta (a) *potestas est.* Qvod porrò *rem* huic juri facultative subjungant omnes, eos adigit natura negotii, & intentio principalis, qvâ dominium rerum debent definire. Placet autem & mentio τȣ̃ *liberè* & *arbitrii.* Sicut econtra in definitione universi generis offendere aliqvem possit, restringi illud, per τὸ *nostrum, proprietatis, tenere;* ac adjici fortassis etiam nonnulla alia, qvæ minus videri possint congrua. sed potius qvàm aliorum posita multùm examinemus, ponere aliqvid nostrum est.

(a) lib.2.c.2.

III. Esto igitur nobis *DOMINIUM* qvod *rerum* dicimus *ARBITRARIA cujusq; IN REM SIBI CONTINGIBILEM POTESTAS.* Ubi qvidem primò, qvod *REI* sive *in rem*, jus, potestas, seu facultas qvædam sit dominium rerum, ipsius subjecti definiti συνκατηγόρημα dici efflagitat, idcircò repetendum in definitione, qvò eò magis, multum pragmatica per jurisprudentiam nostram distinctione, res à personis; dominium qvod in illas, ab eo, qvod in has est, determinatum pronuncietur. Nec verò dubium est, omnis generis res, qvæ qvidem in hominum liberiorem qvandam statuendi disponendiqve potestatem cadere possunt, esse in subjecto potentiali humani dominii, h.e. in iis, qvæ dominio hominum subjici contingit, mobilia, tam animalia, qvàm hæc qvæ animâ carent, nummos, suppellectilem, arma, vestitum, itemqve immobilia, ut agros, prædia, fructus terrarum, regiones aqvarum, ac alia hujusmodi: atqve hoc ita qvidem, ut respectus dominatus ad rem in ipsa substantia sive in ipso rei substantiali sese primò ac potissimùm figat fundetqve; per conseqventiam verò qvandam, naturamqve accessorii atqve conjuncti, ad ipsa etiam rerum accidentalia sese extendat, eademqve complectatur. scilicet qvi dominium habet ligni, ille situs, loci, figuræ, coloris, qvæ eidem fortè insunt, servandi, mutandi, perimendi potestatem, ratione sui illius in id dominii, ferè simul qvoqve habet. Summà, per rem dominio humano subjici aptam, subjectamve, intelligimus substantiale qvid,

qvid, cum suis sibi convolutis qvibusdam accidentibus. Exemplum hujusmodi observationis, de subjectivâ accidentalium rerum ratione ad dominium, per medium substantialis eidem subjectæ, elegans est illud Jurisconsultorum, in casu libertatis ædificiorum, ab aliena dominatione; qvando hanc qvalitatem qvandam qvasi dominicam rationem succedere, aut etiam ab ea occupari adstruunt, verum cū & per ipsum simul illi subcedens occupatumq; prædium, non id citra. Ex dictis autem etiam hoc facilè fluere existimo, hactenùs rectè in propositione nostra definitiva simpliciter *rei* fieri mentionem, citra connotationē, substantialisne sit illa, an etiam præterea alia, putà accidentalis; utpote cum qvi rem dicit dominio aut potestati subjicibilem; utrumqve genus hoc qvasi in una massa comprehendit, utut per naturam rei, dominatus in ipsa substantia qvasi primùm sistatur, eidemqve ut fixæ cuidam basi superincumbat.

(a) l. 32. §. 1. d. Servit. urb. præd. l. 10. § 1. de usurp. & usucap.

IV. Qvia verò & è classe substantialium per naturam constitutarum rerum, eæ qvæ propriè spiritales sunt, hominum dominatum potestatemqve naturâ suâ effugiunt, videntur hactenus non male facere juris interpretes, ubi (*b*) de dominio, ejusqve constitutione, conservatione, vindicatione deqve homogeneis dominio juribus, ipsis tractatio est, si se ad res corporales benè restringunt: juxtà qvam etiam videmus facere partem definitorum, qvorum definitivas positiones th. abhinc alterâ produximus: imò hactenus necdum peccare eos dixeris, si res incorporales ab dominio hac ratione removeant (*c*). Tametsi, si qvem juvaret, hic scrupulos ponderare: fortè haberet qvæ circa admonenda duceret, nimirum, qvando res corporeæ propriè dominii hujus subjectum statuuntur, in his autem qvædam reperiuntur animata, hactenus non omnem spiritalem substantiam qvomodocunqve à reali dominio eximi, sed etiam pro qvadantenus ei submissa debere haberi; qvatenus nimirum cum corpore conjuncta, rem unam dominio subditam constituit; videlicet totius animalis, & si qvid in vegetabilibus spiritale qvoqve est, totius substantiæ animatæ, non corporis tantum domini haberi solemus. Qvapropter qvando spiritalem substantiam reali hominum dominio eximendam antea arbitrabamur

(b) §. 41. I. de R. D. §. 1. t. de act. l. 1. & t. tit de rei vindic. l. 4. §. 27. de usurp. l. 32. de servit. urb.

(c) l. 43. §. 1. de A. R. D.

bamur, non debueramus non adjicere: de eâ hanc exemptionem intelligendam esse, qvæ merè sit talis. De qva ipsa, an forte secundùm qvandam saltem analogiam in humanæ dominationis subjectis haberi qveat, non libet nunc porrò expiscari; qvia nec usus vitæ communis de hujusmodi rebus multum est sollicitus; neqve hac de re, an spiritualis substantia in subjectis dominii sit, Jurisconsultos temerè videas disputare. Qvod autem plus & ambiguitatis & discussionis apud ipsos habet, est de ipsis qvibusdam legitimis hominum in rem Facultatibus, an eæ dominii, earumqve adeò nomine res incorporeæ in subjectis dominii, propriè sint.

(a) ad Treutl. disp. 20. th. 1. lit. L.

V. Qvæstio, juris nostri scrupulosis interpretibus, (in qvibus etiam est (a) Bachovius) plurimùm agitata: *an etiam rerum incorporalium propriè dominium sit?* eò sese resolvit; utrum etiam qvarundam in res facultatum dominium detur? nimirum, in medium ferè adducunt pro exemplis harum (de qvibus hoc qværitur) rerum incorporalium, usumfructum, juraqve prædiorum reliqva; qvæ utiqve si essentiam eorum cupias exprimi, nihil aliud sunt, qvàm facultates legitimæ in res qvasdam, & ipsas corporeas. Uno ictu forsitan Gordius hicce nodus solubilis est, siqvidem intueamur: benè distingvendum esse inter id, qvod est ipsius dominii pars, sive cum ipsô dominio essentiâ homogeneum, & id qvod est dominio in subjectis rerum. & si porrò deinde ostendatur, facultates illas esse illius generis, eoqve non posse esse hujus; nisi dominium dominii velis statuere. Et illucce qvidem antecedens nonnihil exactius ostendetur paulò pôst; nunc ipsum etiam conseqvens ex alio capite licebit discutere, cum remotione eorum, qvæ videri possunt, pro tuitione stare: ac si detur etiam dominium harum incorporalium rerum. Qvod autem non sint in subjectis dominii, vel illud primum maximè urget, qvod jura [ita enim isthæc appellantur ac definiuntur à Jureconsultis (b)] hoc est, facultates legitimæ hæ incorporales res sint: jam vero & dominium ipsum jus facultasqve legitima qvoqve sit; eoqve seqvi necesse sit, qvod si dominium harum rerũ statuatur, jus juris facultasq; legitima facultatis legitimæ statuenda sint: id qvod videri potest minus consonum, & talis qvidem ἀσυμφονίας, qvam etiam aliàs Jurisconsultos abhorrere videas,

(b) l. 1. d. usuf. l. 2. de Serv. urb. l. 1. d. R. J.

deas, qvando apud eos disqviritur, an hujusmodi juriū, facultatūq; (v. g. itineris, actus, viæ, aqvæductus, sive ut magis propriè loqvar, eundi, agendi jumenta vel vehicula) jus seu facultas (utendi fruendi,) dari constituiqve possit? id qvod adeo negant, comprobatâ, verbis licet ad opposita applicatis, in rationem regulâ (a); *qvia servitus servitutis esse non potest*. It. *servitutis fructus constitui non potest*. qvæ idem dicunt, ac jura seu facultates legitimæ in prædia, jurium seu facultatum legitimarum in prædia esse aut constitui non possunt. adderent sine dubio huc attendentes simili subjectivô respectu, qvia etiam dominium jus facultasqve legitima est, nec dominium esse aut constitui potest jurium talium. Qvomodo verò, aut qvô ex accidente eadem qvæ jura seu facultates propriè sunt, etiam servitutes usitatâ legum phrasi dicantur, alibi, ubi de his juribus in specie agendum veniet, dicetur distinctiùs. Non magni æstimo, qvæ pro nostra hac sententia, sibi autem suæqve opinioni refutanda opponit post reliqvos, Bachovius allegato loco; qvod scilicet non acqvirantur jura hæc, modô dominii acqvisitioni maximè naturali, puta pedis positione in eadem; qvod non sint de genere mobilium aut immobilium rerum, cujusmodi communiter dominium dominicamqve vindicationem agnoscunt; qvod sint ex iis qvæ abesse possunt, à re, qvæ interea hisce absentibus tota spectat ad dominium alterius. nec etiam ideò addo, qvàm benè aut qvàm frivolè acutissimus aliàs disputator hæc refellit omnia. facile interea & ipse cernens, siqvidem meliori non niteremur fundamentô, in hisce parùm firmitatis fore. cum præter medium legitimè acqvirendi dominia per possessionem, aliunde, nempe à lege id ipsum etiam constitui possit; qvod ad mobilia aut immobilia rerum jura hæc referri, vel etiam ipsa hæc divisio, insufficientis enumerationis partium sit, vel per hoc, qvod jura hæc tanqvam à corporibus res diversæ referri soleant (b), qvod dominium totius rei qvidem possit esse, qvod tamen non qvoad omnes suas partes plenum seu totum sit, & similia. Potiùs igitur de ipso nervo eorum, qvibus opinionem, qvasi detur horum jurium dominium, præcipuè tueri nituntur, videndum est.

(a) l. 1. d. usuf. l. 33. de servit. rust.

(b) l. 1. §. 1. de R. D.

VI. Qvæ res ex justo titulo *tradi & apprehendi*, itemqve *vindicari*

dicari poteſt, ejus poteſt eſſe dominium, arguunt illi; idqve uſu juris & experientiâ fortè exiſtimant ſatis dari probatum. Jam verò facultates iſthæc, ſive ut loqvuntur, jura aut ſervitutes tradi & apprehendi poſſunt (*a*), itemqve vindicari (*b*). E. ſed forſan parum in his ſubſidii eſt. Qvod enim traditionem & apprehenſionem attinet, ſi qvis propriè, hoc eſt pro eo actu, qvi eſt de manu in manū datio & acceptio, eas accipit; nemo non videt, tale qvid rebus, qvæ in facultate conſiſtunt, nullô modô accidere poſſe. Unde ſanè videas Pomponio Juriſconſulto reſediſſe aſſeverare (*c*): *Si iter actum, viam, aqvaductum per tuum fundum emero, vacua poſſeſſionis traditio nulla eſt.* Et Gajo (*d*) *incorporales res traditionem & uſucapionem non recipere manifeſtum eſt.* Et iterum Javoleno (*e*) *nulla ejusmodi juris vacua traditio eſt.* Nec juvat hic, qvod iidem Juriſconſulti *inductionem in rem & patientiam uſurpationis*; *qvod uſum horum jurium, pro traditione (apprehenſione) poſſeſſionis accipienda eſſe* exiſtiment (*f*): qvia nimirum eô ipsô, qvod talia pro talibus accipienda eſſe ordinant, fatentur, eadem talia propriè non eſſe; Et ſanè, huc tendit Juriſconſultorum fictio, qvâ determinant ſigna, actusqve, qvibus intervenientibus, *acqviſitio* horum jurium peracta alicui eſſe, certò poſſit argui; non ſecùs atqve ex ipſa forte traditione ac apprehenſione rerum corporalium, acqviſitio dominii in easdem. Et hic qvidem prorſus notabile exiſtimem, qvod qvando juriſperiti de acqviſitione etiam ea, qvâ res dominio ſubjiciendæ ſunt, tractant, ipſi pro *ſubjecto proximo acqviſitionis*, non res ſed dominium ipſum ſibi proponunt; non de acqvirendis rebus, ſed *de acqvirendo rerum dominio* hic intitulantur tractatus; de cætero ſolliciti, definire, qvibus modis, qvibus actibus id ipſum dominium qvod jus facultasqve eſt, in rebus conſtituatur. pari prorſus modô hic atqve in qvibusvis conſtituendis juribus, v.g. res poſſidendi, iisdem utendi fruendi, verſati. Unde adeò, etiamſi ſimile qvid in horum jurium conſtitutione ac acqviſitione intervenit, atqve in conſtitutione & acqviſitione dominii, e. c. rei ſeu corporis, in qvod illiusmodi jura conſtituenda erant, palmalis pedi-poſitialisqve apprehenſio, uſusqve patientiaqve ejus, qvi jus potius in eandem rem habet; non tamen ſeqvitur: ergò hæ res, hæc jura manu palpantur, traduntur, appre-

(*a*) per l. 3. de uſufr. l 1. §. ul. ib. traditio. de ſerv. ruſt. præ. (*b*) t. t. ſi uſuf. pet. t. t ſi ſerv. vind. (*c*) l 3. §. 2. d. act. empt. (*d*) l. 43. §. 1. de acqv. R. D. (*e*) l. 20. de ſerv. (*f*) d. l 34. §. 1. & l. 20.

apprehenduntur; nisi in qvantum de ipso dominio hujusmodi asserere liceret, de qvo verò non licet. minus ergò hæ res, hæc jura in subjectis dominii sunt; qvin potius à paritate generis, qvo & dominium, & hæc, jura sunt, à similitudine utraq; cõstituendi, arguere licet, parilem hisce naturam esse, non verò dominico subjectivoqve respectu distare. Et qvis unqvam commodam habebit dictionem, qvâ qvis dicatur dominium, hoc est *jus* habere, *juris* possidendi, juris utendi fruendi, juris eundi, ambulandi &c. qvin potius putaverit, ut dominium jusve dominicum in re dicamur habere, ita jus possidendi, utendi fruendi re, citra ambages dicendum esse, nobis competere.

VII. Forsan urgentior est altera, à vindicatione ante petita ratio (utut in subtilitatibus Bachovii levioris est æstimationis) pro subjiciendis dominio juribus rebusqve incorporalibus; siqvidem supponas, ut fere Jurisconsultis in more est (*a*), ut vindicari ab aliqvo res possit, ejus constitutum dominium præsupponendum esse: & si præterea observes vindicandi phrasin usu juris nostri, non adeò ad dominium, sed ad rem ipsam sese applicare; qvippe non de dominii, sed de *Rei vindicatione*, titulis partem aliqvam legum solent inscribere juris compositores. Verum utut hic phrasi sermonisqve usui facile indulgeamus, verbis tamen naturam rerum everti posse, non concesserimus. qvid autem absurdi foret, si diceremus, ut res possunt corporeæ, ita & incorporeas res juraq; ab aliqvo posse sibi vindicari; nec tamen ideo seqvi, qvia res corporeæ non possunt vindicari, nisi dominium in illas vindicanti constitutum sit; ergò & similis oportere esse conditionis subjectionisqve res incorporeas? qvid si harum conditio tantùm distet à conditione illarum, qvantum corpus ab incorporeo, substantia ab accidente? Qvamvis verò & ipsum suppositum non perpetuæ sit identitatis, qvippe vindicatoriâ actione etiam petimus, qvorum dominium nobis haud asserere ausimus, veluti rem qvam cæpimus in effectum usucapionis possidere, nec tamen usucepimus (*b*); agrũ vectigalem, cujus fortè amisimus possessionem (*c*). imò forsan qvi dixerit, jura hæcce præter dominium varia posse vindicari, ille qvoqve admiserit, in absonis non esse, dicere, ipsum dominium vindicari. Sed ut

(*a*) *l. 23. & t. t. de R. V.*

(*b*) *per l. 7. §. 1 & 8. t. t. de publ. in Rem act.* (*c*) *l. 1. §. 1. si ager vect. per. l. 16. de pignor. act. l. 8. de pet. hæred.*

dicam qvod hic ſentio; duo exiſtimem ſubeſſe hic, ad qvæ animadvertendum: primum, vocem vindicare, genuinâ latinâ phraſi, non tàm denotare ipſius cujusdam rei ad nos pertinentis ab altero petitionem, qvàm actum liberandi nos idqve qvod noſtrum eſt, aut qvovis modo ad nos pertinet, ab injuriâ injuſtâqve ſuppreſſione alterius cujusqvam. Unde ferè hæc amica vox admodum eſt libertati, ejus tutelam ac procurationem proclivis deſignare (a). ſcilicet, vindicare ab injuriâ, vindicare in libertatem dictu communia ſunt. Ut adeò & qvando jura resqve nobis vindicare dicimur, nihil aliud effectû videamur dicere, qvàm easdem res juraqve ad nos pertinentia, nobisve competentia ab injurioſa ſuppreſſione, & adverſatione aliorum liberare, aut hoc operam dare, ut libera iſthæc nobis ab injuriâ reddantur. Et ſi qvidem rem ipſam ſpectes, utiq; ipſa actio civilis vindicatoria rerum hoc præcipuè in voto habet, non ut tanqvam ad dandum aut faciendum obligatus, detentator rei ad nos pertinentis, nobis qvid præſtet; ſed ut eadem res non injuriâ ab alio detineatur, nosqve impediamur noſtrô jure noſtrôqve arbitriô in ea verſari (b). unde viciſſim exurgit, qvod reapſe noſtram arbitrariam facultatem, hoc eſt, dominium ipſum, ejusqve exercendi libertatem in re, æqvè ac rem ipſam vindicemus; eóq; iterum ab hac qvoq; parte ad ſimilem procedant cum dominio rationẽ, jura illa cætera; qvod modus vindicandi par iis contingat: qvippe & horum in ſpecie vindicatio qvando intenditur, non id agitur, ut novum jus, e. c. uſusfructus, ſervitutis, per eam ſibi qvis acqvirat conſtituatqve, ſed ut acqviſitum, & conſtitutum, qvod prætendit, tueatur ab injuria, qvam dicit, turbatoris. Et qvia igitur, qvod dominium ipſum reapſe illud qvoqve ſit qvod vindicatur, hinc non infertur, ergò dominii dominium vindicationi præſupponi neceſſe eſſe; minime qvoqve ex horum jurium vindicatione infertur, neceſſe eſſe, ut eorum dominium præſupponatur. ſed & ſi admitteremus, id qvod vindicatur rem qvandam oportere eſſe, diverſam à jure ſeu poteſtate legitima, qvam qvis ejus rei habet, imò, ut vindicare illam poſſit, habere debeat: denuò obſervare hic erit, qvod jam ante qvoqve demonſtratum eſt (c): Non deeſſe qvid rei, qvod etiã qvibusvis juribus poteſtatibusve legitimis, præter rem ſubſtantialem

(a) l. 2. §. 24. d. O. J. t. de manumiſſ. vind.

(b) arg. §. 1. I. de actionib.

(c) c. 4. Num. pen. Arg. §. 1. t. de uſu & habit. §. 3. Inſt. de uſufr.

tialem, in qvam competunt, subjecti instar subsit, nimirum facultatem facti, qvam ibidem dixi; qvam proinde intelligi posset vindicare, qvi jus potestatemqve jure concessam se qvidem habere astruit, nec verò rem ipsam, in qvam hoc jus aliqvid sibi prætendit, petit, aliqvid tamen rei se vindicare sibive concedi oportere ab altero, intendit. Existimem hactenus vindicatum esse Bartolum, ab incusatione, qvasi propterea, qvod hæc jura qvoq; sint qvæ vindicentur, minùs cautè res *corporales* tantùm pro subjecto dominii rerum ipse constituat. Qvod autem nos nostræ definitioni hanc determinationem non addiderimus, ratio est, qvod per se putemus seqvi, fundamentale rei dominio subjectæ, qvid substantiale corporeum esse, ita tamen ut in vicem accessionum accidentalia corporum, & qvæ juncta iisdem esse contingit, spiritalia, non excludamus.

VIII. Qvod autem porrò in re dominio subjecta aut subjicibili, reqviramus; ut sit ei, cui dominium ejus tribuitur, *CONTINGIBILIS*, tum eò facit, ut & merè spiritualibus, & merè accidentalibus, de qvibus in proximis, extra humanum dominatum collocatis, idem dominium ipsis corporalibus confixum redderemus: tum porrò, ut ipsarum corporalium rerum, disterminaremus ab humano dominio eas, qvæ extra humanum contactum sunt positæ: Etsi enim cœlorum, astrorumqve, meteororumq; sublimium, terræ, marisqve penetralium, aliqvalis homini potestas est, nempè contemplandi ea ut pulchra, scrutandi, ut abdita; cujusmodi etiam supra cap. 4. hujus lib. in potestatibus hominum, *in qvid rei*, admodùm nimimqvè remissæ dominantis rationis retuli. vix tamen est, ut audiri possimus, si homini in hujusmodi *dominium* aliqvod propriè dictum aut proprium velimus adserere, aut illas qvalescunqve hominum circa has res facultates usitatiori dominii nomine insignire. utpote cum usus, unde sua verbis vis est, nomen hoc reddit restrictioris significatus. cui enim unqvam arrideret, dici, hominibus dominium qvoqve esse in cœlorum astra, maris abyssum, terræqve centralia, & si qvæ sunt similia extra humanum contactum posita corpora; imò extra possibilitatem eorum, unqvam illa contingendi, qvibus dominium talium fortè tribueretur! Videntur huc-

huc oculum conjicere, Jurisconsulti, qvando dominii juriumqve dominicalium conqvisitionem, per medium possessionis usûsqve ipsius rei cæpisse, ac etiam incipere autumant (*a*). Possessionem ipsam per sedis positionem, naturalem rei attinentiam, ac in ea insistentiam describentes (*b*) voce *usus rei* per se hujusdem contrectationem inferente, dico, id hi videntur observare, qvandò possessionem usumqve reqvirunt, in constitutione particularis cujusqve in re dominii; per naturæ ordinem reqviri, imò præreqviri, ut res à domino contingatur, & per conseqvens eidem attingibilis sit. Eqvidem actum contingendi rei, constitutioni omnis dominii, homogeneorumqve jurium, non qvidem præcisè qvis reqvireret, facile edoctus, etiam merâ legis assignatione, siqvidem ita sancire supereminenti cuidam auctoritati resîdet, talia ut proximos effectus legis cuiqvam posse constitui, (aut cujusqvam potentiæ ut alibi (*c*) pressiùs locuti sumus, posse apprimi), qvomodò sanè commune illud generi humano in bruta, terramqve universam divinitus constitutum fuit (*d*) dominium; & nostri disertè asserunt, *lege*, & qvæ legis rationem ac naturam in hoc imitantur, aut ipsa aliqva per legem agentia sunt, *adjudicatione scil. & in jure cessione*, *mancipatione*, *etiam singularum rerum dominia nobis acqviri* (*e*): & pertinet, ubi lege bona defunctorum in hæreditatem liberis, agnatis cognatisqve & reliqvis qvibusdam addicuntur; pertinent qvoqve plurimæ dominiorum acqvisitiones per traditiones fictitias, tum eas, qvas per symbola dicimus tum alias (*f*), qvæ plurimum hoc, ut tales sint, à lege habent. Inqvam, hæc propter, ad dominii vel existentiam, vel constitutionem non præcisè reqvirendum putem, ut res actu tangatur, sed ut homini attingibilis modo sit. qvorsum enim, nisi in vanum, vis dominii in rem, siqvidem præter potentiam dominantis esset, ad eam pertingere. Ubi autem duo veniunt adnotanda: 1. Hoc qvod dictum est, dominio præreqviri, ut res sit tangibilis facultatiqve tangendi personæ dominæ obnoxia, de talis exercitii contactu accipiendum esse, qvem etiam tuetur regula: *Qvod qvis per alium facit, ipse fecisse videtur.* qvæ in hujusmodi freqventioris est per Jurisprudentiam usus (*g*). hanc rem, qvæ se declarat ipsa, tantum indicasse velim.

IX. 2. No-

(*a*) l. 1. §. 1. de acqv. poss. l. 20 ff. de A. R. D. l. 3. pr. de usuf. l. 20. de servit.
(*b*) l. 1. de acq. poss.
(*c*) lib. 1.
(*d*) Gen. 1. v. 28. & seqq.
(*e*) Ulp. §. 1. 2. 5. 8. 10. 15. 16. I. t. 19. add. l. 1. C. cõmũ. de leg. tit. ad SCt. Claud.
(*f*) §. 45. D. R. D. l. 1 §. 21. in ff. D. A. R. D. l 18. §. 2. l. 51. eod l. 9. §. 6. D. A. R. D
(*g*) t. Inst. per qvas person. cuiq; acqv. l. 1. §. 24. de acqvir. possess.

IX. 2. Noto, non id nobis statim non contingibile, ac extra dominium cujusqvam positum corpus dici, qvod fortè violentâ alterius manu is tangere impediatur; cum videlicet nil freqventiùs sit, qvam ut res nostræ ab aliis vi detineantur, nosqve ab iis arceamur, qvorum dominium habemus, qvæve hujus nomine ab aliis lege vindicare possumus(*a*); Sed illud, qvod, ut nostri loqvi amant, (*b*) *sui natura* à qvoqvam tangi non potest. Tametsi, neqve in ipso illo priori casu, puta, ubi vis humana domini manum avertit, id perpetuum sit, ut dominium duret. qvippe in confessione Jurisperitissimorum est; qvæ nostra ab hostibus capiuntur, prioribus dominis etiam invitis adimi & capientium fieri (*c*). Ne multis nunc deducam, pluribus etiam aliis casibus per juris nostri textus inculcari, dominium alicujus cessare, nec esse aut esse posse amplius, ubi isthæc arbitraria rem attinendi attingendiqve facultas domini desinit. sive naturalis rei conditio, sive jus publicum, sive utrumqve concurrens, rem eo modo constitutam reddat. exemplo possunt esse, fera animalia evadentia, & pars agri à flumine publico occupata; de illis ex JCto (*d*) Justinianus (*e*) ita: *qvicqvid aut earum ceperis*, (ferarum bestiarum volucriumqve) *eo usq; tuum esse intelligitur, donec tuâ custodiâ coercetur. cum vero tuã evaserit custodiã, & in libertatem naturalem sese receperit, tuum esse desinit.* de apibus idem (*f*): *Examen qvod ex alveo tuo evolaverit eo usqvè tuum esse intelligitur, donec in conspectu tuo est, nec difficilis persecutio* (nota facultatem rem pertingendi exspirantem) *ejus est, alioqvin occupantis fit.* De agro privati hominis, à flumine occupato, inq; alveũ redactô, idem legislator (*g*) per eundem JCtum, & præterea alium (*h*): *qvod si naturali alveo in universum derelictô ad aliam partem* (flumen) *fluere cæperit novus alveus ejus juris esse incipit, cujus & ipsum flumen est, id est, publicus.* Posset multis porrò ostendi, qvomodo plurima, qvæ naturâ sui minimè, uti nec factо violento hominis fortassis, sed saltem jure, extra arbitrariam dispositivam aut executivam manu-tactionem alicujus posita sunt, ejus dominium, vel penitus, vel in qvantum, effugiant; exempló plantæ, frumenti agro alterius coalescentis, ædificii solo alterius confixi, purpuræ vestimento alterius intextæ, (*i*) rei abjudicatæ (*k*) & similium. sed qvia in confesso hæc sunt peritis; fortè

(a) t. t. ff. d. R. V. (b) Inst. de corp. & incor.

(c) l. 20. ff. de capt. & postl. l. 5. in fine l. 7. d. acqvir. rer. dom. (d) l. 3. §. 2. l. 5. de A. R. D. (e) § 12. I. eod. (f) §. 14. eod. ex d. l. 5. §. 4. (g) §. 23 eod. (h) l. 7. §. 5. l. 30. § 3. ff. de R. Divis.

(i) §. 27. 31. 32. 33. I de R. divis. (k) per §. f. I. de offic. Judic. Ulpianus J. t. t. 19. §. 15.

restat solummodò, ut emergamus ex hisce, pro nostro instituto, fere cum tali legitimô axiomate: Ut res qvædam, etiam corporea in obnoxiis dominio alicujus haberi possit, illam ei & naturâ & jure cum effectu qvodam contingibilem oportere esse; sin verò id nō sit, vel in qvantū non sit, nec dominio ejus obnoxiam eādē esse. spretâ autem interea pro hoc effectu negandi dominii, violentiâ illâ humanâ, qvæ jurisdictione publica est corrigibilis, qvippe, donec saltem hæc pro tuitione nostra viget, vindicare per ejus auxilium rem jure possumus & ad ejus attingentiam redire.

X Posthæc, qvando ulterius desideramus, ut *ARBITRARIA* sit dominium in rem *potestas*, reminisci licet ex superius (*a*) traditis: arbitrariam qvandam cujus potestatem dicere, duo dicta continere; nempe liberā eam esse ab impedimētô legis, & deinde esse ita liberam, ut ad utrumqve oppositorum exercitii indifferentis sit: sive, ut alio verborum modô idem efferam: potestatem arbitrariam esse facultatem per legem liberè qvid agendi; & hoc ipsum liberè qvoqve omittendi. in effectu facultatem liberè qvid agendi vel omittendi esse. Jam verò ejusmodi in subjectam qvidem sibi rem potestatem, dominium esse, ni fallor evincit, qvod si alterutram ejusmodi rationum ei deneges, ipsum negare ac tollere videaris. Qvod si enim lege non impeditè libera non esset qvædam in rem qvandam potestas (potestatē a. esse dominium, nunc ponitur post probabitur,) utiqve nec facultas legitima (lege permissa) nec potestas esset, & per conseqvens dominium cum toto genere suo illius cujuscunqve facultatis naturæ excideret. Qvod si autem ponatur facultas qvædam in rem dominans, per legem expeditionis liberæ, qvoad hoc aliqvid circa rem agendum disponendumqve; non admittatur autem, eam talis esse libertatis, qvòd etiam idem hoc, qvod, circa rem liberè agere, omittere qvoqve is possit, cui isthæc facultas competit: jam in necessitatem officii, speciemqve potestatis officiosæ, imò vicariæ, ex præceptivâ lege descendentis, res incideret, per tradita superius (*b*). constat autem, qvod si qvis necessitate obligationis aut officii circa rem qvandam agere facultatem habet, vix esse ut hujus facultatis respectu dominium aliqvod ipsius rei ei tribuatur; qvin necessitas illa juris potius servilem.

(*a*) c.3. lib. h.

(*b*) lib. 1. c. 3. & 4. lib. 2. c. 4. in fin. c. 11.

lem aut serviendi rationem eidem personæ, etiam intuitu ejusdem rei, videatur imprimere: qvomodo tutori aut curatori, ratione suæ in res pupilli minorisqve potestatis, dominium in easdem res nemo tribuet; uti nec cuivis mercenario operatori in corpus operis, propterea qvod qvæ in eô operari vi pacti fortè tenetur. ac etiã potest. nec rustico censitico, in agrum domini, qvod illum colere teneatur ac possit. Certè hanc arbitrariæ libertatis rationem, dominicæ potestati, jura nostra tribuunt, ubi *suæ qvemq; rei moderatorem, atq; arbitrum* disertè dicunt (*a*); ubi *licitum* volunt cujusqve circa rem suam, *arbitrum (b) voluntatemq; ambulatoriam* etiam *usq; ad supremum vitæ exitum* (*c*). atqve ita qvidem in genere hanc libertatem illi solent exprimere. qvomodo, in specie per singulos actus facultatesve dominii eandem observent, per seqventia poterit patere amplius. nunc ex qvo *Genere* rerum, qvarumve specierum aut partium, qvà genericam sui naturam, sit, paucis qvoqve coadvertendum est.

(*a*) *l.21. cod. mand.* (*b*) *l.1. cod. de SS. Ecclef.* (*c*) *l.4. de adimen. leg. l.32. §.3. in f. de donat. int. vir. & uxor.*

XI. Ex genere *POTESTATUM* esse dominium rerum, opinor, haud difficulter collectu erit; circumspicienti, rerum hanc universitatem, cernentiqve, non esse idem rem substantialem, sed omninò rerum personarumqve per se subsistentium accidens aliqvod; in accidentibus autem id ipsum aliam universaliorem categoriam haud facile subire, qvam eam, qvæ qvalitatis est; in qvalitatibus autem, siqvidem ut subjecti, cui inhæret, hoc est, ut personæ idipsum habentis, affectionem id consideres, sine dubio magis, qvam figuram aut habitum aut patibilitatem personæ, *potentiam* qvandam ejusdem in rem esse dixeris: & porrò potentiam non qvamlibet talem, sed eam qvæ legitima, qvæ lege permissa munitaqve est, cujusmodi per superiora (*d*), *potestatem* esse demonstravimus. adstipulantur huic designationi jura (*e*); astipulantur interpretes, qvi *jus in re* dominium esse diciqve volunt; per jus nil aliud intellecturi, qvàm potestatem, qvam qvisqve per legem habet. qvod igitur dominium, genere *potestas* sit, mihi qvidem dubitare non licet.

(*d*) *c.2. h. lib.* (*e*) *§. final. J. de usuf. l.1. ff. ad leg. falcid. & alibi.*

XII. Qvando autem porrò iis, qvas in speciebus potestatum signatè connumeramus, notabiliter accidit, (juxta qvam supra

(a) 0.13. n.

qvoqve fuit oſtenſum) (a) qvod qvaſi congeries plurium legitimarum facultatum exiſtant, ſitqve v. g. jurisdictio ſeu poteſtas jus dicendi, & ferendi ſententiam, & cognoſcendi de cauſſa, & partes citandi, & exeqvendi aliqva facultas: patria poteſtas & coercendi filium, facultas & uſurpandi ejus operam, & fruendi ejusdem bonis: majeſtas ſeu ſumma rerumpublicarum poteſtas, & leges ferendi, & bellum gerendi, & fœdera faciendi, & tributa exigendi &c. poteſtas. forſan, qvia dominium rerum in iis qvoqve poteſtatibus eſt, qvæ maximè in vitâ ſunt inſignes, ſi ipſa rerum optima magiſtra experiētia, tale qvid de dominio, prout vulgatisſime id accipimus, non aſſereret, ut tamen utiqve facit, ſaltem conjicere liceret, idem huic accidere; nempè acervum qvaſi eſſe plurimarum circa rem facultatum legitimarum ſeu poteſtatum. certè uſus, qvem dixi, docet, qvem dominum dicimus, alicujus rei, eum, qvatenus dominus eſt dominiumqve habet, habere ſolere, & poteſtatem eâdem re utendi, & eandem ſibi retinendi, & eandem alienandi, & ipſam conſumendi, & corrumpendi. Si ad juris ſapientum obſervationem hic libet attendere, illi hujusmodi plurimas peculiares facultates dominio rerum vindicant. Sic *utendi* facultas ita propria eidem græcis viſa eſt, ut ipſas res cujusqve qvarum dominus poſſeſſorqve erat, qvaſi proprio nomine χρήματα hoc eſt utibilia ſeu uſui facultative obnoxia dicerent (b). noſtris in maxime cavendis habetur, *ut in univerſum inutiles ſint proprietates* (eſt vox inferens dominium) *ſemper abcedente facultate utendi fruendi* (c): & ſecundum hos in hac ſpecie, aliqvem qvid *habere*, aut *perveniſſe*, *aut pertinere qvid* ad aliqvem id demum dici poteſt *cujus effectus eidem prodeſt.* (d) Si qvis *re meâ uti me non permittit, injuriarum conveniri poteſt* (e). poſſum re meâ uti, inqve meo qvid facere, etiamſi id cum aliqvô, non nimiô modô, incommodo alterius fiat (f). qvin disertè juxta horum aliqvos uſusfructûs h. e. jus facultasqve utendi, fruendive, *in multis caſibus pars dominii eſt & extat* (g): jus *emolumentum rei continens* (h); domino, qvatenus reliqvo dominicarū facultatum corpori concluſum eſt, id præſtans, ut *plenum habeat in re poteſtatem* (i) Ut ἀπὸ τῆς χρήσιος χρήματα, ita ἀπὸ τῆς κτήσιος, *à poſſeſſione ſeu facultate poſſidendi* κτήματα qvoqve Græci appellabant res cujusqve

eô in-

(b) *Ariſtot. 1. Polit.* (c) *§. 1. in fin. I. d. uſufruct.* (d) *l. 164. in fin. junct. l. 188. de V. S. l. 148. de R. J.* (e) *l. 13. §. 7. de injur.* (f) *l. 24. §. fin. l. 26. de damn. infect. l. 9. de ſerv. urb. l. 8. §. 5. ſi ſerv. vindicet.* (g) *l. 4. ff. d. uſufr.* (h) *l. 66. §. 6. de leg. 2.* (i) *§. final. de uſufr.*

eô inprimis sensu, qvo ad qvemlibet, tanqvam peculiariter propriæ illæ pertinebant; & per hoc tanqvam qvæ dominationi ejusdem obnoxiæ essent. Appellabant simili sensu & latini *possessiones: interdum* ait Paulus JCtus (a) *proprietatem, qvoq; verbum possessionis significat, sicut in eo qvi possessiones suas legasset, responsum est:* similia dicunt alii (b). *possessionem* igitur seu facultatem rei insistendi manu tenendivè utiqve ut dominii aliqvid, ipsa hâc denominatione utriqve fassi sunt. Notabile est & terminum à qvo & ipsam continuationem naturalis dominii JCtos possessionem ponere, statuentes: *dominium rerum ex naturali possessione cœpisse* (c), resqve naturaliter acqvisitas, tamdiu nostras nostriqve dominii esse, donec easdem attinendi facultatem habemus (d). & facit, qvod in qvantum aliqvibus proprietatem rerum jura ût in competens qvid æstimiant, iisdem & possessionem derogent; veluti servis & filiisfamilias (e). Porrò, qvæ possessoriæ vicina qvædam facultas est, rem qvandam perpetim *sibi retinendi*, ita qvidem, ut invito illa penitus auferri jure neqveat; ejus dominica ratio textibus juris ferè insinuatur hôc modô: *non videtur perfectè cujusq; id esse qvod ex casu auferri potest.* (f) *id qvod nostrum est sine facto nostro ad alium transire non potest* (g). *non in potestate cujusq; sit, per rapinam ab invito domino rem vel justô pretiô comparare* (h) *neqve enim æqvum est invitum, vel suô pretiô res suas vendere* (i). sed *justum est*, hactenus etiam qvoad pretii constitutionem, *sua cuiq; committere* (k). Qvæ deinde facultatem hanc rem sibi retinendi servandive, inprimis contra vim extraneam domino tuetur, potestas *vindicandi*, maximè qvoqve celebratur, ut aliqva domino rei competens, tum qvæ ex parte tota tutelæ propriæ est, adversus sive aggressoriam, sive aliàs injuriosam manum (l); tum qvæ mediante potestate judiciariâ exercetur, & in specie ferè vindicatio, aut etiam in rem actio dicitur (m); estqve per qvam à qvovis iniqvo possessore ac turbatore rem jusqve suũ, dominus, qvive jus qvodlibet dominicum in rem habet, judicialiter recuperat, ac tuetur (n). Est post hæc potestas *alienandi* rei suæ domino

(a) l.78 d.V.S. (b) l.41.§.6.d. leg.3. l.4.C.de cõtr.h.empt. l.ul.C.d prad min. l.17. de servit.rust. (c) l.1.§.1.de acq. poss. (d) §.12. I.de R.D. (e) l.118.& l.93.d. R J. (f) l.139. §.1 D.R.I. (g) l.11.D.R.I. (h) l.70.ff.D.R.V. (i) l.9. de act. rer.amot. (k) l.9.C. de Jud. add.l.11.14.C. de cõtr.empt. l.6.C.de reb. al.non alien. (l) l.1.C.qv.indo lic.sin.jud. se defend.l.4. 5.ff.ad l.Aqv. l.1.C.und.vi. l.10 §.16.qvæ in fraud.cred. §.12.de R.D.

 mino

(m) l.1.§.1.l.23.& per t.t.ff de R.D.l.25.de obl.& A. (n) per d. text.& §.2.d. act.tit.si servit.vind.

mino competens; de qvo ita judicant prudentes: *Nihil tam conveniens esse naturali æqvitati, qvàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre ratam haberi* (b): è contra verò *iniqvum esse ingenuis hominibus, non esse liberam rerum suarum alienationem* (b). Ciceroni alicubi *fundamentum libertatis fonsq; æqvitatis est, unũqvemq; rei suæ relinqvendi ac dimittendi jus habere*. Qvod qvidem ad usqve abjectionem (c), imò corruptionem (d) nostræ leges extendi annotant; modò ne nimiam profusionem, eamqve talem, qvæ vel in notabile aliorum detrimentum vergere posit, vel indicium insaniæ habeat; ubi tandem ut sistatur hæc libertas, illa desiderat æqvitas, qvæ non admittit, ut alteri per alterum iniqva conditio inferatur (e) qvæqve alienâ provisione ac cura consulit illis, qvi ipsi sua negotia tueri non possunt (f). de cætero & vicina alienandi facultati, in ipso dominio est, facultas res suas multa obligatione *onerandi*, aliorumqve simultaneæ potestati subjiciendi, qvæ exercetur, si servitus inibi constituitur (g); si commodatò, locatò, precariò, feudali, emphyteuticô jure utenda alteri conceditur, si pignori obligatur: & si qvi sunt modi hujus generis alii, suas sibi per civilem justi disciplinam peculiares tractationes vindicantes. Præprimis autem in partibus dominii censenda est illa tantoperè per Romanam jurisprudentiam discussa limitaqve facultas *testandi*, disponendive, etiam post mortem cujusqve, qvid de rebus suis fieri velit. Cujus ex æqvo competentiam exprimere annitens Constantinus Imper. (h) *Nihil enim* ait *est, qvod magis hominibus debeatur* (versabatur autem in casu disponendi cujusqve de bonis suis) *qvam ut supremæ voluntatis, postqvam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, qvod iterum non redit arbitrium.* Qvæ styli dominici, qvæ arbitrii libertas, qvalis & civili lege pergrande Reipub. ævum, per mille scilicet & ultrà annos, apud romanam gentem extiterit, vel unum hoc potest docere, Justiniani (i) Nominantis ita: *Disponat unusqvisq; super suis ut dignum est, & sit lex ejus voluntas, sicut & antiqvissima nobis lex, & prima penè Reipub. Romanorum, disponens ait-uti legassit qvisq; de re suâ, ita jus esto.* Non est ut nunc pluribus aggeramus, qvibus in terminis potestatem hanc romana legitima æqvitas constituerit,

(a) l. 9. §. 3. de A. R. D. §. 41. de R. D. (b) l. 2 si à parẽ. qvis manumil. (c) dicto §. 47. d. RD. tit. ff. pro derelict. (d) 25. §. 11. l. 31. §. 3. de pet. hær. (e) l. 14. de cõdict. indebit. (f) pr. I. de curat. l. 1. & t. t. de curat. furios. & prodig. (g) §. 4. I. de servit. & alibi passim per eand. mater. (h) l. 1. C. d. SS. Eccles.

(i) Novell. 22. c. 2.

Lon-

longum enim id foret, & à proposito nos averteret, qvod nunc erat eas tantummodò cursim observare facultatum species, qvæ signatè constituunt dominium rerum, qvod universim dicimus, & præcipuæ hæ ferè sunt, modo commemoratæ, rursus & ipsæ suis partibus, suâqve facultatum congerie ac numero constantes.

XIII. Sed hic fortassis aliunde habemus expectare ictum, qvi fundamenta nostra impetens, & ramos, & truncum positionis nostræ pertremere faciat. siqvidem cum impetu qvisqvam oggerere hisce incipiat: Non posse de dominio esse, partesqve dominium constituentes haberi isthæc, qvæ, etiam judice choro prudentum, à dominio diversa, separata, eidemqvè qvasi opposita cernuntur, & multoties in competentiis eorum, qvi non domini sunt, constituta reperiuntur. Veluti *possessio, cum qva nihil commune habet proprietas* (a). qvæ acqviri, teneri, ac alienari potest, citra dominii vel acqvisitionem, vel consistentiam, vel amissionem (b). Rei sibi *attinendi* facultatem habet, etiam cui pignori res data est, dominus autem non est ejusdem, dominium demum in casum non solutionis per legitimam addictionem exspectaturus (c). *Usus* etiam ille qvi rei præcipuus, & percipiendorum ex ea fructuum facultas est, non tantum *à proprietate separationem recipit* (d) sed *nec dominii qvidem pars est* (e). qvod si autem pingvior hicce usus dominium non infert, minus inferent, qvæ ex hoc genere tenuioris sunt facultatis, veluti sunt omnia reliqva qvæ jura prædiorum & servitutes ars nostra appellat: veluti potestates eundi, ambulandi hominis pecus vehiculumve agendi per qvendam agrum, aqvam hauriendi, calcem coqvendi, pecora pascendi; onera, tignum, stillicidium immittendi, altius tollendi, luminibus officiendi &c. (f). minus adhuc qvia non perpetui ut hi, sed temporales sunt, usus conductitius, commodatarius, precarius, & similes dominium erunt illaturi. Porrò nec *alienandi* facultas dominium infert: qvando *accidit aliqvando, ut qvi dominus rei sit alienare non possit, & contra qvi dominus non sit alienandi potestatem habeat* (g) *nam dotale prædium maritus invitâ muliere per legem Juliam prohibetur alienare, qvamvis ipsius sit; Neqve pupillus neq; pupilla ullam rem sine tutoris autoritate alienare potest.* (h) *Contra autem creditor pignus ex pactione, qvamvis ejus ea res non sit,* alie-

(a) l. 12. de acqvir. poss. (b) l. 2. & t. t. de acq. pos. l. 1. & t. t. de usucap. §. 3. I. per qvas pers. cuiq; acqvir. §. 4 I. de interd. l. 119. d. R. J. l. 115. de V. S. (c) §. 4. I. qvib. mod. re contr. obl. junct. l. 3. C. d. jur. dom. impetrand. (d) §. 1. I. de usuf. (e) l. 25 d. V. S. (f) per d. l. 25. & tot. mater. d. serv. (g) pr. I. qvib. al. lic. vel non. (h) d. pr. & §. 2. eod.

(a) §.1 d.t. (b) l.5. in fin. de censib. (c) §.4. d. leg.

alienare potest (a). Similiter & fiscus *pro pecunia tributi* qvod suâ die non est redditum (b). Deniqve nec *testamentaria dispositio* simpliciter omnium rerum, de qvibus fieri ipsa potest, testatoris dominiũ præsupponit; qvando & res aliena legari potest (c). Qvomodo igitur, denuo hic repeteret refragator aliqvis, hæ à dominio alienæ facultates, dominii poterunt haberi idqve constituere?

(d) l.2. pr. qvib. mod. usufr. amitt. (e) §. fin. I. d. usufr. (f) l.3. circ. fin C. de secund. nupt. (g) vid. Wesemb. in Parat. π. de acqv. rer. dō. n.4. & ib. Bachov.

XIV. Svavem huic contritioni suggerit materiam emplastri Papinianus (d), arripiunt Instituistæ (e) confectam dant operam Justiniani sublevati (f) Interpretes nostri (g) qvando ille facultatem utendi fruendi, cum nudâ proprietate (qvam appellant) seu cum nudæ proprietatis jure conjunctim existentem *plenam proprietatem* designat; isti in simili casu *plenam in re potestatem* domino adsignant; hi ipsam hanc plenam in re potestatem *dominium plenũ* appellant, eidemq; id qvod minus plenũ tale est opponunt, ac contradistingvunt: id in rei momento dicentes (siqvidem concedendum est potestatem sive etiam acervum qvendam potestatum dominiũ esse,) dominium aliud plenius auctiusqve facultatum esse, aliud non ita auctum, nec facultatum adeò plenum. Qvæ qvidem observatio naturæ hujus rei convenientissima est, sensu non tantum illo specialiori, qvo contenti sunt interpretes, plenum dicere dominium qvalecunqve proprietarium jus cum facultate utendi fruendi conjunctum; sed & intellectu ampliori, qvo per gradus multimodi defectus ac incrementi junctarum in re facultatum ante cōmemoratarum, exilius plenius, minus magis, parùm aut deniqve absolutè plenum dominium aliqvibus existit personis. Namqve & qvicqvid reliqvarum, præter utendi fruendi, est ejusmodi facultatum, id dominis rerum tanqvam aliqvid dominicæ in res suas potestatis, vindicari ac tribui solere, & usus, & testimonia jureperitorum de singulis iis speciebus ante particulatim adducta probant. perspiciamus rem in exemplis: Deus ter Opt. Max. & in veritate rei, & confessione omnis, veritatis cælestis eruditæ, naturæ, dominus summus, absolutissimus, plenissimus est, totius hujus creati universi: is potestatem habet plenissimam, hanc mundi machinam, cum suo, qvem continet creaturarum exercitu, sibi addictissimè retinendi; eamqve per omnes usqve particulas & minutias divi-

divinô modô suô contingendi possidendive; qvodlibet ejus, contra placitum ipsius à qvoqvam vel infestatum vel occupatum brachio potente sibi vindicandi, ad usus qvaleslibet adhibendi; dádi & concedendi ex iis cuilibet qvidlibet; corrumpendi etiam, imò in nihilum redigendi, tum qvando ipsi id placuerit, qvicqvid elementare natura hæc novit. Jam verò omnes has, & si qvas præterea divina dominica omnipotentia, in mundana hæc, potestates complectitur, tanqvam *plenissimi illius divini dominii* partes (liceat verbis uti, qvæ capimus) non possunt non æstimari. qvippe absurdè ponas: aliqvam aut aliqvas earum facultatum Deo in creaturas hasce elementares deesse, fortè justissimô jure suo usurpandi, vindicandi, aut similes; & necesse foret, dominium illud esse minutius, aut amplum minus: qvô autem dempto aliqvid minuitur, id tanqvam partem ejus esse nobis dictitat natura. Transeamus ab archetypo ad typum: Audiatur aliqvis dominus esse cujusdam sive prædii sive supellectilis, sive alius generis rei, donec audienti non constat, de qvibusdam ipsi, qvem dominum percipit, facultatibus demptis, per dominicam naturam discurrens, eidem homini, tanqvam domino tribuit potestatem talem in eam rem, qvâ ille eam ita sibi retinere possit, ne qvisqvam ipsi invito illam possit auferre; item pro lubitu possidendi & usurpandi eam, item ubi vult alienandi, & similes reliqvas. ubi verò idem animadvertere fortè incipiet, vel hunc aliqvem jure suô retinere sibi hanc aliqvam rem non posse, vel non habere jus eâ utendi, vel etiam non pro placito alienandi; nescio, an non dominium illud qvod ante conceperat amplissimum, per hujusmodi defectus deminutum, pro restricto ac deminuto incipiet habere. qvæ autem rem ampliare, qvibusqve deficientibus eandem in aliqvo deficere, ac deminutam judicare solemus; illa pro partibus qvoqve ejusdem rei solemus reputare. Forsan igitur dubium non est, facultates illas, rem nempe sibi attinendi prensandive, vindicandi, usurpandi, alienandi, & reliqvas, proprietatem, possessionem, usumfructum, & ita porrò nostris dictas, utiqve partes, easdemqve constitutivas, plenioris, & per hoc, veri dominii esse.

XV. Sed ais, qvid autem sibi ergo vult illud dominii ad hasce

& hujusmodi facultates plerasqve omnes contrapositio, aut ab iisdem distinctio? Sicuti ex modo antecedentibus patet, contingere, ut facultates hæ dominicæ in rem qvandam, junctim uni personæ inhæreant, eidemve competant; ita jam ante qvoqve observatum est (a) eisdem accidere posse, ut multifariam ab invicem separentur, aliæ huic aliæ alii personæ competant: exindeqve facilè evenire, uti, qvæ antea junctim constitutæ, ut partes qvædam similares, unum plenius dominium conficerent, singulæ ab invicem separatæ ob tenuitatem sui, & qvod qvasi minutæ integri portiones existant, licet aliqvid dominii sint, pleræqve tamen nomen dominii vulgari usu non satis sibi tueantur; qvomodo videmus etiam aliis contingere rebus, ubi qvi sinus, qvæ pars situlam qvandam cōplens, qvæ gutta maris est, non mare; sed sinus, situla, gutta communiùs appellitatur. Qvod qvidem cum ita est, utiqve constat, ut facultas aliqva in rem, dominicam rationem verè habeat, non obstare, qvod vulgò dominium ea non vocetur; & fortassis nec vocari communiter debeat, qvia κακοφονίαν qvandam sermonis videri possit sapere, per similem denominationem talium partium, ut plura maria, ita plura dominia dicere, maxime, qvà minutiores partes; qvæ in cumulo rei constitutæ, numerô unum faciant, tali nomine communissimè insignitum. Unde porrò nec absona debet manere illa distinctio, & per communem verborum usum frequentata dislocatio plerarumqve istarum facultatum ab dominio, sive ab aliqva aut aliqvibus earundem, qvibus tandem ut fundo, ac umbilico nomen dominii idem usus ad extremum approbavit relinqvendum, & qvæ fortassis præ cæteris aut qvanti, aut virtutis suæ prærogativa, id ipsum continenter retinere mereantur. Verum qvid igitur hoc nunc dominicæ facultatis sit, id hic fortè desiderabitur spectari.

(a) lib. 2. c. 4. Num. 10.

XVI. Ut solummodò eò decurramus per species dominicalium potestatum insigniores: qvando apparet facultati rem possidendi seu attingendi, attinendivè, ut & potestati fructus, ex re percipiendi, aut qvovis aliô modô usurpandi, inve utilitatem suam dirigendi: accidere (insignes licet dominii plenioris partes sint) ut sæpius separentur à reliqvo dominii corpore, & separatæ qvidem

dem nihil patiantur freqventius, etiam usu prudentum, qvam ut à dominio distinguantur, per num. XIII. his juxtà allegata, & plurima per civilem jurisprudentiam loca; minus suspicandum est, rationem illam κυριωτάτην residere in hujuscemodi. Vindicandi inve rem agendi aliqva facultas, aliis qvoqve, qvam qvi omnimodè pro dominis habentur, tribuitur, veluti bonæ fidei possessori, ei qvi agrum vectigalem tenens, aliud dirigens dominium suô superius agnoscit; ac superficiariis similib9(*a*). Facultati alienandi qvoqve disertè videmus tribui, qvasi aliis qvoqve competat, qvam qvi veri sint rei domini (*b*) veluti creditori pignoris, qvàmvis hanc qvidem facultatem non simpliciter dimitterem, ac si per se ac propria aliis qvam dominis competat; uti nec faciunt jura eam in hac specie adnotantia; dum vel pactioni vel peculiari civili legitimæ dispositioni eam tribuunt, à qvibus utiqve constat, cuivis qvidvis in qvodvis ferè posse concedi: sed missâ dubitatione, & reliqvis illis facultatibus qvæ videntur non esse hujus, qvam nunc qverimus, formæ: nisi multum animo fallor: *Potestas, cujusq; rem perpetim sibi attinendi asserendive, vel non attinendi, dimittendive à sese*, illa est, in qvâ qvasi fundamentale dominii situm est. Sententiæ propinqvum dixeris factum Bachovium, qvando animadvertere se dixit *dominii effectum in duobus ferè consistere, in jure rem perseqvendi & sibi asserendi, & in jure de re disponendi*. qvamvis in medio relinqvo, an propriè aut concisè satis hęc ab eo dicta sint omnia, scilicet effectum dominii is dicit, qvod nobis ipsum dominii esse qvasi est, & disponendi de re facultas pro strictiori hâc naturâ designandâ, forsitan nonnihil laxior dicta est: cum plurima circa rem disponere etiam non dominorum strictè dictorum est, veluti qvi usumfructum in re, qvi oppignoratam rem habent, aliam alio jure possident: tametsi interea sine aliqva disponendi ratione vel strictissimum qvodlibet dominium penitus fortè non est: id qvod adeo etiam nostræ positioni inclusum volumus, qvando attinere & dimittere conjungimus: qvorum posterius inprimis, imò utrumqve non sine dispositiva qvadam, circa rem ratione est, siqvidem disponere, ad placitum aliqvid ponere ac constituere, circa aliqvid, est. Verba autem positæ descriptionis eò debent accipi sensu, qvo, qvando facultas dicitur *attinendi*

(*a*) *l.1.l.7.§.6 & 7. de publ. in rem act. l. 73. §. 1. & ll. seqq. de R.V. l.1.§.1.si ager. vect pet.l.1.& 2. de superfic.*

(*b*) *§. 1. qvib. aliē. lic. l.3. C. de jur. dom.*

(*c*) *ad §.2.n.1. J. de action.*

nendi vel non attinendi, id arbitrariam illam dominicæ facultati cõgruam ad utrumqve oppositorum progrediendi rationem exprimat: de qva num. X. ante. Adjecta vox *dimittendive à sese*, magis solummodò exprimere vult, id qvod in effectu est, qvòve evadere solet isthæc facultas dominica in parte, qvâ juxta placitum rem sibi non retinendi est; nempe ut dimittatur res à nexu, qvo hactenus ad personam, ut dominio ejus subjecta, sese retulit. similiter, qvando *attinere & asserere* junguntur, posterius ad exprimendam efficaciam prioris, sive etiam id qvod conseqvens ac succedaneum illi est, pertinet, in casu, qvo retentio confligtare habet cum adversario aliorum aufecendi nisu. Ubi ne statu suô facultas retinendi excidat, domino res reivè nexus contra illum vindicanda asserendaqve est, sive jam dum factò adversantis occupata teneatur, sive etiam impetatur. asserere autem sibi rem cum tali efficacia sensus hic velim intellectum, qvæ aliàs τῷ vindicare est, in respectu pari. Per *attinendi* verbum, idem dictum velim, qvod retinere est, saltem placuit pluseulum illud, qvod visum id fuit aliqvantò notabilius consignificare ac qvasi coinferre nexum attinentiamve rei ad personam. Qvod autem *rem sibi* retinendi cujusqve facultas hæc dicitur, pertinet ad insinuandam relationem, qvâ hæc, personam certam, præ aliis, peculiariter respicere ad rem qvandam certam facit, simulqve rem vicissim ad personam. Qvæ qvidem relatio mutua, ut continentis nexus, notabilisqve dominii constitueretur, addendum fuit, facultatem hanc *perpetim* esse talem.

XVII. Non hic intacta transmittenda videtur ratio illa rei subjectiva, qvâ ad personam ita illa refertur, ut simul necesse sit personæ huic, ex opposito qvandam coëxistentẽ qvalitatem inesse, qvâ ad rem vicissim, sese referat, intellige dominicam. Scilicet talem aliqvam subjectivè relativam qvalitatem in re, in qvam dominium, cui competere ponitur, esse, satis arguere videtur, qvod omni dominio personarum in personas, tale qvid relatæ qvalitatis in objecta persona oppositum sit. veluti servitus, qvæ in specie dicitur, filialis, conjugalis, subditiva, & si qva alia aliô nomine designari potest, subjectio. Sed non opus est argumentis qværere, qvod copiosè inventum exstat. Jurisperiti, præterqvam, qvod multis signis aliis hanc rei relativam ad dominum dominiumve qva-

litatem insigniunt; qvando rem qvandam nostram, aliqvid, meum tuum, suum, ejus, cujusqve, in bonis, in patrimonio nostro esse, ad nos pertinere dicunt (a): ipsi qvoties qvoties rei *proprietatis* faciunt mentionem, eâdemqve tali cuidam dominio rem opponunt supponuntqve, qvod diversum est à facultate possidendi, utendi fruendi, &, si qvæ ulterius sunt, similibus (b). unde apparet, dictam in re qvalitatem, ipsis qvidem *proprietatem* esse diciqve, speciali illâ *rei* ad dominum dominiumqve relatione. atqve hoc eô prorsus effectu, qvô res qvædam ita personæ alligata annexaqve est, ut donec ipsa dimittere eam sponte suâ non vult, abstrahi ea ipsi, suæqve facultati prorsus eximi non possit: sed ipsa retinere ac vindicare eam sibi, si non in præsentem, saltem in futurum usum possit. loqvor autem de eo affectionis, qvod communiter inest, deqve casu, qvô persona dominans suo integriori persistit jure ac libertate; non specialibus ex caussis ita obligata, ut eô modo, sibi peculiariter aliàs competentia ad alios dimittere necesse habeat. prout accidere potest, propter commissum personæ, & ponderosam crediti obligationem aliam. qvamvis ne hic qvidem certa individua rerum statim absoluta qvædam, ut dimittantur, necessitas solet imperere; uti aliàs accidit iis, qvi fortè fundum qvendam, ususfructus, pignoris nomine, aut alio peculiari titulo tantum possident, eandem hancce rem cum vita postqve debitum solutum rursus obstricti dimittere; qvia scil. mediante ære plerumqve sibi sua qvisqve ex nexu, qvo mediante persona illa afficitur, liberare, eoqve singula nil minus sibi perpetim retinere ac vindicare potest. Id qvod qvandoqve extendi videas in casum etiam intercedentis jam caducitatis (c). Unde etiam est, qvod vel maximè obæratis singularum rerum suarum dominium, imò facultatem aliis qvàm qvibus obstricti sunt, eas tradendi, (donec citra fraudandi animum id fiat) variisq; modis aliis in vivis, & post mortem de iis disponendi, non denegemus: secus ac aliis alia qvædam in re jura habentibus. Applauderem si facultatem hanc perpetim rem sibi retinendi, ex eo qvod proprietas in re ipsi supponitur, ad distinctionem, tum pleni pluriũ in re facultatum dominii, tum reliqvarum sejunctim fortè positarum dominantium in re potestatum: *nudæ* proprietatis, vel etiam sim-

(a) l. 11. 159. 45. 139. §. 1. 148. 190. d. R. I. l. 58 91. 239. 181. in pr. jũct. 88. de V. S. (b) l. 12. d. acqv. poss. § 3. J. per qvas pers. cuiq; acqvi. § 1. l. de usufr. l. 25. d. V. S. & passim per jura.

(c) l. 3. C. de jur. dom. impetr.

simpliciter *proprietatis dominiū* manuductoribus jurisconsultis (a), appellandum qvis existimaret.

(a) §.4.l.d.usupr.

XVIII. Consistere autem summum hunc atqve ultimum dominii cardinem in hac rei sibi perpetim ad arbitrium retinendi facultate, pluribus attestantur periti nostri, qvando non tantum (veluti plerisqve cæteris in res facultatibus qvoqve accidere supra indicatum est,) ut aliqvid dominicæ competentiæ eam ponunt (b); sed etiam hac, eidemqve opposita in re proprietatis qvalitate positâ, dominium ponunt, negatâ negant, vacillante vacillare fatentur. Ita cum veteres observabant prædia populorum bello devictorum, qvodammodo reipubl. cedere, eorumqve aliqvod qvasi hujus dominium constitui (c); & tamen rem eô modô existere temperatam, ut perpetuo sibi incolæ in liberiorem usum bona eadem retinerent; *dominium* in bonitarium sive *in bonis* hisce possessoribus tribuerunt (d). Notatu dignum existimem: cum aliàs potestatem percipiendi fructus jura civilia parcius, imò separatim constitutam fortassis nunqvam, dominii, sed potius contrario servitutis nomine dignantur (e); qvod tamen sint adacti interpretes, siqvidem hanc rei retinendi vim simul illi conjunctam reperirent (licet nec alii alicui hujusdem rei dominium negare auderent) id ipsum ex hac & facultate utendi constitutum totum jus, dominium qvoqve dicendum judicarent, idqve, propter illum conjunctum cum hac usum, utile. Audiatur tantum Bachovii hic ratiocinatio (f) *sed si juri utendi fruendi accedat qvid amplius v.c. jus rem VINDICANDI CUM QVADAM PERPETUITATE qvale est in Emphyteuta, Vasallo; tunc abit in dominii speciem, qvam Dd. vocant utile dominium, cui opponitur directum, qvam divisionem vulgo & hic qvoq; à Wesembecio probatam, inepti sunt qui ferre non possunt.* & qvæ seqvuntur. Similia sunt qvæ habet Comment. ad Treutlerum (g) *fortassis Dd. hoc qvoq; considerarunt, qvod v.c. penes vasallum & Emphyteutam plenissima rei utilitas est, cui utilitati, cum accedat jus vindicandi contra ipsos qvoq; directos dominos, & titulum habent PERPETUUM, aliqvod penes ipsos dominium esse, difficile sit negare.* Ne nunc urgeam, etiam JCtos veteres eo fuisse compulsos, qvod, ubi solummodò spem probabilis contingentiæ videbant, ut præter facultatem utendi res perpetuò alicui

(b) l.1.23.de R.V.

(c) Arg.§.41. de R.D. l. un. C. de usucap. transform.

(d) l.un.C.de nud.jur. Qvirit.tollend.

(e) d.l.25.de V.S.

(f) ad Wesē. ff.de acq.rer. dom. num.4.

(g) tō.1.disp.1. th.1.lit. G.

alicui ejusq; posteris maneret, dominos eosdem appellarent, veluti maritum rei dotis(*a*). Si qværatur, in qvânam potestate potissimum consistat dominium illud directum, qvod dicitur eorum, qvi rem in Feudum aut Emphyteusin dederunt? nisi fallor: præter illum qvalemqvalem usum, qvi in perceptione canonis, servitiorum ac similium est, in potestate, qvâ prohibetur vasallus, emphyteuta, invitis ipsis ad alios pro suo arbitratu rem transferre, sed ita constitutam relinqvere, qvò etiam spes sit, ut integer usus ad ipsos possit aliqvando redire; id qvod à parte illorum, & in præsentem qvendam & in futurum pleniorem usum illius rei sibi afferendi facultatem, habere est. Regula autem juris qvæ est: *duos non posse ejusdem rei in solidum esse dominos* (*b*) distinctioni directi ac utilis, & si qva alia similis simultanei dominii ratio est non obloqvitur, etiam qvoad casum, opinor, qvo utrinqve rei cum perpetuitate retinendi facultatem respicit: siqvidem modus ille retinendi solummodo probè distingvatur. imò si observetur, vel commune etiam qvodammodo hic concedi dominium posse, modô tantummodò facultatum exercendarum distinctô. Atqve isthoc qvidem modo, positâ rei qvâdam interveniente retinendi facultate, dominium nostri ponent. Tollunt autem, eâdem sublatâ, illud, toties qvoties id ipsum denegant iis, qvi merum jus utendi fruendi, qvi merum jus possidendi, tenendivè ad aliqvod usqve tempus aut casum habent, qva de re etiam ante. qvin insignis eorum annotatio est, cessantis dominii naturaliter acqvisiti, ubi per id, qvod fera aliqva occupata in naturalem suam libertatem se recepit, facultas sibi eam afferendi inanis est facta(*c*). Vacillant autem iisdē, in afferendo alicui, aut dominio aut rei suitate, ubi ipsa hæcce rem perpetim retinendi facultas vacillat. qvando audias dicere *non videri perfectè cujusq; id esse qvod ex casu auferri potest.* (*d*) *Qvod evincitur in bonis non est*(*e*). Qvando ipsis eam demū *rem in bonis nostris habere intelligimur: qvoties possidentes exceptionem aut amittentes ad recipiendā eam actionem habemus*(*f*). qvando vel id *qvod aliis debemus as, alienum appellare incipiunt* (*g*). Patere existimem, qvod proponebatur, nempe ultimū dominii, & illud in qvo qvasi dominii Cardo adhæ-

(*a*) *l. 75. d. jur. dot.*
(*b*) *l. 5. §. ult. commod.*
(*c*) *§. 12. 14. I. I. de R. D.*
(*d*) *l. 139. §. 1. de R. J.*
(*e*) *l. 190. de R. J.*
(*f*) *l. 52. d. acqvir. rer. dō.*
(*g*) *l. 213. §. 14. de V. S.*

adhærescit, esse ac prudentibus haberi, *potestatem qvandam arbitrariam rem perpetim sibi retinendi asserendive.*

XIX. Ubi qvidem adhuc unum non videtur tacitè prorsus transmittendum, qvod nempe, qvando in facultate hujusmodi retinendi, dominii primum ponitur, id non debeat accipi, de facultate qvâdam tali, omni utilitate merâ: qvippe vana ac inanis, imò futilis talis esset rei attinentia, contra morem humanæ non fatuæ actionis, institutionisqve omnis, cui observante philosopho (*a*) bonum seu finis aliqvis propositus semper est. Sed debet planè intelligi talis hîc potestas, qvæ commodum, utilitatemve qvandam retinentis intueatur, eoq; faciat; sive utilitas illa amplior qvædam sive minutior sit; sive in qvadã, vel fructuosâ vel etiã honoratâ tantũ circa rẽ disponẽdi ratione persistat; sive actu nunc percipiatur sive ex parte maximâ in spe, juris destinatione roboratâ, aliqvandò percipiendi, consistat. Cujusmodi certè vestimentis etiam indutum reperire erit, qvicqvid hujus facultatis nomen dominii mereri & ex re ipsa & ex ante dictis, & ex usu communi observatur. imò ab hujusmodi non nudum relinqvendum, placuisse judicio prudentum, in specie ususfructus & proprietarii dominii, observat Nomotheta noster (*b*). Vellem, voculam *SIBI*, hæc qvædam virtute suâ inferre; ita ut sibi retinere, diceret etiam *suo* alicui *usui* retinere; atqve ita eadem hæc qvoq; nostra diceret posita hujus facultatis descriptio. Videri alicui posset potestas hæcce in corpore facultatum dominicarum instar umbilici, cui reliqvæ illæ facultates in dominio pleno, arctis nervis annexæ circumjaceant; in minus pleno, v. qvasi per tendines protensos in laxum. Vel etiam centri instar, à qvo, ut plani peripheriâ inclusi, puncta alia latius alia propinqvius distent. Sufficiant dicta de natura dominii rerum, videndum de potestate ejus acqvirendi.

(*a*) 1. *Eth. c.* 1.

(*b*) §. 1. *in fin. de usufr.*

CAP.

CAPUT XV.

De poteſtate acqvirendi; dominii rerum imprimis.

I. Poteſtas acqvirendi, diverſa qvædam eſt facultas à cæteris in rem poteſtatibus.

II. Plurimam per jurisprudentiam tractationem habens.

III. Eſt hæc vel latioris vel ſtrictioris & ſubjecti & libertatis.

IV. Etiam in jus multùm particulare ſæpius abiens; aliisq; particulariter conſtitutis juribus ſeſe immiſcens.

V. Alia ejus generaliora memorata, hic modò transmittuntur.

VI. Res, qvæ extra vulgare commercium, poteſtati acqvirendi privatorum regulariter exemptæ.

VII. In rebus in commercio diſtinctorum generum, etiam res incorporales ſunt: qvæ facultates ſunt in res legitimæ; in qvibus etiam dominium eſt ipſum.

VIII. Qvod cum illis cæteris vel primum videri poteſt objectum acqviſitionis, ſeu poteſtatis acqvirendi.

IX. Modus rerum dominium acqvirendi per naturam à parte acqvirentis qvædam rei apprehenſio eſt. Hujus ſpecies acceſſio & occupatio.

X. Acceſſio eſt & fructuum;

XI. Et partium.

XII. Mediæ, aut peculiaris conditionis ſpecificatio eſt.

XIII. Occupatio vel eſt rerum nullius; inq; his pro derelicto habitorum. ad qvam igitur pertinet, & aliorum.

XIV. Et Theſauri inventio.

XV. Et uſucapio, plus cæteris modis participans concurrentis facti alterius.

XVI. Vel eſt rerum, qvæ dum occupantur aliorum ſunt, occupatio: veluti bellica;

XVII. Et ea qva mediante traditione fit.

XVIII. Eademq; vel solemni vel minus solemni aut etiam fictâ tantùm.

XIX. De Addictione per legem aut sententiam.

I.

A Domino juribusqve seu potestatibus qvibuslibet cuiqve hominum peculiariter magis acqvisitis, magisqve propriis constitutis, diversum est dominium juraqve in res communissima, & in his singularis notæ, *POTESTAS ACQVIRENDI* cujusq; sibi peculiari magis ratione proprias qvasturas res, sive in res dominium, juraqve omnis generis. Demonstratū est supra(a), hanc communissimi illius dominii hominibus in mundanas hasce creaturas dati, aliqvid potissimum esse, & tale, per qvod vel omne etiam illud in exercitium sui abeat, qvod ipsi usui seu exeqvutioni facultatis utendi ejus viam qvasi sternat. Scil. hocce naturale communius dominium, qvatenus ad singulos ejus applicatio fit, in duabus hisce (siqvidem separatim eas considerare libet) consistere videtur potestatibus, juste nimirum acqvirendi res, ac utendi iisdem sibive aut suo usui attinendi easdem. Unde adeò pronô fluentô fluit, potestatem hanc aliqvam acqvirendi, etiam tanqvam diversum qvid juris esse in ipso universali dominio à cætera ejus parte; & conseqventer, qvia, ut ante monebatur, etiam â dominio juribusqve aliis privatim cuiqve constitutis differt, diversæ conditionis ac naturæ esse ab omnibus cæteris, hominibus in res competentibus juribus facultatibusve legitimis. Qvæ res menti Ulpiani nostri videtur obviasse (b), qvando *totum jus* (intellexit sine dubio vel potestates ipsas justas, seu jus qvatenus hasce concedit) ait *consistere aut in acqvirendo, aut in conservando aut in minuendo, aut enim hoc agi, qvemadmodum qvid cujusq; fiat, aut qvemadmodum qvis rem vel jus suum conservet, aut qvomodo alienet, aut amittat.* Nimirum diserte hic ut jus aliqvod distinctum, agnoscit illud, qvod acqvirendi est, ab eô qvod de cætero dominii, peculiariter constituti est, & in qvo cardinem dominii, paulò ante demonstratum est, versari,

(a) *cap. 4. num. 13. & seqq.*

(b) *l. fin. de ll.*

ſari, nempe ab poteſtate ſervandi ſibi rei, conjunctâ cum arbitrio eandem etiam alienandi ſeu dimittendi à ſeſe.

II. Et ſanè hæc rerum, dominii, jurium poteſtatumve acqvirendi poteſtas, ſi qva alia, multam in vita, imò per omnem imprimis jurisprudentiam diffuſam habet tractationem, veluti ubi diſcutitur, an ulli hominum facultas ſit acqvirendi res divini juris (a), res alterius invitô dominô, res qvascunqve alias vetante lege publicâ? an pupillaris ætas ſibi ab aliis vel in alios poſſit acqvirere res, obligationes actionesve (b)? Qvisnam habeat teſtamenti-factionem (c) paſſivam qvam vocant, h. e. poteſtatem acqvirendi ex teſtamentô? qvousqve poſſit qvalemve habeat poteſtatem acqvirendi patriæ poteſtatis qvilibet extraneus in dato ſibi in adoptionem, qvalem hanc habeat aliqvis ex aſcendentibus (d) per ſangvinem in linea generationis? qvomodo poſſit ad dominium pignoris pervenire creditor (e)? Summâ, ubicunqve de conſtitutione cujuscunqve juris cuilibet facienda agitur, ibi ſub disqviſitionis incude verſatur poteſtas hæc hominum, qvibus iſtud jus conſtituendum eſt; etſi ſtylus tractationis ad varia circumſtantiarum, rerum, perſonarum ſubjiciendarum, modorum ac ſimilium ſæpius ita ſit converſus, ut ipſa hæc poteſtas qvaſi tacitè videatur transmitti, veluti ubi qværitur; an res divini juris, an liber homo poſſit cuiqvam acqviri? qvibus modis patria poteſtas obligatio aut qvælibet actio conſtituatur? qvibus modis dominium rerum acqviratur? qvæ ſtylô retrorſum ad perſonam, cui hæc talia conſtituenda veniunt, verſô, idem qvæſita dictaqve ſunt, atqve hæc: qvæ qvomodo cuiqve huic aut illi poteſtas ſit aut non ſit, dominium in rem ſacram aut profanam, liberum hominem; qvæ actionem; qvæ patriam poteſtatem & reliqva ejusmodi acqvirere?

(a) l. 1. d. R. D.
(b) t. de auct. tut. (c) §. 4. I. d. hered. qval. & differ. §. 24 de legat. (d) l. pen. C. de adopt. § 2. I. eod.
(e) l. 3. C. d. jure dō. impetr.

III. Notabile a. videtur imprimis eſſe, qvomodo ipſa hæc acqvirendi poteſtas modò latioris latiſſimiq; & ſubjecti & libertatis eſt; modò verò etiam ſtrictioris ſtricti atq; ſtrictiſſimi ſubjecti libertatisqve evadat: per ſubjectum, intellectum velim hominem cui ipſa competit; per libertatem, qvæcunqve per circumſtantias reliqvas ejusdem liberi decurſus competentia eſt vel non eſt. Ita latiſſimi ſubjecti libertatisq; eſt, illa, qvæ omnium hominum mul-

tùm arbitraria eſt, poteſtas occupandi ſibi res qvæ naturâ nullius propriæ ſunt, nec etiam legis publicæ fortè interdictum habent (a) poteſtas utroqve reſpectu ſic ſatis lata eſt, qvæ fortè omnium, qvi in aliqva civitate cives ſunt ac eſſe volunt, aut etiam qvi laici ſunt, eſt, mercandi per fora publica, acqvirendi ſibi bona qvævis, qvæ in commercio ſunt per civitatem, immobilia; etſi fortè peregrinis, aut etiam clericis eadem lege eſt adempta. Multùm reſtricti ſubjecti eſt poteſtas acqvirendi hæreditates has illas hominum illorum horum defunctorum; qvando fortè unis liberis, cognatis, agnatis, aliisve ſolummodò propinqvis, imò unis aut uno in teſtamento fortè hæredi ſcripto iſthæc competit, excluſis reliqvis civibus omnibus: eadem & ipſis qvi eam habent, multum adhuc qvoqve reſtrictæ poteſt libertatis eſſe, qvoad circumſtantias objectę rei, modi eandem in actum deducendi, ac ſimiles, qvatenus fortè plurimùm oneris v. c. exſolvendi æris alieni defuncti, præſtandorum legatorum aliorumqve ſimilium, ſimul ſubire habet (b); qvatenus intra certum tempus cernere ac adire, qvi poteſtatem hanc jure obtinet, tenetur; de cætero amiſſurus hoc ipſum jus ſuum (c), ſiqvidem legum præſcripta negligat in hiſce aliisqve. dignum fortè obſervatu hic eſt, juxta hanc ex jure propinqvitatis aut etiam teſtamentariæ diſpoſitionis potiſſimum ortam acqvirendæ hæreditatum poteſtatem, aliam ejuſdem generis, ex qvalitatibus autem perſonæ acqviſituræ aliis à JCtis notari, qvam teſtamenti factionem, ut ante notabatur, illi dicunt (d). cujus reqviſitum generale eſt, ne perſona ſit lege declarata incapax hæreditatum aliorumqve in teſtamentis relictorum, veluti ſi deportata, ſive in metallum damnata ſit, ſive alia commiſit qvæ per leges indignam eam faciant, hujusmodi beneficiorum (e). Alia ſtrictæ conditionis eſt poteſtas creditoris dominium pignoris ſibi acqvirendi (f) alia qvoad perſonas hâc laxior, poteſtas acqvirendi per modum uſucapionis, qvæ tamen, qvoad reliqva plurimæ ex legibus ſtrictæ eſt obſervantiæ, nempe, ut eadem aliqva certæ conditionis res, tanto vel tanto tempore, continenter poſſideatur, ut titulo juſto bonaqve fide res ſit accepta, & reliqva (g). mitto qvæ poſſent innumera hujus generis cum multa varietate porrò hic adduci exempla.

(a) per l. 1. & t.t. de acqvir. rer. dom. & l. 1. d. R. D.
(b) l. 8. de acq. hered. l. 88. de hered. inſtit. l. 19. de R. J.
(c) l. ult. & t.t. C. de jur. delib. l. 1. & t.t. de ſucceſſ. edict.
(d) §. 4 I. de hered. qval. §. 24. de legat. l. 16. qvi teſtam. fac. poſſ.
(e) l. 3. de his qvæ pro nõ ſcript. l. 1. & t.t. d. his qvæ ut indignis auferuntur.
(f) l. 3. C. de jure dom.
(g) t.t. d. uſucap.

IV. Ex hisce autem porrò circa potestatem hanc hominum res juraqve sibi acqvirendi, notabiliter hoc observare est, qvâ nimirum ratione illi accidat, ad multam similitudinem qvandoqve descendere dominii specialius dicti, aliorumqve in rebus particularium jurium; ubi nempe & ipsa sæpius multum particulare jus evadit, qvoad certas res certis personis competens. e.c. potestas per territorium principis alicujus capiendi feras soli forte principi, aut qvibus id indultum specialiter est. potestas comprehendendi hereditatem, solis, qvi forte extant defuncti, liberis. Item, qvoad jura acqvirenda alia, potestas magistratus obtinendi, præ aliis, per id qvod in numero oligarchicorum qvis sit; potestas participandi communium redituum, (ubi fortè qvosdam redire continget) per id qvod in numero civium aut alius societatis sociorum aliqvis existat. Et nescio, annon porrò admittendum sit, sicut potestas hæc, dominii aliorumq; jurium effectrix est, eandem & ipsi dominio ita inante complexari, ut eidem qvoqve & succedanea sit & ancilletur; qvatenus nempe, facultas dominica, qvæ utendi rerum est, sæpius per conqvisitionem plurium particularium corporum expedienda venit, qvæ ante qvam particulatim occupata actuqve percepta erant, vix pro acqvisitis huic alicui propriis rebus habebantur. veluti pisces qvi in stagno sunt, aut feræ, qvæ in silvis laxius circumseptis, vagantur (a): fructus pendentes per agrum in qvo alicui ususfructus est constitutus (b): thesaurus in agro alicujus absconditus (c): res qvælibet ex reditu communitatis, qvatenus singulis applicandæ. atqve ita forte potestas perseqvendi sibi debiti, qvatenus rei perseqvuteria est, hac ipsa acqvisitoriæ potestatis naturâ perfusa existit.

(a) per l. 3. §. 14. de acqvir. poss. (b) per §. is verò 37. J. d. R. D. (c) per §. 40. eod.

V. Possent circa universum hujus potestatis acqvirendi genus plures adhuc adnotari aliæ, tum affectiones communes, tum universaliores specierum differentiæ. Illæ; qvatenus isthæc sit de genere facultatum, earundemqve legitimarum, liberarum, in qvid rei: hoc habens præ cæteris hujusmodi omnibus, qvod non rerum tantum ac circa res subsistentes occupata; sed & jus jurium seu potestas potestatum (intellige cuilibet constituendarum) sit. Hæ; qvatenus illa partim sit juris ac rei corporeæ simul, veluti qvæ

dominii rerum acqvirendi est; partim jurium tantum, ususfru- scil. servitutis actionis ac similium. Deinde qvatenus partim singulis cum periculo præventionis est conjuncta, partim non: ut illo casu, qvô v. c. est acqvirendi rerum qvæ sunt nullius sive natura sive facto ac derelictione hominum, regulâ pervalente, qvod talia cedant primo occupanti; est obtinendi res venum habitas, obtinente penè regulâ, tales cedere primo licitanti aut mercanti, si pergit absolvere propositum; est facultas exigendi debitum ab debitore obærato nimis; (a) sunt aliæ. Verum econtra citra ejusmodi justæ præventionis metum est potestas filii succedendi in bonis defuncti parentis; usufructuarii percipiendi ex fundo fructuario fructus; actio debitoris qvi pignore potior est, & similes. Porrò considerari hæc qvoqve posset, qvatenus sit ab divina humanave auctoritate dependens, vel etiam ab hac dependens minus, qvatenus vel cum strictiori officio sit conjuncta, vel qvatenus liberioris sit arbitrii, & si qvæ essent hujusmodi reliqva. Verum qvia omnia hæc cum omni suo circuitu displanare, protensam nunc palmam nimium dilatare foret, imò à tramite receptæ per jurisprudentiam methodi paulò laxius digredi, pars etiam maxima per superius concepta suam facile sortitur collustrationem; nunc qvidem hæc non moror. id in seqventibus sub hoc capite acturus, qvod huc facultatis describendæ intentis Jurisconsultis nostris usu freqvens est; dum nempe in specie, qvâ dominii rerum acqvirendi est, eam descripturi, rerum propositâ distinctione, cum ostensione, qvænam earum à privatis qvibuslibet hominum propriæ acqviri vel non acqviri possint, modos seu actus, qvibus in exeqvutionem potestas hæc perducitur, seu qvibus, (ut ipsi loqvuntur,) res nobis acqviruntur, in disqvisitionem ordine vocant.

(a) per l.6.§.6 & seq. l.10 §. 16 l.24. in fin. qvæ in fraud. cred.

VI. Res, pro discernendis earum qvalitatibus, per qvas qvibus, qvomodò acqviri possint vel non possint, observant illi, alias esse, qvæ in commercium, inve patrimonium, qvod appellant hominum cadant, eòqve acqviri possint; alias, qvæ in id non cadant, nec acqviri possint. Et hasce qvidem res extra patrimonium & commercium itemqve nullius, partem etiam divini juris (b), appellant, intendentes per dicta hæc exprimere potentiam, seu

(b) pr. & §.7. de R.D. l.1.ff. eod. l.34. §.1. de contrah. empt.

eam

tius dicam, impotentiam seu ineptitudinem rerum, in dominium potestatemqve hominum arbitrariam transeundi. describunt autem eas hujus conditionis intuitu porrò ita, qvod sint scil. *qvas natura vel gentium jus vel mores civitatis commercio exemerunt* (a). *qvæ subjicii usibus dominioq; nostro non possunt* (b) remqve regulâ tentant includere (c) hac: *Qvod nullius esse potest, id ut alicujus fieret nulla obligatio valet efficere.* referri autem in specie ab iis huc videas, ex capite impotentiæ per naturam, res qvæ prorsus in rerum natura non sunt, aut esse non possunt, veluti hyppocentaurum, aut hominem qvi mortuus est, ædes combustas, factum qvodlibet naturâ impossibile (d). Ex jure autem moribusqve civitatum, *qvæ, qvia divini juris sunt, nullius in bonis esse* dicuntur, *res sacræ, religiosæ, sanctæ, veluti ædes sacræ, donaria ritè ad ministerium Dei dedicata*; sepulchra & monumenta defunctorum, muri qvodammodo & portæ civitatis (e): Qvæ, qvia communia humano generi data, qvia publica, qvia universitatis sunt, nemo sibi propria vindicare potest, præterqvam ad usum fortè partialem qvendam licitum, qvo in numero sunt aër, aqva profluens, mare, & per hoc littora maris, flumina, portus, campus Martius, theatra, stadia, & his similia (f); qvæ omnia Vitruvio in Religionis, Defensionis & opportunitatis res, commodè ut videtur distingvuntur (g): adhuc alia qvædam, ut liber homo, corpora ipsa defunctorum (h) &c. Circa qvæ autem in universum imprimis verò illa, qvæ publica & universitatum dicuntur, apprimè notandum; ea non simpliciter res humano commercio exemptas dici posse, sed secundum qvid, qvatenus nimirum dominio singulorum privato non temere subjiciuntur; ideò qvod communi & publico libero usui, aut etiam dispositioni sint relinqvenda; licet interim ob ipsam hanc publicam dispositionem, usumqve universitatis populiqve, in ipso universitatis ac populi patrimonio ejusve sub dominatione sint constituta (i), unde & hactenus rebus humani juris computantur (k). Atqve hujus census etiam fortassis existimes *sanctas*, nec eximas *religiosas*, qvod sanè & illæ, si non propriè in patrimonio, qvod dicitur, hoc est, eâ conditione, populi, ut fructus aut pecunias respub. inde redigere possit, dispositioni tamen omni civitatis non exemptæ sint penitùs: & harum non videas

(a) d. l. 34. §. 1. (b) per l. 83. §. 5. de V. O. (c) l. 182. de R. J. (d) §. 1. I. d. inutil. stip. l. 1. §. 9. de O. & A. l. 35. pr. de V. O. (e) §. 78. & seqq. I. l. 1. ff. de R. D.

(f) §. 1. & seqq. de R. D. sub tit. de A. poss. l. 6. pr. l. 34. §. 5. de contrah. empt. (g) 1. lib. 3. Inst. (h) §. 2. I. de inut. stip. l. 38. de relig. & sumpt. fun. l. 6. C. de sepulc. viol. (i) l. 1. de R. D.

deas qvid impediat, qvin usus etiam, per speciem commercii aut contractus in alios possit transferri, donec cadaver defuncti intactum modò sit. sanè cum tali cautione vendere ac aliis cedere sepulchra sua jusqve sæpeliendi in iis, forsan nihil habet absoni. Imò & de sacris simile qvodammodo videtur faciendum esse judicium; qvandoqvidem si non vagâ & promiscuâ libertate, qvod semel Deo dicatum est, ad profanos usus debet retrahi, saltem extra dubium, videtur positum, qvin necessitas publica, & humanitatis ratio, reipub. etiam liberiorem dispositionem qvandam in has possit concedere (*a*). Minus autem invenire temerè licebit in iis, qvæ præcipuè juris humani vigore commerciô statuuntur exempta, qvin aliqvô saltem modô in humano commercio adhuc persistant: ut adeò nec deprehendas hic temerè dispositionem qvandam positivam, qvæ non suô qvôdam modô particularis sit, jam plus jam minus exemptionis continens. qvin ipsas hasce leges etiam ad id videmus particularis exemptionis progredi, uti res communi commercio alias relictas qvandoqve certorum tantum hominum commercio excutiant; & vicissim, qvasdam etiam ad certorum mercimonium, adstringant (*b*); Atqve istæ qvidem, res commercio eximentes regulæ, hujusmodi in re sortiuntur limitationes. Videlicet, qvando rem jure extra commercium, extra patrimonium, nullius, divini juris &c. audimus statui; id ferê non omnimodè ac simpliciter esse intelligendum, sed secundùm qvid; eas nempè singulis hominum esse tales, ut privatim ii regulari commercii modo easdem acqvirendi potestatem non habeant.

VII. In commercio res, & qvæ potestati acqvirendi hominum etiam singulorum communiter obnoxiæ sunt, ferè describuntur à JCtis, esse *omnes eas qvas qvis habere vel possidere vel perseqvi potest* (*c*). *qvæ subjici usibus dominioq; nostro possunt* (*d*). aliàs qvoqve, *res in patrimonio, pecuniæ &c.* latissimo significatu iisdem dictæ. nimirum *pecuniæ significatio ad ea refertur qvæ in patrimonio sunt* (*e*). *Pecuniæ* autem *nomine non solum numerata pecunia; sed omnes res, tam soli qvam mobiles: & tam corpora qvàm jura continentur* (*f*). similis descriptio etiam ab ipsis *rei* fit, patrimoniali hoc sensu acceptæ (*g*). Operæ pretium nunc non existimem, ad alias subordinatas rerum divi-

(*a*) vid. l. 21. & auth. præterea C. de SS. Eccles.

(*b*) l. 34. in fin. l. 114. §. 5. l. 40 de leg. l. 1 3. 4. C. qvæ res venir. non poss. l. 2. & 3. C. qvæ res export. nõ deb. &c.

(*c*) l. 34. §. 1. de cõtrah. empt.

(*d*) l. 83. §. 5. d. V. O.

(*e*) per l. 5. de V. S.

(*f*) l. 222. add. 178 d. V. S.

(*g*) l. 4 6. 23. 72. d. V. S. l. 1. de R. D. t. l. d. reb. cor. & incorp.

divisiones hic nunc descendere, qvibus v. g. res patrimonialis consideratur ut mobilis & immobilis, ut, principale & accessio, ut totum & pars, ut materia, ut rustica, vel urbana &c. Unam solummodo hanc, alicujus paulò accuratioris attentionis hic duxerim, qvá adeò seriò à nostris in corporales & incorporales, in corpora & jura res commerciales dispescuntur (*a*). Et de rebus qvidem corporalibus qvæ sunt, nempè, *qvæ sui natura tangi possunt*; *veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, & deniq; aliæ res innumerabiles* (*b*); & qvod hæ acqvisitioni dominioqve suscipiendo aptæ propriè sint, res liqvidissima est. De juribus autem seu rebus incorporalibus, qvæ hic sint, & qvatenus res acqvisitionis sint: id est, qvod qvandam limatiorem hic videtur mereri advertentiam. Describuntur a. nobis illæ ferè, qvod sint, *qvæ tangi non possunt; sed intelligi; qvæve in jure consistunt* (*c*); qvæ *sunt ipsum jus tale vel tale &c.* qvod qvidē eo redit, qvod nihil aliud sint hæ res incorporales, qvā omnis generis in qvid rerum jura facultatesve legitimæ, verbo, *potestates*; utut sub variis verborum putaminibus ab auctoribus illæ aliàs sæpius proponantur; appellatæ modò à re qvę subjacet, fructus modò ab opposita qvalitate, servitutes, modò ab ipso exercitio aut exercente actu actio, aliisqve aliter. scilicet ita inter res incorporales juraqve qvæ appellantur, disertè refertur *ususfructus*, *usus*, *servitutes rusticorum & urbanorum prædiorum, obligationes* (*d*). si autem qværas qvid rerum hæc sunt? definiri videas *usumfructum* jus esse alienis rebus utendi fruendi, eidemqve contingere, uti pars plenæ in re *potestatis* sit (*e*). similiter *usus* itemqve habitatio, *jus* utendi, habitandi describuntur (*f*) ut & *servitutes*, reales omnis generis, *iter* sc. *jus* eundi ambulandi; *actus jus* agendi jumentum, *via, jus* agendi vehiculum, *aqvæ ductus jus* aqvæ dicendæ; dicitur & *jus pascendi, calcis coqvendæ, arenæ fodiendæ* (*g*); qvæ vel omnia etiam in genere *jura prædiorum* urbanorum & rusticorum dicuntur vulgatissimè (*h*). *obligatio* qvoq; per *jus* obligationis allegatis locis declaratur; & fortè idem per eam intenditur exprimi, qvod alibi, post similē propositā distinctionem rerū corporaliū & incorporaliū, *actio* qvoq; dicitur (*i*); qvæ & ipsa, per *jus* definitur (*k*). cæterum eadem jura, eædem hæ res incorporales, qvod in patrimonio, in commercio, rebus bo-

(*a*) *d. textib.* (*b*) *d.l.1. de R. D.d.§.un.I.d. reb.corpor.*

(*c*) *ibid.Cic.in Topic.*

(*d*) *d.l.1.de R. J.& d.tit.I.d. reb.corp.cum tit.seqq.* (*e*) *pr.& §.fin.de usufr.* (*f*) *tit. I.& ff. de usu & habit.* (*g*) *t.d.serv.rust. & urb.præd.* (*h*) *d.l.1.in ff. deR.D.d.t.de reb.corpo.& incorp.in fin.* (*i*) *§.21.de legat.* (*k*) *per pr.I.de actiō.*

nisqve nostris adnumerentur, per multa juris nostri loca manifestissimum est (a). apparere igitur putem, qvod proponebatur, nempè qvicqvid rei incorporalis aut jurium nomine, corporibus aut rei corporali contra-distinctum, rebus patrimonialibus, aut iis, qvæ in commercio hominum sunt, bonis computatur, id facultatum legitimarum esse. Ubi saltem obiter cautionis loco denuò notari velim; sub nomine obligationis, servitutum, ac aliis, eadem hæc jura, usu jurisprudentiæ nostræ inferri, & bonis rebusqve in patrimonio accenseri (b).

VIII. Et esse qvidem potestates hasce legitimas in rebus commercii existentes, easdem, qvæ possunt etiam acqviri; & esse hominum harum ipsarum acqvirendarum potestatem, porrò tot locis demonstratur, qvot referuntur rationes, ac modi constituendi acqvirendive libertatem, tutelã, jus possessionis, servitutes reales, seu jura prædiorum, & personales, veluti usumfructum, usum, actionem, successionem hæreditariam & deniqve dominium ipsum; hoc est per jurisprudentiam totam. Et fortassis conjiceret aliqvis, qvicqvid rerum primò ac immediatè legitimam hominum acqvisitionem incurrit, id non tam rem corporalem proximè, qvàm potestatem ipsam in rem esse. manifesta res est & tralatitia in iis potestatibus, qvæ nomine actionis, servitutum, possesionis, hypothecæ ac simili, nobis continentur, cum nemo judicabit, nos propriè acqvisivisse res, in qvibus jura servitutum, possesionis, hypothecæ &c. habemus; qvarum rerum perseqvendarum actionem habemus, & qvatenus hanc habeamus. qvin proprietati in re hæc jura potius consvevere opponi & ab inde distingvi, aut si hæc aliàs subest cum ea confundi, & qvasi ab ea absorberi (c). De dominio ipso id videtur confirmare usus JCtorum, qvi, etsi non abhorrent qvidem à dictione, de acqvisitione rerum, utiqve qvando qvasi caput rei proponendum est, *de acqvirendo dominio*, id ipsum formant (d), nec verò res aliqva nostra aut nobis tanqvam propria acqvisita intelligetur, nisi & dominium istius rei acqvisitum fuerit, nosqve domini ejus simus facti. qvod ipsum de dominii primaria, præ re, acqvisitione & obtentione, vel separatio ipsa aliarum ab eo in re facultatum, vel dominii etiam à rei contactu multum sæpè separata exi-

(a) l. 222. 23. l. 4. 6. 91. 15. 49. 143. de V. S. l. 21. de R. J. l. 15 C. de seintent. pas. l. 37. & ul. de usuf. leg. l. 15. §. 8. de re jud. l. 4. qvæ res pign. obl. possit. de hered. vel act. vẽd. & passim.

(b) per l. 28. 181. d. V. S. l. 14 §. fin. & ll. seqq. ad Trebell.

(c) l. 25. d. V S. §. 1. I. de usuf. §. 1. de servit. l. 5. pr. si usufr. pet. l. 26. 38. 39 de serv. urb. l. 89. de pign. act. l. 45. de R. J.

(d) t. 1. lib. 2. I. t. 1. lib. 41. ff.

existentia arguit, dum e. c. possessione, usu, alicujus rei penes alios multoties jure injuriâve, existente, ipsum interim proprietatis dominium penes alium sit. & fortassis ita, ut de usu ipsius rei aut ejus utili contrectandi facultate parum habeat ipse dominus qvod gloriari possit; ut tamen dominium se tenere firmiter adserere valeat. Sed missis his videndum de modis, qvibus has in commercio res, corpora & jura acqvirẽdi potestas est, de qvibus fortè universalius esset hic agendum. Ubi qvidem etiam generaliter videri possit dicendum esse: modos, qvibus potestas acqvirendi sese ad talium omnium in rebus jurium potestatumqve privatim hominibus faciendam constitutionem exserit, à parte acqvirentium in aliqva facti ratione consistere. qvando hoc, tum ipsa vox acqvirendi, qvæ factum dicit, innuit, tum ex natura omnis potentiæ, eoqve & hujus acqvirendi legitimæ est, per actum procedere in effectũ, sive operantem sive recipientem. possent & alia, ut generaliora ad hæc commemorari. Verum qvia non de universo potestatum genere nunc propositum est agere; sed de illius solummodo potestatis, qvæ in specie dominium rerũ est, & juxta hoc in rebus ipsis proprietatis constituendi & eas huic subjiciendi modis, missis cæteris, huc modò vertenda intentio est.

IX. Universalis qvidam dominii in re (corporea) acqvirendi modus actusqve, naturâ huc primò destinatus videtur esse ipsa aliqva rei corporalis *apprehensio*. id qvod advertit, *qvando dominium rerum ex naturali possessione cœpisse* asseruit, Nerva filius (*a*). *ejusq; rei vestigium remanere de his, qvæ terrâ mari cœloq; capiuntur; dum hæc protinus eorum fiant, qvi primi possessionem eorum apprehenderint*, & qvæ seqvuntur. *possessio* autem rei, qvatenus actus est *sedis pedisve* ponendi, reiqve insistendi tenendiqve initium exprimens, utiqve idem qvod rei *apprehensio* aut aliqvid apprehensivum est; voce apprehensionis etiam ipsâ, hoc in casu, legibus haud incognitâ (*b*). res per exempla subseqventium patebit pluribus. Tota autem res totumqve hoc genus ad duplicem primò videtur diverti figuram; unam, qvâ se exerit per modum extensionis, & qvasi per medium rei ante nostræ, protensæ comprehensionis; alteram, qvâ qvasi de manu seu corpore nostro in actum prosilit: priorem, qvia median-

(*a*) *l.1. §.1. de acqvir. poss.*

(*b*) *l.1. §.21. l.23. de acqvir. poss.*

te accesſione rei ad rem noſtram fit, modum acqvirendi dominii; (forſan rectius ab hoc reſpectu modum ſubcedendi dominii) per *acceſſionem* vocant; poſteriorem per *occupationem*; nec fortasſis male, hoc modo duo qvaſi ſimplicia genera conſtituendi dominii rerum faciunt, *acceſſionem & occupationem*.

X. *Acceſſioni* in univerſum nata ferè hæc regula eſt: *Acceſſorium naturam ſeqvi congruit principalis* (*a*). qvæ regula in noſtro caſu, hoc videtur dicere: qvæcunqve res acceſſorii nomine, rei noſtræ in fructum aut partem cedunt, eas vi accesſionis dominium noſtrum ſubire, à nobis item acqviſitas, & qvaſi comprehenſas cenſeri. Ubi qvidem primò de iis qvæ *ut fructus* accedunt rebus etiam privatorum, extra ambiguitatem eſt, cedere eas qvoqve dominio eorundem, ſive immobili rei illi accedant, ut plantæ, fruges mineræ aliaqve (niſi fortè ſuperioritas ſibi ſui qvalis dominici juris causâ qvædam reſervavit) idqve jure ſoli qvod appellant (*b*); ſive mobili, veluti qvæ ex animalibus enaſcuntur noſtris (*c*), puta fœmellis, ubi diverſi dominii maſculus eſt (*d*); extenſa etiam re ad partum ancillarum (*e*). De concurſu domini, &, qvi in lucro & acqviſitione fructuum veritatem dominii imitatur, bonæ fidei poſſeſſoris, diſputationem (*f*). lubens prætereo. Neqve etiam adſertum volo, hominum diſpoſitione hæc ſeparari non poſſe ad tempus aut ad partem: prout poſſe manifeſtum eſt ſeparatione uſusfructus à proprietate, qvæ totâ praxi probatur. Obſervandum autem exiſtimem, qvod de fructuum accesſione jus eſt, ad fructus qvoqve civiles, & ea qvæ vicem fructuum dicuntur obtinere, re[illegible] jure, ſive dominii ſive aliô, ad nos pertinentium, extenſionem admittere: veluti ad uſuras (*g*); mercedes & penſiones locatorum prædiorum, ſervorum, jumentorum (*h*); hereditates & legata ſervis noſtris acqviſita (*i*). Deniqve qvicqvid facultatum ſub nomine cauſæ JCtis venit deſcriptum (*k*), rei dominio vel qvaſi ſubjectæ in vicem fructuum videri poteſt accedere. Et notare licet, regulam hic etiam ad contrarium oneris rei adnexi abire (*l*): & ſummâ qvidem ex ratione æqvitatis, commoda & incommoda parem in greſſum collocare (*m*).

XI. De iis, qvæ in partem rei noſtræ (alteri) cedunt, & ferè

pro

(*a*) cap. 42. de R.I. in 6. (*b*) §. 36. I. de acqv. rer. dom. l. 48 ff. eod. l. 25. de uſur. (*c*) §. 19. de rer. diviſ. (*d*) l. 5. §. 2. de R.D. (*e*) §. 4. de jur. perſon. (*f*) agitatam in d. §. 36. & ſeq. d. l. 18. d. l. 25. &c. (*g*) per l. 34. de uſur. add. l. 40. §. 1. de minorib. (*h*) l. 62. de R. V. l. 29. 27. de pet. hered. l. 36 55. de condict. indeb. (*i*) l. 20. de R.D. l. 9. §. 7. ad exh. (*k*) l. 35. 75. 30. de V.S. l. 20. 35. §. 1. de R.V. (*l*) per l. 20. de A. R. D. tit. C. ſi ne cenſu vel reliq. (*m*) l. 10. de R.I. c. 55. 77 de R.I. in 6. l. un. §. 4. C. de caduc. toll.

pro fundamento accessionis, concretionem aut constipationem habent, attentionem meretur, qvid principalis qvid accessorii nomine propriè veniat. Ubi primum observare est, regulariter JCtis non attendi, pondus æstimationis utriusqve partis; qvin judicent, etiam pretiosius minus pretioso, qvo ad dominium alterius subeundum, oportere qvandoqve in accessionem cedere; veluti purpuram attextam. vestimento, gemmam inclusam, auro (a); attendi autem iisdem, [utut reperias qvi usui ac consvetudini hominum indulgentiores in hac re sunt (b);] id qvod vel specie superat, vel ex intentione componentis, vel tandem etiam per ipsam rei subjectivam conditionem *subjecti* vicem sustinet: & viciſſim qvod alteri ut tali subjecto, ornandi sive integrandi, aut etiam sustentandi, & fovendi caussa attexitur, infigitur, afferruminatur, conjungitur, adjicitur, accrescit &c. qvodve illi contextum concretum consolidatum ut tali subjecto est (c). & illi conditionem principalis, huic accessorii tribui, eoqve secundum illos hujusmodi res, rerum illiusmodi dominio cedere ac in id concedere; sive natura adstipationem illam qvasi solum fecerit, prout accidit per alluvionem (d); per adjectionem particulæ agri, factam à fluvio si ea per radices arborum, aut aliàs etiam alterius agro coaluerit (e); per productionem Insulæ super solum alvei fluvialis (f); in ipsa derelictione alvei agris vicinorum adhærentis facta à flumine (g). sive factum hominis præterea intercedat, puta ubi qvid implantatum radices egerit (h); satumve sit (i); ubi inscriptum (k), adferruminatum (l), contextum (m), inædificatum, astructumve sit (n). qvibus omnibus in casibus, hæc à peritis arguuntur illis cedere, qvibus inædificata, attexta, adferruminata, inscripta, insita, implantata sunt; qvibus agris vel immediatè vel per alveum cohærent (o). Singulare est ex civili dispositione in pictura, qvod huic tabula qvà dominium debet cedere (p). Quæ in reliqvis particularia hic observatu occurrunt, fontes inspicienti facile possunt aperire.

(a) §. 27. d. R. D. l. 19 §. 13. in fin. de Aur. & Arg. leg. (b) l. 29. §. 1. d aur. & arg. legat. (c) per dict. leg. 19. §. 13. & seqq & l. 20. d. aur. & arg. legat. l. 29. §. 5 d. R V. & pas. (d) §. 20. I. de acqv. R. D. l. 7 §. 1. & 2. ff. eod (e) §. 21. I. d. t. (f) §. 22. d. t. l. 30. 56. 61. § 1 ff eod. (g) §. 23. I. eod. l. 7. §. 5. ff. eod. (h) §. 32. d. R. D. l. 7. in fin l. 26. §. pen. ff eod. l. 5 §. 3. d. R. V. (i) §. 33. d. tit. l. 9. 25. §. 1. eod. (k) §. 34. d. t. l. 9. §. 1. ff. eod.

(l) l. 33. § 5. de R. V. add. l. 19. §. 13. de aur. & arg. leg. (m) §. 27. de R D. l. 19. in f. de aur. & arg. leg. (n) § 30. & seqq. I. d. t. l. 7. §. 11. l. 28. l. 60. de A. R. D. l. 59. l. 23. §. 6. de R. V. l. 18. de act. empti. l. ult. de superfic. (o) per dict. text. (p) §. 36. I. de R. D.

XII. Peculiaris aliqva ac qvaſi media inter acceſſionem atqve occupationem videtur acqvirendi ratio eſſe *ſpecificatio*, qvæ dicitur, imò fortè qvaſi tertia aliqva ab utraqve differens; niſi ob id, qvod materia hic formæ accedat, acceſſionem; qvodqve per hanc illa & qvidem ſpecificatori qvaſi occupetur, occupationem eam velis dicere, adeoqve per hæc mediam mixtamqve qvodammodo naturam ex his ei tribuere. Potiùs autem videtur, ut dixi, peculiare genus acqviſitionis hìc dari: qvando is qvi ex qvâvis materia, non habito reſpectu, ſuane illa ſit an aliena, novam rerum ſpeciem confecit, talem qvidem, qvæ ad priorem & rudem materiam operâ humanâ redigi neqveat, ejusdem rei aut ſpeciei noviter à ſeſe confectæ Dominus evadit, idqve naturali ratione ut judicant & declarant noſtri naturalis juſtitiæ ſeduli indagatores; de cætero qvidem, ut tamen qvisqve æqvum, ab iniqvo qvovis rei ſuæ occupatore aliunde obtineat, circumſtantiis, propriâne an ex alienâ materiâ, volentibusne an invitis materiarum dominis, altero vel utroqve &c. ſpecies nova confecta ſit, diligenter attendi oportere, autumantes (a): Inde & confuſionem ac cõmixtionem, tanqvam qvæ ſimile qvid ſpecificationi habent diſcutientes (b). Sanè modus acqvirendi per ſpecificationem, ni fallor, ſimulacrum in Natura eſt poſitum, creationis divinæ, & per eam dominii in re creata conſtitutionis; utut illa eò altiori gradu incedat, qvod ex nihilo eoqve ex nulla alterius materia res omnes in ſpeciem conſtituit, eoqve magis abſolutè addicta reddere potuit huic divino ſpecificatori ſpecificata omnia. Fundamentum, exiſtimo, in cæteris etiam unum non minimum hoc eſt perfectisſimi abſolutiſſimiqve dominii Dei in creaturas. Id qvod toties ſacræ literæ inculcant homines ad obſeqvium Dei creatoris provocantes. Condonetur ſi qvandoq; juſtitias humanarum rerum ex divinis ſciſſere procliviores ſimus.

XIII. De *occupatione*, qvæ qvaſi per manum ſeſe in actum exſerens rerum comprehenſio eſt, ante omnia notare eſt: eam per rerum acqvirendarum conditionem modò nudam ac ſimplicem dominia rerum occupantibus adjungere, modò aliorum hominum actus, itemqve cum auctoritate diſpoſitiones præreqvirere. Namqve res qvæ occupari & acqviri hominibus poteſt, aut omni domi-

(a) §. 25. ac ſeqq. l. de A. R. D. l. 7. §. 7. l. 24. 25. l. 12. §. 1. d. A. R. D. l. 78 §. 4. de legat. 3. l. 38. §. 4. de legat. 1. l. 5. §. 1. l. 23. §. 23 d. R. V. &c. (b) §. 28. & ſeq. t. d. A. R. D. l. 27. § f. ff. cod. l. 3. §. 2. l. 5. pr. §. 1. l. 4. l. 23. §. fin. d. R. V. &c.

dominio vacua est, hoc est nullius alterius proprio dominatui vel unqvam subjecta fuit, vel nunc modo non est subjecta; dicta inde res nullius. Aut etiam dominio seu potestati dominanti alicujus modò nunc succumbit. Ille casus, qvia vel convenientissimum naturæ apparet, ut sola præoccupatione hominibus, modo animo sibi habendi comprehendant, res eorum meræ facultati expositæ acqvirantur, regulam nactus est facile: *Qvod nullius est naturali ratione occupanti conceditur:* (a) & hanc qvidem universalissimam, modò qvalitas illa *nullius* rectè discernatur, & suæ ἀκμῇ permittatur. Per genera autem si qvis *occupationem rerum nullius* distribuere velit, in *capturam, inventionem, & occupationem derelicti* forsan distribuet: illam appellans animalium, istam rerum aliarum corporearum, hanc earum qvas dicit. Nimirum ita *feræ bestiæ & volucres & pisces & omnia animalia, qvæ mari, cælo, & terra, nascuntur, simulatqve ab aliqvo capta fuerunt, jure gentium statim illius esse incipiunt* (b); ita vacuis inventis & occupatis ab hominibus, orbis terrarum partibus, jure gentium, terrarum ac regionum *dominia distincta, agris termini positi* (c), sic *Insula in mari enata & gemmæ, lapilli, margaritæ & cætera in littore maris* (adde locis eremis aliis) *inventa, ejus fiunt, qvi primus eorum possessionem nactus est*, hoc est, *inventoris* (d), & hæc occupatio est earum rerum, qvæ ut plurimum nullius antea fuerunt. Cui, qvoad vim occupatori parandi dominii, prorsus similis est earum qvoqve rerum, qvæ aliqvando alicujus fuerunt, nunc autem non sunt amplius, habitarum nimirum pro derelictis, h. e. *qvæ dominus ea mente abjecit ut in numero rerum suarum esse nolit cujus* adeò & *statim esse desinunt, & continuò occupantis fiunt* (e). Ubi qvidem apprime notabilis æqvitatis interea est, ne in ordinem pro derelicto habitorum hoc effectu referantur, qvæ ob necessitatem majoris mali aut periculi cujusdam evadendi fortè jacta (f), aut aliàs qvoqve casu hominibus amissa sunt (g), nisi fortè & de his tandem constet, pro derelicto à prioribus dominis haberi (h), aut etiam qvod tales sint res qvę è manu domini in naturalem è dominio libertatem proreptæ fuerint, aut in eum statū devenerint, ut potentiam domini earū recuperandæ possessionis prorsus excesserint (i).

(a) §. 12. I. de A.R.D. l. 3 pr. l. 30. in fin. ff. eod.

(b) §. 11. & seqq. I. de R.D l. 1. & seqq. ff. eod.

(c) l. 5. de J. & J.

(d) l. 1. §. 1. de acq. vel amitt. poss. §. 22. & 18. I. de R.D.

(e) §. 47. I. d. R.D. l. 1. et 2 ff. pro derelict.

(f) §. f. I. eod. l. 9. in f. l. 58. ff. eod. l. 1. & 2. ad L. Rhod. d. jact. l. 43. §. 4. & seqq. de furt. l. 18. C. eod.

(g) §. f. I de A. R. D. d. l 43. §. 4. & seqq. de furt.

(h) per dict. l. 58. d. A. R. D. & dict. l. 43. de furtis.

(i) per l. 3. d. A. R. D. §. 12. & seqq. ff. eod. add. l. 3. §. 13. & seq. de acqvir. poss.

XIV. Spe-

XIV. Species autem occupationis rei pro derelicto habitæ, videntur esse, cum rerum modò dictarum, tùm *inventi thesauri* apprehensio, tùm usucapio. *Thesaurus qvi est vetus qvædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominium non habeat* (a), eô modô, qvô utiqve & ipse in dominio qvidem fuit, esse autem desiit: ipso facto licet, putà negligentiâ, ac necessitate naturæ, qva indicare neglexit, aut è vita vocatus depositor est, magis qvam proposito abjiciendi derelictus. De hoc autem legum dispositio ferè hæc est, qvod scil. qvia alterius alicujus non est, aut esse scitur, (utpote qvi definiente Cassiodoro (b) *longa vetustate competentem Dominum amisit*) *ejus ipse fiat qvi invenerit* (c). Ita tamen, ut ferè in lucri communionem alius qvoq; vocetur; dum præter casum, qvô in suo qvi eum sine malis artibus inventum, totum sibi retinet, ut & olim si in loco sacro aut religioso (d); dimidiatus tantum inventori cedat, alterô dimidiô domino soli cedente, siqvidem fortuitò in alieno inventus is thesaurus fuerit (e); Fisco autem ac publico, si in loco sacro aut religioso aut publico alio (f). qvin & si data opera in alieno aut sacro qvæsitus fuisset, totum jura vetera inventori adimebant. id qvod corrigere voluit Leo Imp. postea Constitutione sua Novella 51.

XV. *Usucapio qvæ adeptio est dominii per continuationem possessionis temporis legi definiti* (g). Et aliàs in modis seu actibus dominii acqvirendi transferendive (h) iisdemq; ob multam à civilibus legibus acceptam ordinationem, civilibus, communiter deputatur (i); In modis occupandi derelicta, non videtur prorsus incongruè haberi. Ideò nempe qvod eidem aliqvis rei à Domino neglectus ac derelictio præsupponatur omninò: qvippe qvæ & caussam habet, ut introducta sit, *ne qvarundam rerum diu & fere semper incerta dominia essent* (k). habendis omninò dominis prioribus, pro iis, qvi desertum eant res suas, qvas longo adeò tempore prorsus negligunt, nec usqve reqvirunt: in tantum ut & *alienationis verbum usucapioni convenire*, Paulus autumet (l), *qvod vix sit, ut non videatur alienare qvi patitur usucapi, & qvi vel servitutes etiam non utendo omittit.* Cæterum ut ad modum hujus derelictionis pertinet continuato ac diuturno fieri neglectu, & abjectione; ita è regione occupa-

(a) l.30.§.1.de A.R.D. adde l.un.C.Theod lib.10.15.
(b) lib. 6.
(c) l.30.§.1.de A.R.D.
(d) §.40.d.A.R.D. l.un.pr.C.de Thes.
(e) d.§.40.& d.l.un part.poster.
(f) l.3.§.10.et seq.d.jur fisc. c.un.II.F.qvæ sunt regalia.
(g) l.3.de usucap. Ulpianus §.7.
(h) l.20.C d pact.
(i) pr. I. de usucap, junct.§.11.de R.D.& pass.
(k) l.1.d.usuc.
(l) l.28.d.V.S.

cupa-

cupatio & cum effectu dominii rei comprehensio hic tractum qvoqve & continuationem habet. dominium scilicet rei à domino neglectæ, alteri hic acqviritur capione, verum non momentanea, sed eâ, qvæ cum usu & possessione capio est(a). qvæ non simplici apprehensione sed continuatione possessionis absolvitur ac perficitur (b). per tempora aliqva, longa, longiora, longissima, lege ob rerum aliasqve differentias distinctè definita(c), citra interruptionem (d). Qvin reqvisita hic insuper alia desiderari videas non pauca nec levia ut rectè hæc capio procedat; nimirum ut justô titulô possessionem rei adeptus fuerit præscribens (e), itemqve bona fide (f); qvam conditionem canones etiam cum perpetuatione poscunt (g): Et ut res sine vitio sit, puta ut non furto, aut vi, priori domino per qvenqvam fuerit ablata (h). aut aliàs haberi & possideri vetita (i). sed filum tenemur abrumpere, satis habentes, cum explanare hæc, conditio modò nostra non patitur, indicasse nobilissimæ usucapionis materiæ summam.

(a) add. l. 19. ex qvib. cauf. major. (b) per l. 25. l. 44 in f. de usucap. & pass. (c) pr. I. de usuc. l. 1. C. de annal. except. §. 4. I. h. l. 2. C. d. vectigal. l. C. d. præscript. 30. vel 40. ann. auth. qvas actiones C. d. SS. Eccl. l. 2. pr. l. fin. de aq. pluv. l. 3. §. 4. de aq. qvotid. c. 26. §. præterea. X. de V. S.

(d) l. 31. §. 1. l. 2. 5. 15. §. 2. de usucap. l. 3. 7. §. pen. C. de præscript. 30. ann. (e) pr. I. h. l. 24. C. de R. V. l. 27. de usucap. (f) d. pr. §. 7. h. l. 2. §. 1. pro empt. l. 2. C. de præscript. 30. vel 40. ann. l. 48. §. 1. de acqvir. rer. dom. l. un. C. de usucap. transform. (g) cap. fin. X. de præscript. add. Gail. 2. Obs. 1. (h) §. 1. 2. de usucap. l. 4. §. 6. l. 12. 13. §. 2. de usucap. l. 7. C. de usucap. pro empt. &c. (i) l. 30. de A. R. D. l. 2. §. ult. pro empt. §. 1. 4. J. h. l. 18. ff. eod. l. 2. de via pub. add. l. 48. de acqvir. rer. dom. l. fin. C. in qvib. cauf. restit. non est necess. l. 16. de fund. dotal. &c.

XVI. Atqve hæc qvidem per usucapionem occupatio videri potest, mediâ qvodammodò naturâ esse inter eam qvæ meræ apprehensionis est, & qvæ factum poscit alterius; ut & totum genus qvod earum est rerum, qvæ pro derelicto censeri possunt habitæ. Namqve vel ipsum pro derelicto habere, factum est alterius, qvod hic prærequirit occupatio; qvamvis plus mixtionis etiam ex eo præ aliis hujus generis, usucapio agnoscit, qvod eô ipsô, dum fit continuata possessione, neglectum & actum derelictionis usqve terminum lege præscriptum, ubi jam penitus pro derelicta res judicatur, continuè concurrentem habeat. Qvin igitur, per hunc medium occupandi modum, ab occupatione meræ liberæ appre-

hensionis, ad eam qvæ etiam deliberatum alterius factum supponit & plusculum considerat; ab illa, qvæ rerum nullius est, ad eam qvæ est, dum acqvirere adorimur, rerum sub dominio alterius existentium, facile labimur transitu. Est autem illa dominii adeptio, qvæ omnimodè admixti ac correqvisiti alieni facti est, partim eorum qvæ ex hostibus capimus, partim qvæ è spontaneâ dominorum traditione concessioneqve accipimus, partim verò ejus dominii qvod legali ac judiciariâ addictione nanciscimur: Illic qvod justitiam acqvisitioni præbet ipsa hostilitas est, isthic ipsa voluntaria ejus ad qvem res pertinet traditio, hîc lex dictaqve sententia. *De occupatione bellica* res ipsa ita profertur satis liqvidè (a): *Ea qvæ ex hostibus capimus jure gentium statim nostra fiunt, adeo qvidem ut & liberi homines in servitutem nostram deducantur.* Cui tamen rei civilis æqvitas suas qvasdam solet addere qvandoqve directiones ac limitationes, veluti ubi romana lege qvædam publico reservabantur, à privatis militum non attingenda pro lubitu, uti erant agri, & reliqva immobilia hostica (b); item ex mobilibus rebus reservata qvædam, in qvibus etiam militibus accidebat peculatum committere, qvadruplo luendum (c); item qvæ hostis antea ceperat si recepta forent jure qvodam postliminii dominis restituenda (d).

(a) §.17. de A. R D l.5. §.ul. l.7. pr. l.51. §.1. ff. eod.

(b) l.20. §.1. d. capt. & postl. (c) l.pen. ad L. Jul. de pecul. ad l.31. d. jur. fisc. (d) l.20. de capt. l. ab hostib. C. eod.

XVII. *Traditione* dominia rerum in acceptantem transferri, (e) modò voluntate tradentis, per titulum habilem illa præmunita sit, in svavi confessione peritorum est, autumantiũ (f), *nihil tam conveniens esse naturali æqvitati qvàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre ratam haberi*, effectu *ut qvævis à Domino sponte tradita res alienetur ac sine dubio transferatur, siqvidem ex caussa donationis aut dotis, aut qvalibet alia ex caussa tradatur.* Scilicet & hoc munimen ut necessarium Consulti reqvirunt; fortè qvod in hoc κρίσιν veræ voluntatis ponant. Unde Paulo nostro (g) vel *Nunqvam nuda traditio transfert dominium, sed ita, si venditio aut aliqva justa caussa præcesserit, propter qvam traditio seqveretur.* In qvibus *caussis* notabile est, reperiri non tantum omnis generis contractus & mutui commercii negotia, sed vel ipsam etiam liberalitatem & munificentiæ exercitium, qvod donatio, h. e. liberalis datio est.

(e) l. 20. C. de pact. (f) §.41. l. de A. R D. l. 9. §.3. ff. eod. (g) l.31. de A. R. D. add. l.4. C. d. pact. int. empt. & vend

ita

ita ut sufficiat voluntatem translaturi, vel hac specie saltem in propatulum prodiisse. Qva de donatione (*a*) ac reliqvis illis caussarum speciebus, (*b*) titulus & loca, qvibus plene jurisprudentia eas tractat, hic qvidem liceret juxtà qvoqve dispicere. Sed astricti compendii methodo, modò pergimus recensere: traditionem ita caussis ac voluntate succinctam, respectu personarum recipientium habitò, fieri, vel personis certis ita, uti qvid singulorum futurum sit, jam ex determinata tradentis destinatione dependeat, veluti ubi forte eqvus huic alicui ab aliqvo tradatur ut ejus fiat: vel personis incertis; siqvidem certitudinem illam ex applicatione individui rei, ad personæ individuum æstimes: Qvippe *interdum & in incertam personam collata voluntas domini transfert rei proprietatem* (*c*) veluti si missilia à Prætoribus aut Consulibus jaceantur in vulgus. De qvibus *etsi ignorent illi qvid qvisq; ex populo excepturus sit, tamen qvia volunt, qvod qvisq; acceperit ejus esse, statim eum dominum efficiunt.* Par sine dubio ratio est qvarumvis rerum in communi à qvoqvam hac intentione jactarum; & si hic qvoqve humana divinis licet connectere, communitatis illarum rerum, qvas divina largitio in occupationis prærogativam hominibus communiter concessit.

(*a*) *J. t. 7. 39. ff. t. pen. & ult. 8. C. t. 54. & seqq.* (*b*) *Sub materiis conventionum, successionum, delictorum, & ceteris passim.* (*c*) *d. §. 46. de R. D.*

XVIII. Porrò verò & alius modalitatis intuitu, diversa fit hæc dominii collatoria traditio; qvando alia de simplici & plano, qvod dicitur, fit, qvasi de manu in manum citra qvædam solennia. Alia cum adhibitis solennitatibus, cujusmodi olim erat illa, qvæ mancipatio dicebatur, facta inter Cives Romanos, ut & hos ac peregrinos, qvibus commercium datum erat, certis verbis, libripende & qvinqve testibus adhibitis (*d*). idqve rerum mancipi (*d*), qvod qvidem nomen postea videas abolitum (*f*). Similis fuit cessio in jure qvæ dicebatur (*g*). similes sunt

(*d*) *Ulpian. t. 19. §. 2. & 3. Caj. lib. it. 6. § 1.* (*e*) *Ulpian. pr. & §. 5. d. t.* (*f*) *l. un. de usucap. transform.* (*g*) *Ulp. d. libr. § 22. seqq.*

qvæ moribus nostris cum solennitatibus solent fieri, in rerum transferendarum possessionem missiones. Inde & notabilis traditionis diversitas est, qvâ vel veræ totius rei de manu in manum traditio fit; vel etiam rei tantum particula qvædam, aut signum exhibitum, aut demonstratio ad oculum facta, aut simile qvid, corporalis tamen actus qvod sit, in traditionem cedere admittitur: cujusmodi in legibus nostris exempla occurrunt non una; veluti ubi pro traditione frugum vini, similiumqve in commercio rerum acceptatur: si claves horrei aut cellæ juxta rem præsentem exhibeantur (*a*). Si res v. c. acervus lignorum commonstretur, & possideri tolliqve jubeatur (*b*); Si de turri vicina per venditorem fundus monstretur, dicaturqve, se vacuam possessionem hujus tradere, Si emptorum mancipiorum instrumenta donentur & tradantur (*c*); si donationis litteræ super rem præsentem emittantur (*d*); Si res deponantur in domo accepturi, hujus jussu (*e*). Ne nunc multis dicam ipsam *qvasi possessionem* aliorum, præter dominium, jurium, non posse nisi per hujusmodi symbolicam traditionem apprehendi aut saltem per concurrentem usui patientiam acqviri. pertinent investituræ feudales per hastam, vexillum, sceptrum & similia (*f*). Etiam ad impropriietatem acqvirendi per traditionem pertinet, si traditio fortè ob aliam caussam dominii non translativam præcesserit, & voluntas domini rem suam in alium transferre volentis, post superveniat. Atqve hactenus utut fictione res agatur aliqvid tamen corporeæ apprehensionis â parte acqvirentis dominii subest. qvod in tertio illo modô, qvo legali aut judiciali autoritate dominia de persona in personam transferuntur, sæpius etiam cessare deprehendimus.

(a) §. 45. J. de A. R. D. l. 9. §. 6. ff. eod. l. 1. §. 21. in fin. de acqvir. poss. l. 74. de contr. empt. (b) l. 51. de acqvir. poss. (c) l. 18. §. 2. de acqvir. poss. (d) l. 1. C de donat. (e) l. 77. de R. V. (f) l. 18. §. 2. de acqvir. poss. (g) per l. 3. de usufruct. l. 20. de servit. l. 10. si serv. vind. (h) vide II. F. 2. t. 2. & ibi Dd. (i) §. 44. de A. R. D. l. 9. §. 5. ff. eod. l. 25. de reb. cred.

XIX. Ad-

XIX. Addictione legitima, sive publicæ sive judiciariæ legis illa sit, etiam citra corporalem rei comprehensionem, dominium nobis qvoqve posse sive acqviri sive addici, eo minus habet absoni, qvò magis certum est, divina lege ipsâ ita universale illud dominium in fera bruta aliaqve mundana nobis constitutum extare, ipsius etiam dominii natura id facilè admittente; dum nempe dominium ut superius est ostensum ex genere potestatum est; potestates autem lege ac decreto alicui posse addici, maximè ubi ratio æqvi subest, nullus dubitabit. qvippe in liqvido est omnis generis eqvas facultates hominibus autoritate superiori concessas addictasqve extare. Res per jurisprudentiam nostram pluribus notatur exemplis, unâ cum distinctione proposita generis in species, qvâ legitima hæc dominii addictio fit tum adjudicatione seu lege judiciariâ, tum lege publicâ (*a*). Ex legis publicæ addictione omne hæreditatis legitimæ jus est, dominii naturam planè referens (*b*), data proinde etiam hæredibus in rem actione, qvæ & dominorum aliàs est (*c*) imò vindicatione (*d*) simile huic inductum extat exemplum in legatis, qvorum dominium legatariis lege datur, olim qvidem in specie tantum eorum, qvæ per modum vindicationis relicta erant, postea autem omnium (*e*): & iterum aliud, qvo per jus accrescendi portio rei à socio derelicta alteri sociorum conceditur. (*f*) Item qvo maritum dominum dotis lex dicit; qvo usu capienti dominium adjicit, & qvæ sunt exempla similia. Pro Adjudicationis exemplis JCtus (*g*) adfert formulam familiæ herciscundæ, communi dividundo, & finiū regundorū; nā ait *si judex uni ex hæredibus aut sociis, aut vicinis rem aliqvam adjudicaverit, statim illi acqviritur*; qvæ confirmat Justinianus (*h*) cui *qvod istis judiciis alicui adjudicatum fuerit; id statim ejus fit cui acqviritur.* Pertinuit ex constitutione Divi Martii *addictio bonorum libertatum in Testamento datarum conservandarum caussa* (*i*). addictio mulieris liberæ cum servo con-

(a) Ulp. Inst. t.19. §.1.15.16. (b) per l.7. de bon. damn. l.11. de lib. & posthum. §.6. J. de hered. qval. (c) l.23. de R.V. (d) l.8. de pet. hered. l.1. si pars hered. pet. (e) d. t.19. §.15. J. Ulp. l.1. C. commun. de legat. §.2. I. de legat. l.8. ff. de legat. 2. (f) §. ult. de donat. l.8. de legat. §.7. de hered. Inst. add. Ulp. §.15. (g) §.15. (h) §.7. de offic. Judic. (i) tit. 12. lib. 3. J.

ſveſcentis domino hujus cum omnibus bonis ex SenatusConſulto Claudiano (*a*). pertinet ut ſimile, ſervi qvoqve ingrati itemqve filii in antiqvam poteſtatem retractio (*b*). pertinet bonorum confiſcatio, qvæ eſt Fiſco facta rei, dominiiqve ejusdem, addictio. Pertinebit qvicqvid præterea juredicialis autoritas ubicunqve ut proprium aliqvibus addicit. Omitto eò devenire, ut adjuvante lege, aut judició, etiam ab ipſis privatis citra vel rei traditionem, vel apprehenſionem, dominia transferri, deprehendamus. prout ſine dubio multoties accidit in illis acqvirendi modis, qvi per mancipationem, & in jure ceſſionem Romanis freqventabantur (*c*). qvippe *res immobiles etiam plures ſimul & qvæ diverſis locis erant, mancipari poterant* (*d*). nemo autem in judicium, ſeu in jus prædia aſportabat: qvin etiã, ſi rem ex veritate æſtimes, tota illa per Symbola traditio, qvatenus talis, in ſpeciem cadit qſ. meræ addictionis etiam à privatis, & qvaſi per privatam legem factæ, cum qvicqvid apprehenſionis hic qvoad rem ipſam ſubeſt, in fictione magis, qvàm in re eſt.

Hactenus de dominio ejusdemqve acqvirendi poteſtate ac modis.

(a) t.13. ib. (b) l. fin. C. de donat. l. un. C. de ingrat. lib. (c) Ulp. d. t. 19. § 1. 2. 8. 9. & ſeqq. (d) d. t. § 5.

CAP.

CAPUT XVI.

De Jure in re.

I. Jus in re generalius acceptum, genera potestatum complectitur longè plurima.

II. Ex qvibus ob conditionem suam ac vim præcipuam, dominium, possessio, servitus, pignus, hæreditas, in specie hôc nomine donantur.

III. Qvæ hisce comprehenduntur propius, & qvæ ad naturam ac vim qvandam eorum conspirant.

IV. De convenientia eorum ac discrepantia.

I.

JUs *in re* qvod personis, etiam directò ac immediatè, in hac competere accidit, multarum prorsus specierum ac partium est. Scilicet ex hoc genere est dominium, qvod dicunt omnes, rerum; sunt utiqve & qvæcunqve potestates in rem dominantes reliqvæ, (*a*) veluti rem qvovis fine possidendi, retinendive, & vindicandi; eâdemqve multimodè, sive in perpetuum sive ad tempus, sive communiter cum aliis, sive sigillatim, sive multùm sive parùm, utendi: ut ita qvidèm, si suâ latitudine *jus* (qvod est justa potestas) *in re* velis accipere, eô contineantur, licet vulgo hoc nomine non freqventer adeò insigniantur, potestas qvâm habet conductor in re sibi locata; commodatarius in commodata; qvi precariò rem aliqvam habet in eadem; præses civitatis aut alius socialis corporis, in res publicas aut communes, itemqve singuli sociorum in easdem pro suo competente modô; homines deniqve universe-

(*a*) vid. c. 4. n. 9. & seqq. lib. 2.

niversi ac singuli in res ex divina largâ destinatione ipsorum facultati expositas: ipsa qvoqve res qvaslibet acqvirendi potestas suô qvôdam modô talis est. & si qvi casus similes directæ hominum in rem competentiæ per moralem legitimamqve vitam observari poterunt. Sed hæc qvidem, juris in re, laxior qvædam acceptio est; qvam qvâ seqvioris ævi, artis nostræ cultores ferè suô qvodam peculiari modô idipsum apprehendunt, certis qvibusdam facultatum legitimarum speciebus hoc nominis particulatim præ reliqvis tribuentes.

II. In his sunt qvi referunt *Dominium, servitutem, possessionem, pignus* addunt præterea alii *hereditatem*; intelligunt autem per nomina hæc, vi generis sub qvo ea collocant, *jus* hereditatis, pignoris possessionis &c. & in effectu rei *potestates* tales. Ad harum autem specierum vim respicientes ipsi, specialiori hac acceptione *jus in re* ferè definiunt, *jus circa rem aliqvam, ad qvod res ipsa devincta est* (a). non est qvod positionem hanc, & si qvæ similes apud alios extant aliæ, cribremus. In effectu videntur viri circumspecti animadvertere, hasce qvasdam in res potestates ita jure esse comparatas conformatasqve, qvod, qvi eas habent, rem cum singulari qvadam ac multùm efficaci continentiâ ac nexu sibi, sive in suum qvendam proprium finem aut usum, ita devinctam teneant, ut vel ipsam subjectam potestati rem, vel ipsius etiam potestatis modò exercitium, adversus qvemvis, sive dominium etiam, sive qvodlibet jus aliud idem aliqvis prætendat, sibi tueri ac vindicare jure possint. Et talis qvidem formæ ac efficaciæ modò memoratas facultatum species facilè deprehendunt, subnixi abundante adstipulatione etiam veteris prudentiæ per titulos & loca, ubi in specie de horum jurium vi ac tuitione, affatim agitur.

(a) tom. 1. de just. & jur. tr. 2. dist. 2.

III. Non libet modò disqvirere aut contendere multùm; utrum aliæ adhuc dentur facultatum hujusmodi, qvæ ad parem istiusmodi qvalitatis adscendunt intensionem; Tantummodo placeret, qvinqve isthæc memorata genera, qvoad partes ac species, non concisis nimis circumscribi terminis. Sed *dominio* includi e. g. id qvod *utile* alias dicimus, jus videl. Emphyteutæ, Vasalli, & si qvod aliis par est; qvasi dominium bonæ fidei possessoris qvod

ad in-

ad instar proprietatis habere etiam veteribus visum (*a*). Item comprehendi vel sub eodem dominio, vel sub *facultate re non propriâ utendi*, vel junctim sub utroqve, *potestatem utendi rebus*, jure publico aut gentium *communis usus*, etsi res ipsa qvasi in substantia ad communitatem aut etiam ad privatos spectet; veluti est via publica, litus, flumen, ripa & hujusmodi cætera, qvorum qvidem liber usus cuilibet ab injuria qvorumvis obversantium vindicabilis est (*b*). Porrò *possessione* seu jure possidendi concludi optarem, qvæ ejus qvoqve sunt generis; intelligo non illius tantum possessionis, qvæ scopum habet, rem sibi tanqvam propriam detinendi, vel prorsus, vel usqve dum melius docetur jus ab altero (*c*). Sed & qvæ pro continuanda justa fructuum perceptione fortè fructuario competens est, qvæ unicuiqve qvasi possessio servitutum est (*d*): imò & illius qvodammodo, qvæ rerum servandarum, & custodiendarum causa legatario creditori aut simili jure suo competit ac decernenda est (*e*). deniqve sub jure pignoris, & id qvod hypothecarium, & id qvod tacitè tale est (*f*); sub hereditate, bonorum possessionem prætoriam (*g*); & sub omnibus, singula qvæ sunt similis naturæ, ad suum modum comprehendenda existimarem. Atqve minus tamen juxta diffiterer; haud omninò paris esse conditionis plerisqve istis, jus qvod in re commodata commodatarius, precariò usurpata, is usurpator, commendata mandatarius habet; Qvod qvilibet in vicem ac ministerium alterius, qvod privatâ alterius auctoritate subnixus in rem qvamlibet obtinet: maximè si adversus principalem ipsum est consistendum, ubi de tuitione hujusmodi juris, qvod forsan præter illius voluntatem nullum est, qværitur. aut etiam si pro vindicatione rei cum illo concurrendum sit. Tametsi aliàs & jura hujusmodi, qvatenus adversus tertium cum iis consistendum est, ad nomen simul ac vim, istorum strictius dictorum jurium in re, saltem adspirare haud inficiandum putarem, etiam testimoniò nostratium, qvando ipsis e. g. *tutor in re pupilli domini loco habetur* (*h*); *Procurator, cui generaliter libera administratio rerum commissa est, potest exigere, aliud pro alio permutare; solvere creditoribus* (*i*). atqve hæc qvidem juris aliàs dominici sunt. Et vel *qvi precario fundum possidet, is interdicto uti possidetis, adversus omnes, præter*

(a) l. 7. §. 6. de publ. in rē act. *(b) arg. §. 1. & seqq. I. de R. D. l. 7. §. 9. & seq. ne qvid in loc. publ.* *(c) tit. de bō. poss. t. de reb. auct. jud. possid. §. 4. I. d. interd.* *(d) per l. 7. §. 11. cōmū. divid. l. 4. uti. possid. l. fin. de serv.* *(e) l. 1. & t. t. qvib. ex caus. in poss. eat.* *(f) §. 7. I. de act.* *(g) pr. I. d. bon. poss. l. 1. d. pos. hered. pe. tit. l. 117. de R. I.* *(h) l. 27. de adm. & peric. tut. l. 56. §. pē. de furt. l. 7. §. 3. pro emp.* *(i) l. 58. & seq. de procurat.*

XIV. Species autem occupationis rei pro derelicto habitæ, videntur esse, cum rerum modò dictarum, tùm *inventi thesauri* apprehensio, tùm usucapio. *Thesaurus qvi est vetus qvædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominium non habeat* (a), eô modô, qvô utiqve & ipse in dominio qvidem fuit, esse autem desiit: ipso facto licet, putà negligentiâ, ac necessitate naturæ, qva indicare neglexit, aut è vita vocatus depositor est, magis qvam proposito abjiciendi derelictus. De hoc autem legum dispositio ferè hæc est, qvod scil. qvia alterius alicujus non est, aut esse scitur, (utpote qvi definiente Cassiodoro (b) *longa vetustate competentem Dominum amisit*) *ejus ipse fiat qvi invenerit* (c). Ita tamen, ut ferè in lucri communionem alius qvoq; vocetur; dum præter casum, qvô in suo qvi eum sine malis artibus inventum, totum sibi retinet, ut & olim si in loco sacro aut religioso (d); dimidiatus tantum inventori cedat, alterô dimidiô domino soli cedente, siqvidem fortuitò in alieno inventus is thesaurus fuerit (e); Fisco autem ac publico, si in loco sacro aut religioso aut publico alio (f). qvin & si data opera in alieno aut sacro qvæsitus fuisset, totum jura vetera inventori adimebant. id qvod corrigere voluit Leo Imp. postea Constitutione sua Novella 51.

XV. *Usucapio* qvæ *adeptio est dominii per continuationem possessionis temporis legi definiti* (g). Et aliàs in modis seu actibus dominii acqvirendi transferendive (h) iisdemq; ob multam à civilibus legibus acceptam ordinationem, civilibus, communiter deputatur (i); In modis occupandi derelicta, non videtur prorsus incongruè haberi. Ideò nempe qvod eidem aliqvis rei à Domino neglectus ac derelictio præsupponatur omninò: qvippe qvæ & caussam habet, ut introducta sit, *ne qvarundam rerum diu & fere semper incerta dominia essent* (k). habendis omninò dominis prioribus, pro iis, qvi desertum eant res suas, qvas longo adeò tempore prorsus negligunt, nec usqve reqvirunt: in tantum ut & *alienationis verbum usucapioni convenire*, Paulus autumet (l), *qvod vix sit, ut non videatur alienare qvi patitur usucapi, & qvi vel servitutes etiam non utendo omittit*. Cæterum ut ad modum hujus derelictionis pertinet continuato ac diuturno fieri neglectu, & abjectione; ita è regione occupa-

(a) l. 30. §. 1. de A. R. D. adde l. un. C. Theod lib. 10. 15.
(b) lib. 6.
(c) l. 30. §. 1. de A. R. D.
(d) §. 40. d. A. R. D. l. un. pr. C. de Thes.
(e) d. §. 40. & d. t. l. un part. poster.
(f) l. 3. §. 10. et seq. d. jur fisc. c. un. II. F. qvæ sunt regalia.
(g) l. 3. de usucap. Ulpianus §. 7.
(h) l. 20. C d pact.
(i) pr. I. de usucap, junct. §. 11. de R. D. & pass.
(k) l. 1. d. usuc.
(l) l. 28. d. V. S.

cupatio & cum effectu dominii rei comprehensio hic tractum qvoqve & continuationem habet. dominium scilicet rei à domino neglectæ, alteri hic acqviritur capione, verum non momentanea, sed eâ, qvæ cum usu & possessione capio est(*a*). qvæ non simplici apprehensione sed continuatione possessionis absolvitur ac perficitur (*b*). per tempora aliqva, longa, longiora, longissima, lege ob rerum aliasqve differentias distinctè definita(*c*), citra interruptionem (*d*). Qvin reqvisita hic insuper alia desiderari videas non pauca nec levia ut rectè hæc capio procedat; nimirum ut justô titulô possessionem rei adeptus fuerit præscribens (*e*), itemqve bona fide (*f*); qvam conditionem canones etiam cum perpetuatione poscunt (*g*): Et ut res sine vitio sit, puta ut non furto, aut vi, priori domino per qvenqvam fuerit ablata (*h*). aut aliàs haberi & possideri vetita (*i*). sed filum tenemur abrumpere, satis habentes, cum explanare hæc, conditio modò nostra non patitur, indicasse nobilissimæ usucapionis materiæ summam.

(*a*) *add. l. 19. ex qvib. caus. major.* (*b*) *per l. 25. l. 44. in f. de usucap. & pass.* (*c*) *pr. I. de usuc. l. 1. C. de annal. except. § 4. I. &. l. 2. C. d. vectigal. t. C. d. præscript. 30. vel 40. ann. auth. qvas actiones C. d. SS. Eccl. l. 2. pr. l. fin. de aq. pluv. l. 3. §. 4. de aq. qvotid. c. 26. §. præterea. X. de V. S.*

(*d*) *l. 31. §. 1. l. 2. 5. 15. §. 2. de usucap. l. 3. 7. §. pen. C. de præscript. 30. ann.* (*e*) *pr. I. h. l. 24. C. de R. V. l. 27. de usucap.* (*f*) *d. pr. § 7. h. l. 2. §. 1. pro empt. l. 2. C. de præscript. 30. vel 40. ann. l. 48. §. 1. de acqvir. rer. dom. l. un. C. de usucap. transform.* (*g*) *cap. fin. X. de præscript. add. Gail. 2. Obs. 1.* (*h*) *§. 1. 2. de usucap. l. 4. §. 6. l. 12. 13. §. 2. de usucap. l. 7. C. de usucap. pro empt. &c.* (*i*) *l. 30. de A. R. D. l. 2. §. ult. pro empt. § 1. 4. J. h. l. 18. ff. eod. l. 2. de via pub. add. l. 48. de acqvir. rer. dom. l. fin. C. in qvib. caus. restit. non est necess. l. 16. de fund. dotal. &c.*

XVI. Atqve hæc qvidem per usucapionem occupatio videri potest, mediâ qvodammodò naturâ esse inter eam qvæ meræ apprehensionis est, & qvæ factum poscit alterius; ut & totum genus qvod earum est rerum, qvæ pro derelicto censeri possunt habitæ. Namqve vel ipsum pro derelicto habere, factum est alterius, qvod hic præreqvirit occupatio; qvamvis plus mixtionis etiam ex eo præ aliis hujus generis, usucapio agnoscit, qvod eô ipsô, dum fit continuata possessione, neglectum & actum derelictionis usqve terminum lege præscriptum, ubi jam penitus pro derelicta res judicatur, continuè concurrentem habeat. Qvin igitur, per hunc medium occupandi modum, ab occupatione meræ liberæ appre-

hensionis, ad eam qvæ etiam deliberatum alterius factum supponit & plusculum considerat; ab illa, qvæ rerum nullius est, ad eam qvæ est, dum acqvirere adorimur, rerum sub dominio alterius existentium, facile labimur transitu. Est autem illa dominii adeptio, qvæ omnimodè admixti ac correqvisiti alieni facti est, partim eorum qvæ ex hostibus capimus, partim qvæ è spontaneâ dominorum traditione concessioneqve accipimus, partim verò ejus dominii qvod legali ac judiciariâ addictione nanciscimur: Illic qvod justitiam acqvisitioni præbet ipsa hostilitas est, isthic ipsa voluntaria ejus ad qvem res pertinet traditio, hîc lex dictaqve sententia. *De occupatione bellica* res ipsa ita profertur satis liqvidè (*a*): *Ea qvæ ex hostibus capimus jure gentium statim nostra fiunt, adeo qvidem ut & liberi homines in servitutem nostram deducantur.* Cui tamen rei civilis æqvitas suas qvasdam solet addere qvandoqve directiones ac limitationes, veluti ubi romana lege qvædam publico reservabantur, à privatis militum non attingenda pro lubitu, uti erant agri, & reliqva immobilia hostica (*b*); item ex mobilibus rebus reservata qvædam, in qvibus etiam militibus accidebat peculatum committere, qvadruplo luendum (*c*); item qvæ hostis antea ceperat si recepta forent jure qvodam postliminii dominis restituenda (*d*).

XVII. *Traditione* dominia rerum in acceptantem transferri, (*e*) modò voluntate tradentis, per titulum habilem illa præmunita sit, in svavi confessione peritorum est, autumantiũ (*f*), *nihil tam conveniens esse naturali æqvitati qvàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre ratam haberi*, effectu *ut* qvævis *à Domino sponte tradita res alienetur ac sine dubio transferatur, siqvidem ex caussa donationis aut dotis, aut qvalibet alia ex caussa tradatur.* Scilicet & hoc munimen ut necessarium Consulti reqvirunt; fortè qvod in hoc κρίσιν veræ voluntatis ponant. Unde Paulo nostro (*g*) vel *Nunqvam nuda traditio transfert dominium, sed ita, si venditio aut aliqva justa caussa præcesserit, propter qvam traditio seqveretur.* In qvibus *caussis* notabile est, reperiri non tantum omnis generis contractus & mutui commercii negotia, sed vel ipsam etjam liberalitatem & munificentiæ exercitium, qvod donatio, h. e. liberalis datio est.

(*a*) §.17. de A. R D l.5. §. ul. l.7. pr. l.51. §.1. ff. eod.

(*b*) l.20. §.1. d. capt. & postl.

(*c*) l. pen. ad L. Jul. de pecul. ad. l.31. d. jur. fisc.

(*d*) l.20. de capt. l. ab hostib. C. eod.

(*e*) l. 20. C. de pact.

(*f*) §.41. I. de A. R D. l. 9. §.3. ff eod.

(*g*) l.31. de A. R. D. add. l.4. C. d. pact. int. empt. & vend

ita

ita ut sufficiat voluntatem translaturi, vel hac specie saltem in propatulum prodiisse. Qva de donatione (*a*) ac reliqvis illis caussarum speciebus, (*b*) titulus & loca, qvibus plene jurisprudentia eas tractat, hîc qvidem liceret juxtà qvoqve dispicere. Sed astricti compendii methodo, modò pergimus recensere; traditionem ita caussis ac voluntate succinctam, respectu personarum recipientium habitô, fieri, vel personis certis ita, uti qvid singulorum futurum sit, jam ex determinata tradentis destinatione dependeat, veluti ubi forte eqvus huic alicui ab aliqvo tradatur ut ejus fiat: vel personis incertis; siqvidem certitudinem illam ex applicatione individui rei, ad personæ individuum æstimes: Qvippe *interdum & in incertam personam collata voluntas domini transfert rei proprietatem.* (*c*) veluti si missilia à Prætoribus aut Consulibus jaceantur in vulgus. De qvibus *etsi ignorent illi qvid qvisq; ex populo excepturus sit, tamen qvia volunt, qvod qvisq; acceperit ejus esse, statim eum dominum efficiunt.* Par sine dubio ratio est qvarumvis rerum in communi à qvoqvam hac intentione jactarum; & si hic qvoqve humana divinis licet connectere, communitatis illarum rerum, qvas divina largitio in occupationis prærogativam hominibus communiter concessit.

(*a*) *J. t. 7. 39. ff. t. pen. & ult. 8. C. t. 54. & seqq.* (*b*) *Sub materiis conventionum, successionum, delictorum, & cæteris passim.* (*c*) *d. §. 46. de R. D.*

XVIII. Porrò verò & alius modalitatis intuitu, diversa fit hæc dominii collatoria traditio; qvando alia de simplici & plano, qvod dicitur, fit, qvasi de manu in manum citra qvædam solennia. Alia cum adhibitis solennitatibus, cujusmodi olim erat illa, qvæ mancipatio dicebatur, facta inter Cives Romanos, ut & hos ac peregrinos, qvibus commercium datum erat, certis verbis, libripende & qvinqve testibus adhibitis (*d*). idqve rerum mancipi (*d*), qvod qvidem nomen postea videas abolitum (*f*). Similis fuit cessio in jure qvæ dicebatur (*g*). similes sunt

(*d*) *Ulpian. t. 19. §. 2. & 3. Caj lib. it. 6. § 1.* (*e*) *Ulpian. pr. & §. 5. d. t.* (*f*) *l. un. de usucap. transform.* (*g*) *Ulp. d. libr. §. 22. seqq.*

qvæ moribus noſtris cum ſolennitatibus ſolent fieri, in rerum transferendarum poſſeſſionem miſſiones. Inde & notabilis traditionis diverſitas eſt, qvâ vel veræ totius rei de manu in manum traditio fit; vel etiam rei tantum particula qvædam, aut ſignum exhibitum, aut demonſtratio ad oculum facta, aut ſimile qvid, corporalis tamen actus qvod ſit, in traditionem cedere admittitur: cujusmodi in legibus noſtris exempla occurrunt non una; veluti ubi pro traditione frugum vini, ſimiliumqve in commercio rerum acceptatur: ſi claves horrei aut cellæ juxta rem præſentem exhibeantur (*a*). Si res v. c. acervus lignorum commonſtretur, & poſſideri tolliqve jubeatur (*b*); Si de turri vicina per venditorem fundus monſtretur, dicaturqve, ſe vacuam poſſeſſionem hujus tradere, Si emptorum mancipiorum inſtrumenta donentur & tradantur (*c*); ſi donationis litteræ ſuper rem præſentem emittantur (*d*); Si res deponantur in domo accepturi, hujus juſſu (*e*). Ne nunc multis dicam ipſam *qvaſi poſſeſſionem* aliorum, præter dominium, jurium, non poſſe niſi per hujusmodi ſymbolicam traditionem apprehendi aut ſaltem per concurrentem uſui patientiam acqviri. pertinent inveſtituræ feudales per haſtam, vexillum, ſceptrum & ſimilia (*f*). Etiam ad improprietatem acqvirendi per traditionem pertinet, ſi traditio fortè ob aliam cauſſam dominii non translativam præceſſerit, & voluntas domini rem ſuam in alium transferre volentis, poſt ſuperveniat. Atqve hactenus utut fictione res agatur aliqvid tamen corporeæ apprehenſionis â parte acqvirentis dominii ſubeſt. qvod in tertio illo modô, qvo legali aut judiciali autoritate dominia de perſona in perſonam transferuntur, ſæpius etiam ceſſare deprehendimus.

(a) §.45. J. de A.R.D. l. 9. §.6. ff. eod. l.1. §.21. in fin. de acqvir. poſſ. l. 74. de contr. empt. (b) l.51. de acqvir. poſſ. (c) l.18. §.2. de acqvir. poſſ. (d) l. 1. C de donat. (e) l.77. de R. V. (f) l.18. §. 2. de acqvir. poſſ. (g) per l.3. de uſufruct. l.20. de ſervit. l.10. ſi ſerv. vind. (h) vide II. F.2. t. 2. & ibi Dd. (i) §.44. de A.R.D. l.9. §.5. ff. eod. l. 25. de reb. cred.

XIX. Ad

XIX. Addictione legitima, sive publicæ sive judiciariæ legis illa sit, etiam citra corporalem rei comprehensionem, dominium nobis qvoqve posse sive acqviri sive addici, eo minus habet absoni, qvò magis certum est, divina lege ipsâ ita universale illud dominium in fera bruta aliaqve mundana nobis constituum extare, ipsius etiam dominii natura id facilè admittente; dum nempe dominium ut superius est ostensum ex genere potestatum est; potestates autem lege ac decreto alicui posse addici, maximè ubi ratio æqvi subest, nullus dubitabit. qvippe in liqvido est omnis generis eqvas facultates hominibus autoritate superiori concessas addictasqve extare. Res per jurisprudentiam nostram pluribus notatur exemplis, unâ cum distinctione proposita generis in species, qvâ legitima hæc dominii addictio fit tum adjudicatione seu lege judiciariâ, tum lege publicâ (a). Ex legis publicæ addictione omne hæreditatis legitimæ jus est, dominii naturam planè referens (b), data proinde etiam hæredibus in rem actione, qvæ & dominorum aliàs est (c) imò vindicatione (d) simile huic inductum extat exemplum in legatis, qvorum dominium legatariis lege datur, olim qvidem in specie tantum eorum, qvæ per modum vindicationis relicta erant, postea autem omnium (e): & iterum aliud, qvo per jus accrescendi portio rei à socio derelicta alteri sociorum conceditur. (f) Item qvo maritum dominum dotis lex dicit; qvo usu capienti dominium adjicit, & qvæ sunt exempla similia. Pro Adjudicationis exemplis JCtus (g) adfert formulam familiæ herciscundæ, communi dividundo, & finiũ regundorũ: nã ait *si judex uni ex hæredibus aut sociis, aut vicinis rem aliqvam adjudicaverit, statim illi acqviritur*; qvæ confirmat Justinianus (h) cui *qvod istis judiciis alicui adjudicatum fuerit; id statim ejus fit cui acqviritur.* Pertinuit ex constitutione Divi Martii *addictio bonorum libertatum in Testamento datarum conservandarum caussa* (i). addictio mulieris liberæ cum servo con-

(a) Ulp. Inst. t.19. §.1.15.16. (b) per l.7. de bon. damn. l.11. de lib. & posthum. §.6. J. de hered. qval. (c) l.23. de R.V. (d) l.8. de pet. hered. l.1. si pars hered. pet. (e) d. t.19. §.15. J. Ulp. l.1. C. commun. de legat. §.2. I. de legat. l.8. ff. de legat. 2. (f) §. ult. de donat. l.8. de legat. §.7. de hered. Inst. add. Ulp. §.15. (g) §.15. (h) §.7. de offic. Judic. (i) tit. 12. lib. 3. J.

ſveſcentis domino hujus cum omnibus bonis ex SenatusConſulto Claudiano (a). pertinet ut ſimile, ſervi qvoqve ingrati itemqve filii in antiqvam poteſtatem retractio (b). pertinet bonorum confiſcatio, qvæ eſt Fiſco facta rei, dominiiqve ejusdem, addictio. Pertinebit qvicqvid præterea juredicialis autoritas ubicunqve ut proprium aliqvibus addicit. Omitto eò devenire, ut adjuvante lege, aut judició, etiam ab ipſis privatis citra vel rei traditionem, vel apprehenſionem, dominia transferri, deprehendamus. prout ſine dubio multoties accidit in illis acqvirendi modis, qvi per mancipationem, & in jure ceſſionem Romanis freqventabantur (c). qvippe *res immobiles etiam plures ſimul & qvæ diverſis locis erant, mancipari poterant* (d). nemo autem in judicium, ſeu in jus prædia aſportabat: qvin etiã, ſi rem ex veritate æſtimes, tota illa per Symbola traditio, qvatenus talis, in ſpeciem cadit qſ. meræ addictionis etiam à privatis, & qvaſi per privatam legem factæ, cum qvicqvid apprehenſionis hic qvoad rem ipſam ſubeſt, in fictione magis, qvàm in re eſt.

Hactenus de dominio ejusdemqve acqvirendi poteſtate ac modis.

(a) t.13. ib. (b) l. fin. C. de donat. l. un. C. de ingrat. lib. (c) Ulp. d. t. 19. § 1. 2. 8. 9. & seqq. (d) d. t. § 5.

CAP.

CAPUT XVI.

De Jure in re.

I. Jus in re generalius acceptum, genera potestatum complectitur longè plurima.

II. Ex qvibus ob conditionem suam ac vim præcipuam, dominium, possessio, servitus, pignus, hæreditas, in specie hóc nomine donantur.

III. Qvæ hisce comprehenduntur propius. & qvæ ad naturam ac vim qvandam eorum conspirant.

IV. De convenientia eorum ac discrepantia.

I.

JUs *in re* qvod personis, etiam directò ac immediatè, in hac competere accidit, multarum prorsus specierum ac partium est. Scilicet ex hoc genere est dominium, qvod dicunt omnes, rerum; sunt utiqve & qvæcunqve potestates in rem dominantes reliqvæ, (*a*) veluti rem qvovis fine possidendi, retinendive, & vindicandi; eâdemqve multimodè, sive in perpetuum sive ad tempus, sive communiter cum aliis, sive sigillatim, sive multùm sive parùm, utendi: ut ita qvidèm, si suâ latitudine *jus* (qvod est justa potestas) *in re* velis accipere, eô contineantur, licet vulgo hòc nomine non freqventer adeò insigniantur, potestas qvàm habet conductor in re sibi locata; commodatarius in commodata; qvi precariò rem aliqvam habet in eadem; præses civitatis aut aliùs socialis corporis, in res publicas aut communes, itemqve singuli sociorum in easdem pro suo competente modô; homines deniqve univer-

(a) vid. c. 4. n. 9. & seqq. lib. 2.

nivers-

ad instar proprietatis habere etiam veteribus visum (a). Item comprehendi vel sub eodem dominio, vel sub *facultate re non propriæ utendi*, vel junctim sub utroqve, *potestatem utendi rebus*, jure publico aut gentium *communis usus*, etsi res ipsa qvasi in substantia ad communitatem aut etiam ad privatos spectet; veluti est via publica, litus, flumen, ripa & hujusmodi cætera, qvorum qvidem liber usus cuilibet ab injuria qvorumvis obversantium vindicabilis est (b). Porrò *possessione* seu jure possidendi concludi optarem, qvæ ejus qvoqve sunt generis; intelligo non illius tantum possessionis, qvæ scopum habet, rem sibi tanqvam propriam detinendi, vel prorsus, vel usqve dum melius docetur jus ab altero (c). Sed & qvæ pro continuanda justa fructuum perceptione fortè fructuario competens est, qvæ unicuiqve qvasi possessio servitutum est (d): imò & illius qvodammodo, qvæ rerum servandarum, & custodiendarum causa legatario creditori aut simili jure suo competit ac decernenda est (e). deniqve sub jure pignoris, & id qvod hypothecarium, & id qvod tacitè tale est (f); sub hereditate, bonorum possessionem prætoriam (g); & sub omnibus, singula qvæ sunt similis naturæ, ad suum modum comprehendenda existimarem. Atqve minus tamen juxta diffiterer; haud omninò paris esse conditionis plerisqve istis, jus qvod in re commodata commodatarius, precariò usurpata, is usurpator, commendata mandatarius habet; Qvod qvilibet in vicem ac ministerium alterius, qvod privatâ alterius auctoritate subnixus in rem qvamlibet obtinet: maximè si adversus principalem ipsum est consistendum, ubi de tuitione hujusmodi juris, qvod forsan præter illius voluntatem nullum est, qværitur. aut etiam si pro vindicatione rei cum illo concurrendum sit. Tametsi aliàs & jura hujusmodi, qvatenùs adversus tertium cum iis consistendum est, ad nomen simul ac vim, istorum strictius dictorum jurium in re, saltem adspirare haud inficiandum putarem, etiam testimoniò nostratium, qvando ipsis e. g. *tutor in re pupilli domini loco habetur* (h); *Procurator, cui generaliter libera administratio rerum commissa est, potest exigere, aliud pro alio permutare; solvere creditoribus* (i). atqve hæc qvidem juris aliàs dominici sunt. Et vel *qvi precario fundum possidet, is interdicto uti possidetis, adversus omnes, præter*

(a) l. 7. §. 6. de publ. in rē act.
(b) arg. §. 1. & seqq. I. de R. D. l. 7. §. 9. & seq. ne qvid in loc. publ.
(c) tit. de bō. poss. t. de reb. auct. jud. possid. §. 4. I. d. interd.
(d) per l. 7. §. 11. cōmū. divid. l. 4. uti possid. l. fin. de serv.
(e) l. 1. & t. t. qvib. ex caus. in poss. eat.
(f) §. 7. I. de act.
(g) pr. I. d. bon. poss. l. 1. d. pos. hered. petit. l. 117. de R. I.
(h) l. 27. de adm. & peric. tut. l. 56. §. pē. de furt. l. 7. §. 3. pro emp.
(i) l. 58. & seq de procurat.

eum, qvem rogavit, uti potest (a). Sed hæc qvidem nunc absqve ulteriori discussione sunto transmissa, qvibus tantum obiter innuendum fuit, qvid sibi videatur dicere *jus in re* generaliori significatu, & qvomodò etiam ex speciebus iis, qvæ langvidioris sunt facultatis, nonnullæ qvid participent de natura earum, qvibus vis amplior ac stringentior; & qvæ sub hisce met in specie contineri videantur.

IV. De qvinqve autem autem hisce, *Dominio, Ereditate, possessione, servitute, pignore*, siqvidem collatio eorum institueretur, præter antè indicatam communem eorum naturam, qvædam adhuc generalius qvoqve circa ipsorum convenientiam ac discrepantiam annotari possent; qvomodo nempe cum natura dominii jus hereditatis conspiret, ipsum etiã heredẽ pro domino constituens (b); reliqva verò tria, qvatenus in hac specie sigillatim persistunt, non dominis in res alienas competentia sint. (c). qvomodo deinde tribus hisce non in specie dominicis juribus accidat, qvod modò singula separatim, modò etiam junctim alicui existant: junctim omnia extant in casu pignoris antichrestici; possessio & servitus habenti usumfructũ fundi, cui simul is insistendi jus habet; possessio qvalis, & pignus, tenenti rem mobilem loco pignoris in manu; pignus & servitus, si cui, qvi servit fundus in hypothecam suppositus est. Separatim autem jus pignoris consistit, qvod nudè hypothecarium est. aliqvalis possessio, in specie, qva qvis vel malâ fide in possessione est, non lucraturus fructus. item ubi in casu primi decreti, qvod appellant, aut alius cautionis ergò qvis in qvali possessione rei constitutus est. Ubi qvidem in genere, sive junctim sive separatim existant, videtur non spernenda monitio JCti, de non confundendis horum causis omnium, & inter sese, & cum proprietate sive dominio (d). Posthæc attendi qvoqve hic posset, qvomodo reliqva horum omnia sint, non tantum exercitii liberi, sed & rei ipsius subjectę vindicativæ; una servitus a. maximè in specie prædialium facultatum, sive qvà jus prædiorum dicitur, tantum exercitii liberi, non autem simul ipsius rei in qvam competit vindicatoria; fundum enim per qvem eundi ambulandi jus habet vigore hujus juris nemo vindicat sed servitutem (e). nec prædium fructuarium ut suum

(a) l. 17. de precar.

(b) §. 6. I. de hered qval. & differ. (c) l. 15. de V. S. l. 12 d. acqvir. poss. l. 5. pr. si usuf. pet. l. 26. de S. U. l. 30. in f. de excep. rei jud. l. 45. d. R. J.

(d) l. pen. de acqvir. poss.

(e) t. si serv. vind.

ſuum qviſqvam ſibi petit ab altero, ſed uſumfructum (a). Sed qvia hujusmodi perceptâ ſingulorum horum jurium naturâ ac conditione, per ſe facilis & collationis & diſcretionis poſſunt exiſtere; nec illa qvidem morabimur: ſed, qvid naturæ cujusqve in ſpecie ſit ac eſſe qveat, debeatqve, paucis ex obſervatione prudentum noſtrorum, qvorum auctoritas nobis in arte noſtra authentica eſt, commemorando proponemus. Qvia autem de dominio capite abhinc altero jamdum peractum eſt, ad ordinem vocat, & qvæ in re cognatio eſt (b), & ſeries Jurisprudentiæ (c), *Poſſeſſionem*.

(a) t. ſi uſufr. pet.

(b) per l. 3. §. 1. de acqv. poſſ. l. 78. de V. S.

(c) tit. 1. & 2. lib. 41. ff. t. 32. lib. 7. C.

CAPUT XVII.

De poſſeſſione.

I. Poſſeſſio res eſt effectuum in vita celebris:
II. In ſe conſiderata diverſa à proprietate ac uſu.
III. Itemq; à jure poſſidendi: Cum factum illa eſt factiqve facultas
IV. Naturalis,
V. Rem corporaliter tenendi
VI. Cum animi deſtinatione.
VII. Acqviritur ac conſtituitur & animi deſtinatione & corporali rei comprehenſione.
VIII. Hæc cujusmodi ſit actuum.
IX. De qvaſi poſſeſſione & jure poſſeſſorio.
X. Actus modusq; qvo animus facit ad obtinendam poſſeſſionem.
XI. De retinenda & amittenda, corpore ac animô, poſſeſſione.
XII. De poſſeſſione ſimultanea ac ſpeciebus variâ.

I.

POſſeſſionis & jus & factum, hoc eſt, & poteſtas poſſidendi, & poſſeſſio ipſa, multam habent ad commercia rerum, & qvæ juſtitiam horum conſiderat, diſciplinam juris,

celebritatem, multosqve signalatos effectus. In qvibus non prætereunda *Acqvisitio dominii rerum*, id qvod vel *cepisse ex naturali possessione Nerva filius ait* (*a*); declarans rem per primam occupationem rerum nullius. eandemqve, per possessionem, rerum acqvisitionem, ad multos casus ac circumstantias alias civilium observantia pertrahit; interponens modò, ab alio jure factam traditionem (*b*); factam rei ad rem nostram nobisqve possessam accessionem (*c*); continuationem ejusdem possessionis per tempus longius, lege pro effectu hoc definitum (*d*); addictionem atqve immissionem in rem ex causa juris hæreditarii (*e*), crediti (*f*) damni infecti (*g*) ex secundo [qvod appellant] decreto. Porrò aliud beneficium possessionis est, si modò cum bona fide est conjuncta, *lucratio* qvædam perceptorum etiam ex alieno *fructuum* (*h*). Aliud ejusdem *commodum in eo est, qvod etiamsi ejus res non sit, qvi possidet: si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio, propter qvam causam, cum obscura sint utriusq; jura, contra petitorem judicari solet* (*i*), *reusq; absolvitur, etiamsi nihil præstiterit. etiam vitiosâ possessione ei adversus extraneum proficuâ. non cogendus res alienas possidens, licet justam tenendi causam nullam habeat, nisi suam intentionem impleat, restituere.* (*k*) breviter, præstat possessio possessori, ut, ubi de aliqva re contentio oboritur, in pari causa ipsius conditio potior sit (*l*). Simile huic insigne qvoqve ejusdem possessionis beneficium, qvod qvicunqve *vi* à re *dejectus* est, *in momento restituendus* veniat ab eo qvi dejecit, licet & ipse vitiosè, h.e. vi, clam vel precariò vel ab ipso dejectore possederit (*m*). Taceo utilitatem, qvâ creditor qvod vel pignoris nomine, vel per missionem factam rei servandæ causa in possessionem, non teneatur, eandem rem dimittere, anteqvam de debito ipsi fuit satisfactum (*n*): & si qvædam hujus adnotantur utilitates pares. Forsan igitur juvabit, paucis hujusdem circumspicere à prudentibus annotatam rationem, qvà essentiam ipsam, qvà constitutionem, retentionem, ac amissionem.

(*a*) *l.1.§.1. tit. de acqvir. vel amitt. poss. ff. post hæc insigniendi ita: h. t. sive h.* (*b*) *l. 20. de A.R.D. §.1. per qvas pers. cuiq; acq* (*c*) *§.19. 20. 21. 31. & aliis I. d. R.D.* (*d*) *tit d. usucap.* (*e*) *tit. jur. de bō. pos. l.2. d. t. l.13. pr. de bon. poss. cōtr. tab. l.117. de R.J.* (*f*) *l.7 §.1. qvib. ex. caus. in poss. eatur. t. ff. & C. d. reb. auct. jud. poss. l.3. C. de jur. dō. imp. pet.* (*g*) *l.5. l.15 §.16. d. damn. infect.* (*h*) *§. 36. de R. D. §. 2. de offic. jud. l.3. de interd.*

(*i*) *§.4. J. de interdict.* (*k*) *l. ult. C. de R.V. l. fin. de acq. poss.* (*l*) *l.2. uti possid.* (*m*) *§.6. I de interdict. l.7. C. unde vi.* (*n*) *tit. de pignor. It. ex qvib. caus. in poss.*

II. Atqve primò qvidem hic præmonendi sumus, qvandò pos-

possessionem ut jus aliqvod peculiare hic consideramus, removendam fore ab hoc verbo, proprietatis, ac etiam usus significationem. Etenim id qvidem aliàs observare est. *Verbum possessionis, interdum proprietatem qvoq; significare* (*a*). Similiter & *usum* (*b*); unde ab hoc qvoqve usucapio dicta, qvæ est per possessionem capio (*c*). Et fortassis utriqve huic juri multum propinqvum est jus possidendi. ponamus enim hoc esse jus rei sibi attinendæ; & talem qvoqve dominii proprietatis conditionem aliqvam esse, per ante ostensa (*d*) potest patere. An autem & ab omni utilitate separari possit idem jus rei detinendæ meritò dubitaret, qvi finem huic sive facultati sive actui non negat, finem autem actuum in utilitate seu bono qvod impetitur, versari, admittit. Cæterum hisce non obstantibus, qvin aliqva facultas legitima dari possit, *rem sibi detinendi*, qvæ proprietatem non inferat, extra dubium collocatur, siqvidem consideratur, eam posse aliqvam talem esse, nec tamen *perpetim* sive cum fine ac arbitrio perpetuandi sibi suoqve etiam pleniori in futurum commodo, eam retentionem. Deinde etsi possessio usum intendat, potest tamen contingere, ut utraqve facultas non pari passu ambulet, dum detineri forte potest hodie res, ut cras, ut aliqvando, ad usum adhibeatur; qvinimo etsi concurrant utraqve facultas actusve, non tamen idem statim erunt; nec referet, qvò minus ut jura separata considerari qveant, etiāsi jus possidendi causam fortè præbeat ac fundamentum qvasi substernat juri utendi. Prorsus pervalere hic nobis debet potius illud JCti (*e*): *Permisceri causas possessionis & ususfructus*, (omnis generis usus) *non oportet; qvemadmodum, nec possessio & proprietas misceri debet.*

(*a*) *l.78.d VS. add.cap.14.n.12.* (*b*) *l.115. de V.S. Festus in verb. possess.* (*c*) *l.1. & t.t. de usuc.* (*d*) *d.c.14.n.16. & seqq.*

(*e*) *l.per. h.t.*

III. Præter hæc apprimè videtur hic prænotandum, non idem rei esse, possessionem & jus seu potestatem posfidendi, etsi sæpius conjunctim existant, etsi promiscuè nomine possessionis vulgo hæc insigniantur. imo ab utrisqve diversas esse facultates ac jura possessioni sive justæ seu injustæ conseqventia. *hac* ex parte num. 1. hic sunt enumerata. *jus in re possessorium*, qvomodo etiam citra possessionem veram modò consistat, modò eidem qvoqve conjunctum extet, inferius ostendetur, ubi de *possessione* ipsa, qvatenus constitutionem ac consistentiam naturalem habeat viderimus.

mus. Ubi qvidem principiô, si possessionem hanc ipsam, qvatenus etiam naturali modô accipitur, in sua qvasi principia velimus resolvere, videri potest, duo hâc contineri; ipsum naturale *factum* & *facultatem* rem sibi tenendi: & fortassis æqvè freqventer hæc facultas naturalis arbitrariè libera, nomine possessionis venit, atqve factum ipsum, qvando nempe de possessione acqvirenda, retinenda, amittenda disqvirentes huc penitus videantur respicere JCti, non ad factum possessivum, qvod potius ut constitutivum modò possessionis seu possessoriæ hujus facultatis, modò etiam ut facultati illi consectaneum ac exeqvutivum habebunt: scil. facultas qvidem hæc possessiva non est, nisi hujusmodi facti: unde etiam hactenus possessio, licet, ut facultas, factum non est, rectè tamen dicitur, plurimum facti habere, itemq; facti esse (*a*). qvin etiam ipsum factum qvandoqve possessio audit, ut patebit per subseqventia. Qvando autem id qvod possessionem, sensu altero, qvãdam *facultatem facti* dicimus, subaudimus arbitrariè liberam; qvod si enim libera non esset, nec facultas esset; qvatenus autem non arbitraria, sed necessaria in factum ferretur possessorium, & nunc proclivis videri posset mutandi nomen facultatis in id qvod necessitatis est, & non congruerent satis, qvæ inferius annotabuntur, de proëresi sive animo libero acqvirendi, tenendi ac dimittendi possessionem.

(*a*) *l. 19. ex qvib. caus. major. l. 3. § 3. b.*

IV. Est autem de possessione, qvatenus imprimis facultas facti est hoc singularis hic advertentiæ: eidem accidere, id qvod videtur ad hunc modum nulli facultatum alii, nempe, qvod de ejus constitutione, existentiæ ac consistentiæ essentialibus, juris ac jurisperitorum disqvisitio multa sit, etiam citrà respectum, justane an injusta, jurene an injuriâ existat; imo qvod ei citra hunc respectum, & in casu qvo reapse justitiâ omni caret, sui qvandoqve, tanqvam per jus effectus tribuantur: veluti ut contra qvemvis extraneum possessor, malignus licet, rem possessam tueri possit, imò ab ipso, penes qvem jus in eadem re potius est, vi dejectus, restitutionem impetrare debeat (*b*); & qvi sunt casus similes. & secus hæc qvidem; atqve dominio aut similibus accidit facultatibus, qvæ qvatenus jure non fulciantur, nullæ existunt, nec ut tales juris dispositionem, in commodum usurpantis, merentur. Dixeris hinc pullulas-

(*b*) *l. fin. C. de R. V. l. 7. C. unde vi.*

ſplaſſe, imò obtinuiſſe illud qvorundam veterum adſertum, licet alii contra ſentirent, qvò *in ſumma poſſeſſionis non multum intereſſe* dicerent, *juſtè qvis an injuſtè poſſideat* (a). Qvibus fortè non magnoperè obſiſtunt, qvæ alibi ex Papiniani definitionum libris producuntur (b), qvaſi *& plurimum ex jure poſſeſſio mutuetur:* qvod *poſſeſſio, non tantum corporis ſed & juris ſit:* qvia hæc multiplici ſenſu poſſunt accipi, citra qvod inferatur, ad omnem veræ poſſeſſionis conſtituendam eſſentiam, jus jurisq; conformationem vel approbationem reqviri. putà qvatenus ſaltem ea, qvæ citra injuriam alterius comparata ab aliqvô eſt, ac alicui extat poſſeſſio, jure fovetur firmatur ac ſuſtentatur; qvo de reſpectu etiam Papinianum in d. l. accipiendum exiſtimem. Imò ulterius, qvatenus accidit, à lege qvibusdam jus inſtar poſſeſſionis tribui, ratione effectuum, qvos aliàs vera poſſeſſio inferre ſoleat. Et deniq; qvatenus qvælibet poſſeſſio juſta injuſtaqve, legũ qvandã attentionẽ, ac ſi non cõſtitutionẽ, ac determinationẽ, ab iisdẽ, ſaltem terminorũ ei in ſeſe poſitorum, conſtitutorumqve effectuum delineationem adjectionemqve ſortiatur. Qvia igitur prima qvaſi ac vera poſſeſſionis eſſentia, citra ſingularem notabilemqve juris ad conſtitutionem ejus concurrentiam, per communem ac ſui qvaſi propriam naturam talem, exiſtit, forſan haud male cum JCtis & qvà factum & qvà facultatem facti eam *naturalem* dixeris, & ut aliqvid naturâ potius qvàm jure morali conſiſtens habebis.

(a) l.3.§.5. h.t. (b) l.49.pr.& §.1. h.

V. Ad ipſam autem ſpeciem facti, qvod vel poſſeſſio eſt, vel in qvod facultas poſſeſſoria ſeſe ultimò exſerit, ſi porrò propiùs attendamus, iſtud nihil aliud videtur eſſe, qvàm *rei per corporalem qvendam contactum prenſationemq; tentio ſive detentio.* Multùm hæc teſtantur enunciata JCtorum, ubi, tanqvam ex re ipsâ qvæ ſubeſt, illi *poſſeſſionem appellatam* autumant *à ſedibus* ſive, ut alii, pedibus, *qvaſi pedis-ſedisve-poſitio, qvia naturaliter tenetur qvid ab eo, qvi ei inſiſtit* (c): ubi deinde *naturalem cõprehenſionẽ* ei prærеqvirunt (d): ubi vocem *tenendi* cũ compoſitis ſuis pro hoc effectu crebrò uſurpant (e). Nervosè rem exprimit Nerva filius (f), *res mobiles,* inqviens, *excepto homine, qvatenus ſub cuſtodia noſtra ſint hactenus poſſideri: id eſt, qvatenus ſi velimus naturalem poſſeſſionem nanciſci poſſumus.*

(c) l.1.pr.add. l.3.§.5. h. (d) l.25.pr.h.t. (e) l.1.§.3. l.3.§.5. l.49. l.22. h. (f) l.3.§.13.h.

nam

nam pecus simul atq; aberraverit, aut vas ita exciderit, ut non inveniatur, protinus desinere à nobis possideri, licet à nullo possideantur &c. notari velim illa: *qvatenus, si velimus naturalem possessionem nancisci possimus* tanqvam, qvæ arbitrariam illam naturalem facultatem rem corporaliter prænsandi tenendive exprimunt. Manifesta prorsus res fit, annotaturqve à JCtis in casu, qvo qværitur de amissione possessionis, qvando ibi hâc amissâ facultate, toties & per varias ejusdem amissionis figuras, amissam qvoq; possessionem statuunt qvæ paulo post erunt repetenda.

(a) d.l.3. §.13. & seqq. l. 6. in f. l.7. l.25. l.47 h.t.

VI. Uti autem hujusmodi facti facultas de essentia constitutę possessionis est, ita tamen necdum tota ejusdem essentia isthac absolvitur, sed est, qvod præterea reqviritur: animus nimirum qvi dicitur, seu voluntas sive proæresis, rem qvandam hoc modo habendi ad facultatem. neqve enim qvælibet rei corporalis incubatio veritatem possessionis, ut qvidem vel in communi conceptu hæc versatur, statim infert, hoc enim modo tot possessiones forent qvot rerum fiunt ab homine contactus, accideretqve infinities, ut una solida res, veluti fundus, à pluribus insistentibus possideatur, qvorum tamen pleriqve omnes ipsimet nihil minus sibi arrogent, qvam possessionem ejusdem; qvin potius eandem alii lubentes tribuant. & notant hanc qvoqve rem pluribus Jureconsulti, *si in fundo sis, & tamen nolis eum possidere protinus amittes possessionem*, ait Paulus (b). paria habent alii & idem ille alibi (c). Pro definiendo distinctius utroqve hoc possessionis constitutivo, facultate facti cum facto ipso, scil. & animo possessorio, examinari hæc res solet in constitutione ipsa, & deinde in retentione, hujusqve contraria amissione.

(b) l.3. §. 6. h.
(c) l.1. §.3. 9. d. l.3. §.1. l.6. in f junct. l.7. h.

VII. Qvod constitutionem attinet possessionis, utrumqve & animum & corpus conjunctim reqviri, nec alterum sine altero huc qvicqvam facere disertè adseverant JCti: *Adipiscimur possessionē* secundum eos, *& corpore & animo; neq; per se animo neq; per se corpore* (d). *Nulla possessio acqviri nisi animo & corpore potest* (e) *& solo animo non possumus nos acqvirere possessionem, si non antecedat naturalis possessio* (f): ubi qvidem circa id, qvod à parte corporis hic reqviritur (de animo modò antè dicebatur) imprimis existimem adverten-

(d) l.3. §.1. h.
(e) l.8. h.
(f) d.l.3. §.3. & 6.

tendum, qvod, cum possessio constituta, etiam in *facultate* facti perduret; non constituatur tamen nisi per *factum ipsum*, *naturalis corporalis* ut vocant (a) *comprehensionis, possessionisve*; eoqve necesse sit, ut facultas facti, ad hoc ut formata possessio sit, à facto possessorio; (intell. autem semper simul cum voluntate ejusdem intentionis) inceperit. Id qvod naturali rationi vel maximè videtur congruere, qvod alioqvin, si sola animi intentio pro acqvirenda possessione sufficeret, jam omnes omnium possent simul in solidum fieri possessores, nedum unius rei: qvod tamen in absurdis facile à prudentibus reputatum est (b); qvibus *plures eandem rem in solidũ possidere non possunt, contra naturam qvippe est, ut cum ego aliqvid teneam, tu qvoq; id tenere videaris* (c). & amplius, *non magis eadem possessio apud duos esse potest, qvàm ut tu stare videaris, in eo loco in qvo ego sto, vel in qvo ego sedeo, tu sedere videaris.* Cujus tamen regulæ notabilis sive limitatio sive declaratio observanda est; qvod intelligenda sit de eadem specie ejusdemqve intentionis ac finis possessione cum aliàs diversæ intentionis respectu, pluribus eadem res teneri aut possideri possit, veluti si alter tenet ut custodiat, aut etiam ut usurpet rem, alter ut in futuram utilitatem paratam sibive propriam conservet (d). Verum utut etiam, de hujusmodi simultaneà possessione sese res habere possit; nulli tamen etiam qvælibet hæc, citra corporalem apprehensionem propriè acqviretur, qvando cogitatio ac intentio cujusq; sola non apta nata est, pro ea constituenda: cum nullam prorsus approbationem id videatur habere rationalis dictaminis. qvo sanè minus videmur doceri: qvemlibet possidere id omne qvod solummodò affectionem tenendi, imò etiam, qvod facultatem apprehendendi habet; donec nunqvam apprehendit. Sed sufficere hic forsan pro demonstratione potest tanta prudentum circa hanc rem conspirans ratiocinatio, ex qva exempla etiam paulò ante adduximus. cujus etiam insuper hæc observatio est, qvod, cum omnia jura nobis fortè in aliqva re constituantur, sola possessio nondum constituta censeatur, citra corporalem rei apprehensionem. verba Javoleni in casu hæreditariæ successionis hæc sunt (e): *Adita heredidate omnia qvidem jura ad nos*

(a) d.l.3.§.3.l.24.h.

(b) l.5.§. ult. commod. (c) l.3.§.5.h.

(d) per l.15.§.4.d.precar. l.15.§.18.de damn.infect.

(e) l.23.pr.h.

transeunt, possessio tamen, nisi naturaliter comprehensa ad nos non pertinet.

VIII. Qvando expeditum est, de comprehensione ipsa, qvod pro constituenda possessione necessaria sit; attendendum videtur ad *modum* hujuscemodi comprehensionis. qvi fortè non est unius modi, cum & res comprehendendæ, & facultas & commoditas comprehendendi non sint uniusmodi. nempe non nummuli tantũ, aut res aliæ extensâ palmâ cõprehẽsibiles; sunt, qvarũ possessionem homines sibi comparant atq; comparasse putantur; sed & prædia, tractus agrorum integri, greges pecudum, similiaqve, qvæ, minutim ac particulatim palpare ac contrectare, pro possessione in iisdem constituenda, nescio an hominum seriò agendi rationi ridiculam futilitatem illaturum sit. Nisi fallor, ipsa rerum sive continuitas sive coacervatio, fundum qvendam sternit, ut res majuscula ab una parte tacta tota tacta videatur. In terminis, elegans est JCtus (a) hisce: *Qvod autem diximus, & corpore & animo acqvirere nos debere possessionem: non utiq; ita accipiendum est, ut, qvi fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet: sed sufficit, qvamlibet partem ejus fundi introire, dum mente & cogitatione hac sit, ut fundum usq; ad terminum velit possidere.* Inde verò & affectanda usui vitæ commoditas, videtur svadere, ut varii corporis actus, qvomodocunqve rem aut rei aliqvid contingentes, pro tali rei apprehensione, qvæ possessionem jusqve possidendi in ea inferat, habeantur. eàqve in re multum fortassis mori recepto indulgendum est. Planè prudentes pro talibus habent, si cui res præsens ad oculum fuit monstrata, isqve eam tollere, aut sibi habere jussus fuerit, monstratione etiam de turri, eoq; & magis è longinqvô, factâ: si qvis rem, qvam fortè ita jussus est, sustulerit; si custodiam posuerit; si claves, si instrumenta rei tradita acceperit (b). addas, si rei signa more consveto alicui exhibita sint, veluti *si hasta aut aliud corporeum qvidlibet porrectum sit à domino feudi, se investiturũ facere dicente* (c). Non est fortassis, qvod ambigas, hujusmodi actibus aliqvid veritatis possessoriæ comprehensionis, rei ipsius subesse; cum, si non ipsius corporei cujusdam organi facultate actuqve pertingatur ipsa, ut integra est, res, qvod qvidem adhuc fit, si saltem oculis concipitur; tamen

(a) l. 3. §. 1. h.

(b) l. 1. §. 21. l. 18. §. 2. l. 51. h. l. 1. C. de dona. §. 45. J. de R. D.

(c) 2. II. F. t. 2.

men aliqvid, qvod fortè ex destinatione principalis traditoris, tanqvam pars ejusdem æstimatur, corpore attingatur.

IX. De loco videtur, hisce internotare: præter possessionem qvæ dicto modo corporali comprehensione rei constituitur, imò facultate apprehendendi servatur, dari etiam *legitimam* qvandam *qvasi possessionem rerum* incorporalium, & per conseqvens, corpore non tangibilium, plurium videl. in rebus jurium seu facultatum, veluti utendi fruendi eundi ambulandi &c. in qvibus ipsa inceptio ac continuatio usus pro possessione solet haberi (*a*), effectusqve possessionis præstare, putà ut & ipsa usucapiantur (*b*), ut interdictis possessoriis defendantur (*c*). Eqvidem, (repeti potest) cum nullus hic propriè contactus talium rerum est, facile obtinuit observari, possessionem qvidem propriè in eas non cadere: scilicet propriè *possideri possunt, qvæ sunt corporalia* (*d*); *Nec est possessio vera nisi rerum qvæ tangi possunt* (*e*). *Nec possideri intelligitur jus incorporale* (*f*). Unde sanè fiebat, qvod etiam dubitarent aliqvi peritorum, an usu h. e. tanqvam possessione usucapi jura illa possent (*g*)? Sed inqvam lex tamen hic aliqvid simile possessoriæ conditionis constituit, modosqve ac actus demonstrat, qvibus aliqva in hisce qvoq; *qvasi possessio* acqviratur, constituatur, veluti *per possessionem rei*, cui fortè tale qvid juris connexum est, ipsamqve *usurpationem juris* ejusdem (*h*). Qvin & rerum corporalium à lege sustineri solet vis jusqve possessorium, cum possessio reverà abest, amissaqve est, veluti cùm, *si qvis vi de possessione dejectus sit: perinde haberi debeat, ac si possideret, cum interdicto de vi recuperandæ possessionis facultatem habeat* (*i*). Nec dubitarem, qvin lege alicui de novo jus possidendi, citra alium qvendam corporalem acqvisitoris actum addici possit. En igitur & jus qvoddam possessorium constitui, itemqve consistens, sine corporali comprehensione aut rei hactenus comprehendendi facultate. Nec dubium porrò est, si sic citra realem possessionem hoc jus prahendi ac consistere potest, qvin cum ipsa vera possessione idem id qveat: & qvod qvidem id etiam faciat, qvoties lex hanc approbat confirmatqve. Qvæ igitur cum ita sint, ex dictis id nobis facile qvoqve colligere est, qvando possessionem in juribus in re computamus, id vel de illa, qvasi merè legitima pos-

(*a*) l. 10. l. 6. § n l. 8. *si serv. vindic.* (*b*) l. 3. §. 4. *de aq. qvot. & æstiv.* l. 3. 4. 7. *C. d. præscr. 30. vel 40. an.* (*c*) l. 3. §. 9. *uti possid.* t. *de itin. actuq. privat.* (*d*) l. 3. pr. h. (*e*) *ex Festo Gotho fr. ad d. l. 3.* (*f*) l. 4. §. 27. *de usuc.* add. l. 32. *de serv. urb.* (*g*) l. 14. *de serv.* (*h*) d. l. 32. *de serv. urb.* l. 20. *de serv.* (*i*) l. 17 h.

ſesſione intelligendum eſſe, vel etiam de naturali, qvatenus juſta eſt. h. e. juris approbatione fovetur. De cætero enim & facile manifeſtum videtur fieri, qvod qvæ injuſta poſſesſio, vera licet, ſit, juris in re nomen haud posſit mereri. dum e. c. nemo tale conceſſerit raptori aut alii rei iniqvo detentatori, poſſeſſor licet ſit. qvin hoc intuitu, ne adeptus qvidem videri qvis poteſt poſſesſionem, nedum ut tanqvam jus, adverſus meliori poſſeſſorio jure gaudentem, ipſi ea proficere posſit(*a*). Tametſi hactenus nonnihil muniminis etiam hujusmodi naturalis poſſesſio à jure fortè habeat, ut adverſus æq; jure inopem conſiſtere aliqvo modo injuſtus qvoqve poſſeſſor posſit, ut monitum qvoqve eſt ante.

(*a*) *per l. 22. b. l. 1. in fin. uti posſid.*

X. Conſtat, qvod & qvomodo ad conſtitutionem ſive acqviſitionem veræ poſſesſionis corporalis reqviratur rei comprehenſio; & qvomodo jus, aliqvid poſſeſſoriã facultatẽ præter, conformare, & ipſam inſuper naturalem corporeæ apprehenſionis ac facultatis poſſesſionem, jus in re poſſeſſorium conſtituere ſoleat. Præterea relatum antea qvoqve eſt, alterum veræ poſſesſionis conſtitutivum, animum eſſe. Reſtat monere, qvid per animum hic periti intelligant, aut qvid ejus neceſſariò pro hoc effectu hic reqvirant. Eqvidem tralatitium eſt, non ipſam animi ſive animæ eſſentiam hic ad conſtitutionem poſſesſionis poſſe concurrere, ſed qvendam ejus actum. jam verò qvia actus animi, qvatenus ad aliqvid verè humanô modô conficiendum concurrit, à capite nihil aliud eſt, qvàm ipſa humana προαίρεσις, ut Græci (*b*), *voluntas*, *animi deſtinatio*, *conſilium*, ut noſtri his aliisqve modis appellant (*c*), utiq; animi hanc deſtinationem intelligunt, ac intelligere debent, qvi animum dicunt ad acqviſitionem ſive ſibi faciendam conſtitutionem poſſesſionis reqvirunt. Et proinde illa ſupponere, qvæ ad veram humanam proæreſin reqviruntur, nempe ſcientiam ſive intellectũ rei, in qvâ hæc aliqva verſatur actio, ac deinde ipſa certi alicujus ut ſit, aut fiat, deſtinatio. Et ſummam & partes ejus luculenter edocent etiam prudentes noſtri in ipſa ſpecie hac. Illam, præterqvam qvod aliàs, *animi*, item *voluntatis*, ac ſimilibus, noſtro uſu generaliori hoc ſenſu acceptis vocibus, qvoties qvoties repetunt, alicubi *affectionem tenendi* benignè cum ſufficientis deſcriptionis

(*b*) *Ariſtot. 1. Eth.* (*c*) *l. 219. d. V. S. l. 12. 40. 76. de R. J. l. 33. de R. J. in 6.*

onis

onis exemplo, appellari videas (a). *Furiosus & pupillus, sine tutoris auctoritate* ait ibi JCtus *non potest incipere possidere, qvia affectionem tenendi non habent, licet maximè corpore suo rem contingant. sicuti si qvis dormienti aliqvid in manu ponat.* Hoc assertum, ubi de pupillo Ofilius & Nerva filius limitatum cupiebant, per id qvod non simpliciter omnem pupillum omni affectione tenendi carere spectabant, Paulus, hisce adstipulatus, declarat à parte facultatis sciendi seu intellectus, existimans hanc sententiam recipi posse, *si ejus ætatis sint, ut intellectum capiant.* atqve hoc reqvisitum deinde (b) in genere à persona principali ad vicariam hujus actus extendit: *Cæterum* inqviens *& ille per qvem volumus possidere, talis esse debet, ut habeat intellectum.* pertinet, ubi circa rem *ignorantiam*, possessionis ipsius destructivam judicant (c) imò ambiguam rei notitiam hinc excludunt, existimantes (d): *Incertam partem rei possidere neminem posse: veluti si hac mente sis, ut qvicqvid Titius possidet tu qvoq; velis possidere.* & iterum (e): *incertam partem* (fundi) *nec tradi nec capi posse, veluti si ita tibi tradam, qvicqvid mei juris in eo fundo est. nam qvi ignorat nec tradere, nec accipere id qvod incertum est, potest.* Ipsam delectam *destinationem* similiter sæpius pro hoc effectu inculcant iidem periti. Neratii & Proculi fuit: *Si Thesaurum in fundo meo positum sciam* (not. præsuppositam scientiam, & porrò voluntatis destinationem) *continuò me possidere, simul atq; possidendi affectum habuero.* pluribus hoc ipsum delectus conclusum repetunt in casu amittendæ possessionis, de qvo mox. Nec præterire videntur ab hac possessoria proæresi exclusionem inviti, qvod à violentia est, qvando *hactenus nos possidere* existimant, *qvatenus si velimus, naturalem possessionem nancisci possumus.*

(a) l. 1. §. 3. ff.
(b) §. 9. d. l.
(c) [illegible]
(d) [illegible]
(e) [illegible] med.

XI. Qvod attinet retentionem ac amissionem possessionis, in his qvoad corporis animiqve actus, diversitas occurrit aliqva ab illa, qvæ constituendi ejus ratio est. Namqve primò etiamsi, ut retenta habeatur possessio, utriusqve aliqvid reqviratur. & animi qvidem, idem hic, qvod ibi, ejus nempe *affectio tenendi*; à parte corporis tamen diversitas admodum notabilis est, qvod *non* ipsum tangendi, prænsandi, insistendi, aut qvocunqve alio nomine dicendum, *factum*, sed solummodo *facultas facti* talis reqviratur. Ut au-

autem deinde amittatur possessio, alterutrius dimissio aut absentia sive carentia in causa possit esse; Hinc igitur & hoc in respectu, sunt qvæ Jureconsultorum animadversionem præcipuè meruere: Nimirum retineri alicui possessionem, donec & animum & facultatem corporaliter rem attingendi habet; amitti autem ubicunq; alterutrum cessat sublatumqve ipsi est. Ut, qvomodo horsum se vertant primum intueamur. *In amittenda qvoq; possessione* inqvit
(a) l.3.§.6.h. Paulus (a), *affectio ejus, qvi possidet intuenda est; Itaq; si in fundo sis, & tamen nolis eum possidere: protinus amittes possessionem. Igitur amitti & animo solo potest.* Similiter concise ad voluntatis consti-
(b) l.17.§.1.h. tutionem pendere ac labi possessionē facit Ulpianus (b), connotata differentia, qvâ non eodem strictô modô dominium ejusq; interit9 à voluntate pendeat. *Differentia*, is inqvit, *inter dominium & possessionem hæc est, qvod dominium nihilominus ejus manet, qvi dominus esse non vult: possessio autem recedit, ut qvisq; constituit nolle possidere.* infert hinc porrò: *Si qvis igitur & eâ mente possessionem tradidit, ut postea ea restituatur, desinit possidere.* De facultate facti corporalis apprehensionis, qvod & eâ cessante, possessio desinat, pariter illi
(c) l.44.§.2. notant. (c). casus inter cætera ponunt, si qvis rem hactenus possessam sub custodia suâ non constitutam amplius & ipsam etiam animum, (siqvidem illum qvendam rationalem habet, ut servus) subtrahendi sese habentem, ubi sit ignoret. licet nemo alius hactenus possessionē ejusdē rei nactus sit. Nimirū *si id qvod possidemq ita perdi-*
(d) l.25.pr. *derimus, ut ignoremus ubi sit: desinimus possidere (d). Pecus simul atq; aberraverit, aut vas ita exciderit, ut nō inveniatur: protinus desinit à nobis possideri, licet à nullo possidētur. dissimiliter atq; si sub custodia mea sit, nec in-*
(e) l.3.§.13. *veniatur: qvia præsentia ejus sit, & tamen cessat interim diligens inqvisitio* (e). *Rerū mobiliū, neglectâ atq; omissa custodiâ, qvāvis eas nemo alius invaserit, veteris possessionis damnū adferre cōsuevit. alia causa est hominis cōmodati omissa custodia. nam possessio tamdiu vetus fit, qvamdiu nemo alius eum possidere cœpit. videlicet ideò, qvia potest homo proposito redeundi domino possessionem sui conservare &c.*
(f) l.47.h. (f). Deinde ponunt casum, ubi possessionem alicujus alter invasit veteremqve possessorem vi vel dejecit, vel saltem arcere videtur ita, ut spem habere is desinat, qvin sponte alter ille sive invasor sive usurpator sese admissu-

rus

rus sit. Ajunt *constare, possidere nos, donec vi dejecti fuerimus* (a). *Si qvis nunciet, domum à latronibus occupatam, & dominus timore conterritus, noluerit accedere: amisisse eum possessionem placet* (b). Insigniter notabilis hic videtur illa indulgentia JCtorum, qvâ veteri possessioni, qvasi aliqvam sive coëxistentiam sive contiguitatem sive præcellentiam præ nova injusta tribuunt, donec vel ignorat iste possessor ab alio possessionem suam occupatam, vel etiam rescissens in suspicione ac spe adhuc persistit, fore ut alter ultrò cedat aut facili negotiô depellendus sit. possunt videri ipsi (c). Dico autem hoc indulgentiam: nam alioqvin, ad strictam rei naturam respicientes, ex iisdem aliqvis, qvi isthæc, respondet (d) ait: *si rem mobilem apud te depositam, aut ex commodato, tibi possidere, neq; reddere constitueris, confestim amisisse me possessionem vel ignorantem, responsum est.* & simile altero loco asserit de re immobili. Qvod hisce, qvâ summam, obloqvi videtur, responsum Pauli (e): qvasi non solô animô, non solô corpore; sed *nulla qvidem possessio amittatur, nisi in qvâ utrumq; in contrarium actum sit.* communi interpretum distinctioni nunc remitto, qvâ hoc intellectum volunt, de ea dimissione, in qvâ corporalis desistentia præcessit. Ex eo autem qvod ostensum est, amissô alterutrô, & animô videl. & facultate facti possessoriis, amitti possessionem, facile conseqvitur, ut retineatur eadem, utrumqve junctim prorsus reqviri. neqve fortassis dubium habere res potest; modo intelligatur, qvid sibi velit illa JCtorum Regula, qvâ toties ingeminant (f): *Solo animo qvoq; possideri, ac possessionem nobis retineri.* nimirum qvod possessio semel, una cum animi destinatione, corporali rei comprehensione constituta, ad sui persistentiam non reqvirat, ut continenter ac sine intermissione eidem rei corpore incubetur; sed sufficiat hactenus, si modò idem perduret animi consilium: qvod adeò in regula facto possessorio ipsi opponitur, non facultati isti: qvam, uti ostensum est, (g) necessariò sibi reqvirit conjunctam hic animus, ut possessio conservata consistat.

XII. Regula est juris, cujus etiam suprà facta est mentio, *Plures eandem rem in solidum possidere non posse* (h). hujus limites nisi probè disponantur, & juxta eosdem regulentur, qvæ passim pos-

ses-

(a) l. 3. §. 9. h.

(b) d. l. 3. §. 8.

(c) l. 25. §. 2. l. 6 in fin. junct. l. seq. l. 18. in f. h

(d) l 47. h. It. l. 44. in fin.

(e) l. 8. h. t. l. 153. d. R. J.

(f) l. 3. §. 7 l. 25. §. 2. l. 46. l. §. 5. J. de interdict.

(g) ex l. 3. §. 13 & c. h.

(h) l. 3. §. 5. h. l. 5. §. 15. cõmod. l. 19. de precar.

ſesſio & non poſſesſio, poſsideri & ab hoc & ab illo dicuntur, prælium aliqvod legale, opinor, ſpectabis in templo juſtitiæ romanæ committi. *Is*, ait ex Marcello Ulp. (*a*) *qvi rogavit, ut precariò in fundo moretur, non poſsidet: ſed poſſeſſio apud eum qvi conceſſit, remanet. nam & fructuarius* (inqvit) *& colonus & inqvilinus ſunt in prædio, & tamen non poſsident.* idem qvod hoc loco hiſce, alibi iisdem & præterea aliis, veluti & ei *qvi legatorum ſervandorum cauſa, vel dotis ventris q; nomine in poſſeſſione eſſet, vel cui damni infecti nomine non cavebatur*, hic negat (*b*). adſtipulantur & alii (*c*). Econtra poſſesſio aſſeritur ab iisdem etiam auctoribus, ei qvi precario detinet (*d*), ut & reliqvis iſtis modò memoratis (*e*). aſſeritur verò & earundem rerum poſſesſio iis unde hi res illas precariò aut alio titulo habent (*f*). Similiter poſſesſio rei pignori datæ modo tribuitur creditori (*g*) modo etiam debitori ſeu domino (*h*). Hanc pugnam, obſervare eſt, multis modis dirimere tentaſſe JCtos, ubi diſtinxerunt inter eum qvi civiliter & qvi naturaliter incumbat poſſesſioni (*i*): inter poſsidere & in poſſeſsione eſſe (*k*) inter animo & corpore (*l*), juſtè & injuſtè (*m*); ſibi & alteri ſuo & alieno nomine (*n*) poſsidere: inter cauſas deniqve & fines, qvos diverſos habere poſſunt plures ejusdem rei poſſeſſores (*o*). Exiſtimaret qvis, rem tantæ ſive disſonantiæ ſive difficultatis non eſſe, ſiqvidem probè attendatur, in qvô poſſesſio conſtituta propriè conſiſtat, nimirum in deſtinatione & facultate rem ſibi tenendi: deinde, qvomodò alicui etiam præter poſſesſionem propriè vel conſtitutam vel conſiſtentem, jus poſſeſſorium competens datum eſſe posſit: & deniqve qvomodo etiam, à pluribus eandem rem deſtinatò teneri diverſum in finem cauſamqve, ſiqvidem ſeſe mutuò patiantur, aut etiam pati cogantur, nihil magis abſurdi videatur involvere, qvam ſi duo pluresve, aliàs etiam pro indiviſo unam aliqvam rem posſideant, ut fieri qvidem poteſt (*p*). Qvibus adeo obſervatis, forſan minus difficile eſt ante propoſitam regulam per omnes iſtos ſcrupulos ac aſperitates ſalvam perducere. Si nempe accipiatur de poſſesſione uniusmodi, vel naturali ſive propria, vel etiam de ea qvæ per legem qvaſi talis ſeu jus poſſeſſorium tantum eſt. ſi de eodem reſpectu finis accipiatur: ſi in aliis omnibus par ejus conditio apud diverſas perſonas

(a) l.6.§.2. de precar. (b) l.9 de R.V. l.5.§.1 ad exhib (c) l. 1.§.22.h. (d) l. 2.§.3. l.4. de precar. (e) l.3. in f. l.4. ad exhib. l.49. h. tit de damn. infect. qvod legat. de ventr. nom. in poſſ. &c. (f) l.3.§. 1.h. l.15.§.4.d. precar. l.36.h. (g) l.37. pr. de A.R.D. l.36. (h) l.1.§.15. h. t. l.33.§. de uſucap. (i) l.3. in f. ad exhib. (k) l.10.§.1. l.3. §.21.h. (l) l.15. §.4. de preca. (m) l.3. §.5. h. (n) l.2.C. de præſcr. 30. vel 40. ann. l.2.C. ubi in rē act. (o) l.16. d. uſucap. l.1.§.15.h. t. (p) per l.8. de R.V.

ſonas concipiatur. atqve ſic fortaſſis manebit ſemper vera. alioqvin qvod plures ejusdem rei poſſeſſores etiam in ſolidum rei objectæ, veluti fundi, eqvi &c. qveant eſſe, id minus fortaſſis habet dubii, ſiqvidem concipias, alterum corporaliter rei incumbere, ac potenter prohibere alium ne accedat tangatqve aut retineat, alterum jus poſſeſſorium lege ſibi reſervatum habere poſſe: alterum deinde facultatem rei poſſe habere eâ intentione & effectu ut colat, fructus percipiat, aut aliter re utatur, alterum habere eandem facultatem in finem ut ſibi rem propriã conſervet. fortaſſis igitur & diſplicere alicui Labeonis ac Pauli poſſent ſubtilitates(a) qvibus cùm ille Trebatium reprehendit, qvaſi minus rectè ſtatuiſſet eandem rem *alium juſtè alium injuſtè poſſe poſſidere*. qvid enim, ſi juſta poſſeſſio de ea accipiatur, qvæ jus poſſidendi eſt, injuſta, de ea qvæ aliter naturalis vera. tùm verò hic, res poſſeſſas nimis ad unum punctum redigere videtur. qvid enim impediat, qvò minus in latifundio aliqvo, uno licet, plures ſimul poſſint conſiſtere, ſibiqve pro ſuo modo id ipſum tenere ac retinere, magis oculei erit videre. Qvod attinet ante memoratas diſtinctiones JCtorum, egregie hic qvidem juvant, qvamvis præter eam qvæ de cauſis poſſeſſionis diſtingvendis eſt (b); pleræqve ita ſint comparatæ, ut pro extricatione dictarum colliſionum, magis deſiderent ſibi afferri ſenſum, qvàm ut afferant. Qvid enim, (ſi naturam rei vocisqve ſpectes in ſeſe,) differant *poſſidere & in poſſeſſione eſſe*, citra additam ulteriorem explicationem, cuidam œdipo hariolari forſan committeres. *civiliter* utiqve & *juſtè* & *pro ſuo aliqvo fine ac nomine*, poſſident omnes illi qvi leqviori qvodam jure, ſui causâ, puta utendi fruendi, colendi &c. rem & ipſi legitimè tenent. qvibus etiam accidere poteſt, ut *ſolo animò* eandem teneant poſſideantqve, per modum qvo animo posſidere, phraſi legali accipitur. Neqve fortasſis vice verſa proprietariis, & ii qvi alii ſunt jure qvodam potiori aliò in rebus gaudentes, ſimpliciter adimi debet, (ſi poſſesſionem pro facultate facti accipis,) naturalis aut corporalis poſſesſio, utpote qvi pro ſuò fine eâ non ſint excluſi. Non diffiterer qvidem ſimpliciter, qvod proprietarii, per uſuarios omnis generis à ſe conſtitutos & ipſi qvodammodo poſſesſionem ſuam exerceant, ſibiqve posſideant (c);

(a) l.3.§.5.h.t.

(b) ex l.16. de uſucap.

(c) l.25.§.1.h.

Ddd modo

modo nec negetur, hosdem juxtà etiam ſuam rem agere ſibiqve ſimul ad ſuum finem poſſidere, donec perſonæ liberæ, nec prorſus lege in vicem inſtrumenti illorum conſtitutę ſunt, veluti accidebat jure romano ſervis & filiisfamilias, qvi ut acqvirere alia, ita & poſſeſſionem non ſibi ſed dominis ac patribus tantum credebantur & acqvirere & tenere (*a*). Imò verò etſi qvæ liberæ perſonæ hoc expreſsè agant, ut *alienæ poſſeſſioni miniſterium præſtent*, & haſce qvaslibet alieno nomine, & alios per ipſos etiam ignorantes poſſidere poſſe (*b*) haud eſt ambigendum. Sed ſubnixis poſſesſione properandum nunc qvoqve eſt ad uſum.

(a) l.1.§.5.l.49 l.3.§.12.l.24. h.§.3.J. per qvas perſon. cuiq; acqvir. (b) l.18.pr.l. 42.§.1.h.§.5. J. per qvas perſon. cuiq; acqvir.

CAPUT XVIII.

De poteſtate utendi rebus.

I. Uſus eſt rei noſtræ, communis, nullius, alterius.

II. Noſtræ rei uſus pars eſt dominii; idemq; vel plenior eſt vel reſtrictior.

III. Communiſſimus uſus eorum eſt, qvæ naturali jure ſunt ac dicuntur communia omnium.

IV. Ut & eorum qvæ JCtis dicuntur nullius:

V. Si rei veritatem ſpectemus.

VI. Communis communium rerum uſus per omnis generis communitates aliqvis eſt.

VII. Hujus norma generalis eſt, ne exerceatur cū injuria alterius.

VIII. Ad modum cuiq; ex ſingulis competentem.

IX. Uſus alieni, eſt vel creditæ ſibi rei;

X. Vel communicatæ permiſſionis;

XI. Vel rei cum opinione dominii acceptæ.

XII. Uſus rei alienæ amplior ac facultatum anguſtior, ad nomen dominii ſolet pertrahi:

XIII. Qvi autem his minus amplus exiſtit, jus, ac minus propriè (ſervitus dici.

XIV. Servitutes juraq; hæc reſpectu dominantis potiſſimū diſtincta.

XV. Perſonarum ac rerum ſunt: itemq; mixtæ conditionis.

XVI. Perpetuæ poteſtatis.

I. Uſus

I.

USus est directio rei ad suum cujusq; finem (a); qvi & cuiqve sive verum sive apparens est bonum: *Utile* est qvod qvidem, ut ita à qvoqvam dirigatur, aptum natum factumve est: qvi igitur rem aliqvam hoc modô utilem ad suum finem bonumqve dirigere jure pollet, eum *potestatem re utendi*, qvam & *usum* stilô communissimo latinus sermo effert, habere, consentaneum est dicere. Qvando autem omne utile, omnisqve res, qvæ sub potestatem utendi hominis cadit, vel propria utentis, vel eidem cum aliis communis, aut etiam, si qva talis datur, nullius, vel deniqve cujusdam alterius propria est; seqvitur, *potestatem utendi*, usumve, qvi jure nobis competere potest, esse, vel rei *nostræ* propriæ, vel *communis*, vel *nullius*, vel *alienæ sive alterius*.

(a) *Arist. 1. Eth. c. 5.*

II. *Nostræ rei usus* (liceat pro facultate utendi hâc voce imposterum ubi commoditas dicendi ita fert, uti) ut per superius commonstrata (b) liqvet, pars est plenioris dominii: atqve sine dubio idipsum est, cujus causa dominia rerum propria præprimis affectamus, & qvod illius ambitu contineri qvàm maximè cupimus, qvippe nostri boni causa, ut omnia, ita & dominia in res, resqve ipsas nobis appetimus: ad bonum autem ex re capiendum citra illius usum neutiqvam est pertingere. Usus autem ut omnis, ita imprimis rei cujusqve suæ, varius, variæqve potest esse capiendæ utilitatis. qvando ejus est, posse aliqvem cum suis, ei rei, si soli est, inniti ac insistere; eam modô omnigenô transire; alia inibi servanda ponere ac munire; fructus inde, & qvos natura protrudit, & qvos industria elicit, & qvos commercium parat, capere, & ad alia, qvæ vitæ commoditas, augmentum, splendor, exigit, & ipsius cujusqve rei natura fert, eam adhibere. Cæterum hîc fortè perspicuæ per vitam adnotationis est, contingere, ut etiã rei suæ qvisq; modò plus modò minus usus habeat; Plus imò longè plurimum, ubi fortè omniũ istorum modo memoratorum habet facultatem, & qvidem cum plenitudine qvadam arbitrii; Minus, imò minium, si fortè facultatem omnis generis fructus ex eâ percipiendi, (usumfructum no-

(b) *cap. de domin. rer. vid. l. 4. de usufr. § fin. J. eod.*

ſtri appellant) non ipſe ſed alii ceſſam ſibi habent. nec qvicqvam ipſi fortasſis proprietario reliqvum eſt, qvam qvod in facultate commercii habeat proprietatis jus, etiam ipſum, posſibile, adhuc multum reſtricti arbitrii, fideicommiſsô familiæ fortè, obligatione pignoris aut ſimili onere, qvod eandé rem, gravati. Et videtur ferè hoc qvidem conſeqventiæ univerſalis eſſe, qvod, admiſsô & jure aliis in re noſtra competente uſu, (id qvod fieri praxeos communisſimæ eſt,) uſus noſter aliqvod libertatis detrimentum patiatur. Ita nempe uſufructu alii conceſsô, imò ſaltem uſu qvolibet, lege conventionis aut obligatoriâ alia, alii munitó, hactenꝰ domini facultas libertasq; eâdem re ſuâ utendi minuta eſt, ne qvid faciat, qvo juri alterius præjudicetur aut detrahatur. Tota fructus percipiendi facultas ſiſtitur proprietario, in re qvadam ſuâ, uſufructu ejusdem alii competente (*a*). ita ob dotis marito, bonorum adventitiorum fructum patri competentem, dominium naturale uxoris proprietasqve filiifamil. caſſa ſunt uſu (*b*). De uſu alteris rei noſtræ communicato, qvem ſervitutis nomine Jurisperitia noſtra inſignit, veluti eſt eundi agendi paſcendi & ejusmodi reliqva in noſtro aliis faciendi, recepti axiomatis eſt, dominum hujusmodi ergò obſtrictum eſſe *aliqvid in ſuó pati aut non facere* (*c*), intellige etiamſi ut faceret id aliàs ſuæ utilitatis futurum eſſet. Conductoris, commodatarii jus, efficit, ne ſuô more ac arbitriô, interea dum illud durat, dominus re ſuâ uti posſit (*d*). Imò qvia partem noſtri bonorumqve noſtrorum patria ac reſpubl. ſibi; ſuoqve uſui vindicat, imò & ipſa qvæ ſua ſunt, ſancta expetit religio: qvantum harum intereſt, noſtris abſolutè utendi abutendive arbitriô qvisqve caremus (*e*). Deniqve & variæ cauſæ aliæ, qvæ non propinqve tantoperè attingunt uſum alteri modo nunc in re noſtra competentem, per diſpoſitionem legitimam, poſſunt eſſe, ut ne plenum pleniorem aut plenisſimum rei vel omnis vel cujusdam noſtræ uſum posſimus habere, imò fortè pro noſtro arbitrio non niſi minutisſimum, veluti ſi pupillus qvis ſit, ſi prodigus, cui bonis interdictum; ſi res qvædam in manu alterius pignori poſita ſit (*f*). Pleniorem ac minus plenum, magis ac minus reſtricti arbitrii eſſe, qva-

(*a*) per l. 75. d. jur. dot. l. 6. C. de bō. qvæ lib.
(*b*) tit. & tot. mat. de uſuf.
(*c*) l. 15. §. 1. de ſervit. l. 6. § 2. ſi ſerv. vind.
(*d*) per l. 15. locati. l. 17. §. 3. commod.
(*e*) per §. 2. J. de his qvi ſui vel al. jur. Matth. 22.
(*f*) t. de auct. tutor. l. 1. de curat. furioſ. §. 7. de act.

qvalitas est, qvam de usu rei nostræ in transitu hîc subnotatam volui; de cætero eum nunc linqvo.

III. Communis communium rerum usus, prout aliqva amplior & amplissima est communitas, communis communior ac communissimus erit. Communissimus est usus rerum, qvas Deus ac natura qvasi humani generis communitati largitus est, è qvibus etiam Jurisperitis nostris *naturali jure communia sunt omnium hæc, aër, aqva profluens, mare, & per hoc litora maris* (a). Adderes sacris edoctus oraculis (b) animalia fera & pisces maris & reliqva, qvæ suggerit humanitati natura, donec particulatim à nemine proprietati aut juri cuidam proprietario sunt subacta. Usui autem communissimo hominũ illas res omnes prostare, (præterqvam qvod in aliqvo frustraretur effectu divina largitio, si diversum statueretur, qvid enim sine rei usu vellet sibi ejusdem communitas?) vel inde evincitur per naturã, qvod aptæ illæ natæ sint usui hominũ omniũ, à nullis autem hactenus tota occupari & usui proprio dicari potuerunt, nec poterunt unqvã. Nostri naturalis justitiæ indagatores, facilè id agunt, re ipsa edocti, facile isthuc qvoqve feruntur, imò penitus in eo sunt, si qvid agant attendas, ut communionem illam talium rerum per usum & omnibus & singulis haud impediendum explicent. De aëre & aqva profluente (adderes de communi luce & si qvid simile natura habet) rem, ut extra omnem ambigendi rationem constitutam, communi omnium rationali confessioni relinqventes; qvando litora & litoralia imprimis maris impotenti singulorum appetitui viciniora, atqve per hoc turbatæ mentis imperitiæ obnoxia magis videbant, ut usui qvorundam magis propria assererentur. etiam à capite ipso orsus celsus (c) esse ait *arbitror maris communem usum omnibus hominibus ut aëris: jactasq; in id pilas ejus esse, qvi jecerit.* alii *navigationem, piscationem*, aliosqve usus propinqvi maris injuriarum actione tuentur (b) *communem litoris usum* qvasi catervatim vindicatum eunt dicti prudentes (e).

(a) §.1. J. de R.D. (b) Gen. 3. & 9. Psal. 8. (c) l. 3. ne qvid in loco pub. add. l. 2. §. 2. eod. l. 30. in fin de A R.D. (d) l. 2. §. 9. ne qvid in loc. pub. l. 13. §. ul. de injur. (e) l. 4. ne qvid in loc. pub. d. l. 2. §. 8. eod. l. 14. de A.R.D. §. 1. & 5. J. de R. D. (f) l. 1. §. 1. & ll. seqq. de A.R. D. §. 12. & seqq. J. de R.D.

IV. Simili prorsus modo communissimam hominibus omnibus iidem periti vindicant (f) facultatem utendi animantibus feris in sicco ac madido viventibus, ut & rerum aliarum suis sigillatim corporibus per species numero corporum amplissimas eidem usui pro-

proſtantes. Niſi qvod hic ſtilum ſermonis nonnihil mutent, objectum rerum *nullius* dicentes, qvod ibi *commune* appellarent: item qvod iſthic *uſum* hic fere *occupationem* ſive facultatem occupandi, deſignantes. Neqve verò & ratione deſtituuntur, qvare ita mutent; qvando iſthic res magni & qvaſi per univerſum diſtenſi corporis deprehendunt, eoqve per ſui naturam communiſſimo ut contactui, ita uſui, ſi ut totas ſpectes, ſemper aptas; hic verò & minuſcula corpora, & nec ita ut illa vel apta nata, vel communi contactui proſtantia. Deinde iſthic obſervant, talem rerum naturam, qvâ iſtæ res totæ, imò pars, ne qvo ad particulas qvidem, uſu poſſint abſumi, eoqve vel partialem vel etiam temporalem ſolummodo uſum ſine abſumptione admittere; ſed nec proinde totas unqvam imò nec ferè qvoad certas partes, in perpetuum alicui, ad communem modum proprias fieri: Contra verò accidere hîc, ubi & tota ut exiſtunt integra appropriari qveant, imò debeant certis, nec utilitatem præſtare poſſint niſi & totæ ab aliqvibus detineantur, imò abſumantur. Nec verò & diſſimulant, ad hanc naturam modumqve uſus ſeſe attendere, qvando & communes omnium illas res dicunt & communem earum uſum aſſerunt, dum ferè partibus ipſarum de perſona in perſonam tranſitorium uſum adſcribunt, deqve earum conditione poſtqvam jam corporali modô incubari deſierunt, autumant, eas rurſus communi patere uſui, ut prius *(a)*; nec adeò detineri animô, earum vel poſſeſſionem ac dominium, donec modo facultas prehendendi ſupereſt: Id qvod aliàs in cæteris minutioribus mobilibus ac moventibus undecunqve occupatis rebus obtinet *(b)*. Inqvam, cum hujusmodi diverſitatê & in natura & in modo uſus iſtarũ rerũ, qvę humano generi ejusqve utilitati ac facultati communiter datæ ſunt ac proſtant, deprehenderunt periti: qvâ nempe aliæ cum qvâdam continentia eſſent qvaſi diſtenſæ per hoc univerſum, omnium ſimultaneo contactui uſuiqve tota, & per partes, (qvæ fere nec ipſæ plurimùm abſumibiles erant) alternatim, expoſitæ; contra verò aliæ, ut ſingulæ exiſtunt integræ, non ita ſint natura comparatæ, ſed nec ita diſtenſæ ad omnium usqve palmas, nec etiam uſum talê vel in toto ſemper vel in parte alternatim accipere poſſint: Hinc illas res com-

(a) l. 5. inf. & l. 6. pr. de R. D. l. 14. d. A. R. D.
(b) per l. 3. §. 15. & ſeqq. de acqvir. poſſ. §. 15. J. de R. D. per l. 1. & 23. de R. V.

communes, has *nullius*, appellarunt: illarum communem *usum*, harum communem hominum *occupandi facultatem* statuerunt. Atqve hanc qvidem posteriorem, si qvis penitius ad lingvam vellet accedere JCtorum, appellaret *potestatem occupandi res nullius*; si autem ex parte digredi, ex parte autem cum iis manere: potestatem *utendi rebus nullius* qvam proinde in horum venerationem, etiam propositis huic discursui membris ab initio (*a*) hôc nomine inserere libuit. (*a*) *num.1. hoc cap.*

V. Cæterum si interea rem ipsam paulò propinqvius velimus intueri: & *res istæ nullius*, qvæ dicuntur, *communes hominum omnium sunt*; & hominum *illas sibi occupandi facultas* earundem his *usus communis* est. Illud jam supra (*b*) demonstratum fuit, ut & hoc; ubi ostensum est: *Nullius* hasce res nō simpliciter sed in respectu ad certos hominum dici; communes a. esse eas, qvia communiter à Deo & natura humano generi datæ, ejusqve communi dominio subjectæ sint: eas verò occupandi facultatem, partem potissimam esse illius universalis in eas concessi dominii, imò earum qvasi totum humanum utile dominium. multis igitur isthic dicta nunc repetere non est opus. Saltem hic adhuc juxtà attendi velim, Juris nostri auctoribus in more esse, non hasce solummodo res, sed & illas, qvas aliàs *communes omnium* dicunt (*c*), *nullius* res insignire (*d*), imò utrumqve genus & in respectu ad dominium, & in ratione occupandi tanqvam sibi paria comparare (*e*): Deinde nec esse alienum à genere ac naturâ usus rerum, ipsas illas qvasdam, ex universiate qvadam rerum discretis corporibus existente, sigillatim suô spiritu & corpore existentes res, habere facultatem prehendendi occupandive, & porrò consumendi: scilicet ita & paterfamilias utitur grege ovium, multitudine pomorum, aliorumqve ex arboribus ac terra nascentium fructuum; imò non partium tantum integri, sed & totius usum in abusu posse consistere, sunt ex nostris qvi notant (*f*). Qvid igitur, si universum animalium, avium, piscium, aliarumqve similium rerum genus, hominum communitati datum, & hactenus extra restrictius certorum dominium consistens, ad istiusmodi usum communem eidem prostare dicamus? Atqve

(*b*) *c. 4. n. 12. seqq.*

(*c*) §. *1. J. d. R. D.* (*d*) §. *5. in eod.* (*e*) *l. 14. pr. de A. R. D.*

(*f*) *ad l. 5. §. 1. de usufr. ear. rer. qvæ us. cons. §. 2. J. de usufr. l. 2. §. 1. de reb. cred.*

Atqve usus hic qvidem est qvarundam rerum communissimarum communissimus.

VI. Communis communium rerum usus, pro communitatum amplitudine ac restrictione, & amplioris & restrictioris potest esse communionis. Potest communitas pluralitate personarum à binario ad innumerum ascendere numerum; potest à numerosissimó numerô descendens ad binarium usqve restricta extare. Ut autem qvæ hoc modô gradu infinitam protensionem habent κρίσιν contemplantium morari, & ut figatur facere qveant; & moris est &, necessitatis, hujusmodi ad qvasdam redigere & partes & terminos, qvibus distinctius considerentur. ita culpa JCtis distingvitur in latam, levem & levissimam; ita hoc in casu sub genere cõmunitatis sunt Respublicæ; sunt præter has universitates, corpora, collegia personarum. Sunt domesticæ, sunt ob certa exercenda commercia contractæ societates; sunt deniq; cõmuniones aliæ. Sunt aliqvibus harum, res publicæ, bona publica, res bonaqve universitatis dicta, veluti flumina, portus, viæ, theatra, stadia, pascua, prædia & his similia (a) sunt aliis partes & suppellex domus, mercimonialia, & communia alia. Qvæ qvidem omnia illis, qvibus istis modis communia sunt, communem aliqvem solent præbere usum. Ita nempe qvia *flumina penè omnia & portus publica sunt; ideoq; jus piscandi omnibus commune est in portu fluminibusq; (b).* Qvia *riparum qvoq; usus publicus est, itaq; naves ad eas appellere, funes arboribus ibi natis religare, onus aliqvod in his reponere, cuilibet liberum est, sicut per ipsum flumen navigare.* simile judicium esto de reliqvis pro aliqvo usu eorundem singulis competente. Itemqve de rebus universitatum aliarumqve communitatum pro suo modo. namq; & duo qvi commune tenent musæum, aut communem habent eqvum, aut rem qvamlibet communem singularem aliam, communem aliqvem ejus rei solent habere usum.

(a) § 2.4.6. & seqq. de R.D. l.16. & seqq. de V.S.

(b) § 2. J. de R.D.

VII. Qvod communium rerum cujusqve communitatis communis sit usus, ad usqve singula communitatis membra ejus participantia, forsitan in thesi verissimum est & præterea extra dubiũ collocabitur, modò juxta limitem consistentiæ qvem communi confessione habet ad modum pauló diligentius attendatur, qvi

qvi singulis potest esse in omnibus non uniusmodi. Qvod limitem communem attinet ille qvidem generalissimè à JCto (a) proponitur: *Ut sine injuria cujusqvam* (is usus) *fiat*; fulcitus universalissimô illô naturalis justitiæ axiomate, qvô *jure naturæ aqvum est, neminem alterius detrimento ac injuriâ suam conditionem facere meliorem* (b). Et habet generalis illa norma brachia duo, unum, ut ne singuli cum detrimento communitatis totius qvicqvam in re communi pro suo usu faciant; alterum, ut nec singulis ex communitate membris, aliisqve juris communione secum viventibus, damnum injuriâ iidem hoc usu inferant. utrumqve sedulò porrigunt Jurisperiti, & junctim & separatim id ostentantes. *Interdicto* prætoris prohibitorio: *Ne qvid in loco publico fiat, qvâ ex re qvid illi damni detur: tam publicis utilitatibus qvàm privatorum prospicitur*, secundum ipsos (c). In communibus jure gentium ac publicis, qvoad abstinentiam à publicâ injuriâ, ita rem profert mediante maris exemplo Celsus (d): *Maris communem esse usum omnibus hominibus, ut aëris sed id concedendum non esse, si deterior litoris marisve usus eô modô futurus sit.* Et hinc Scævola (e): *In litore jure gentium ædificare licere, nisi usus publicus impediret.* pertinent *interdicta: Ne qvid in loco sacro: in mare itemq; portis & aliis sanctis locis fiat. Ne qvid in flumine publico ripave ejus fiat, qvò pejus navigetur* (f). De abstinentia ab injuria privatorũ per ejusmodi communiũ usum similiter statuunt ita: *Neminem ad litus maris accedere probiberi, dum tamen à villis, & monumentis & ædificiis* (hæc autem privatorum solent esse) *abstineant* (g). *Si qvid in locis, qvæ publico usui destinata sunt fiat, qvod privato noceret, prætor intercedebat interdicto suo* (h). *Aqva ita demum permittitur ex flumine publico duci, si citra injuriam alterius fiat* (i). Qvæ ratio hæc est usus publicarum & jure gentium communium rerum, ea & reliqvarum ejusmodi, vel privatorum privatim communium est. *Sabinus* teste Papiniano (k) æqvum existimavit, *in re cõmuni neminẽ dominorũ jure facere qvicqvam, invito altero posse. Qvod si qvid absente sociò ad læsionem ejus fecit; tunc etiam tollere cogitur.* Planè qvicqvid, fructuũ percepit cum altero in qvadã societate aut cõmunione rei cujusdã persistens, judico societatis, communi herciscundo, dividundo, socio cogitur restituere ac rependere (l).

(a) l. 2. §. 10. ne qvid in loc. publ. (b) l. 206 de R. J.

(c) l. 2. pr. & §. 2. ne qvid in loc. pub. (d) l. 3. §. 1. eod. (e) l. 4. eod. (f) t. 6. 12. & c. lib. 43. ff. (g) l. 4. de R. D. §. 1. J. eod. (h) l. 2. §. 5. & seqq. ne qvid in loc. publ. (i) l. 17. de servit. rust. (k) l. 28. cõm. divid. (l) l. 38. §. 1. pro socio. §. 3. & seq. de obl. qvæ ex qvasi delict. §. 4 & 5. de offic. jud.

VIII. Modum qvod attinet reliqvum communis communium rerum usus; qvô hîc in omnibus omnium ex communitate non solet esse uniusmodi: ille tantùm non nimis potest esse varius: varietate hac vel ideo maximoperè attendendâ: ne dicas, qvarundam rerum communitatis, etiam non dari solere communem usum omnium. Fortassis enim hoc loci facilè qvis eò procederet, ut exempla sumeret, rerum e. g. publicarum, sive publicè itemqve aliâ specie communium; veluti si civitatis mœnia, sacristeria templorum, agros qvorum reditus solummodò in stipendia ministrorum reipub. colliguntur, ipsum ærarium publicum, aut similia: inqve his apparere putaret, nullum eorum, plerorumqve sociorum civilium esse usum. Eqvidem nolim, ut crassè aut strictè nimis sumatur usus seu facultas re utendi, ut uti tantùm posse dicatur, qvi rem manibus potest palpare, pedibus ei insistere aut corpore incumbere, aut etiam in victum ipsam speciem sibi suisq; communitare; Cujusmodi qvidem etiam qvarundam rerum communium usus solet esse, veluti theatrorum stadiorū, fori, fontium, viarum, silvarum cæduarum, pascuorum ac similium. Verum paulò laxius qvidem atqve diffusius usum rerum & facultatem iis utendi accipi velim; nempe pro eo, qvi *percipiendi ex re utilitatis* est cujusvis: Et, opinor, fiet si utilitatis naturam benè expandis atqve expendis, ut usui omnium ex communitate extare deprehendas, qvibuscunqve typum inibi planè communium te putas oportere relinqvere, etsi vulgò pro iis habeantur, qvæ minimè omnium communis usus esse ex iisdem videri solent. scilicet vulgi judicium in palpabilibus solet persistere; unde & hic facile pro rebus communis usus solet habere, ex qvibus se, aut vaccas suas, ali sentit. in sua autem utilitate etiam versari, & in eam redundare, qvæ in milites defensores pacis publicæ, in justum splendorem principis, pro conservanda ipsi auctoritate, impenduntur. qvæ mœnia urbis pedibus pro libitu calcare, aut molibus suis onerare neqvit; qvæ sacra ad religionis decus, procurandamqve ejus venerationem faciunt; hæc inqvam & hujusmodi brutum vulgus in suo usu esse non censet. Et meritò qvidem pro suo, prout usum qvidem dijudicat, crassiore captu; qvippe *modus* utendi qvem sibi & concipit & optat,

ptat, fortè non ad se, sed ad alios spectat. Sed videndum de usu rei alienæ.

IX. *Usus alieni* (sive facultas legitima utendi re alienâ) aut temporarius est, & ad arbitrium domini rei revocabilis, ut commodatæ, precariô datæ; aut perpetuus nec pariter ut ille revocabilis, ut in feudum, in servitutem datæ atqve submissæ rei. Usus alieni *temporarius, & ad qvoddam arbitrium domini revocabilis ac dimittendus*, aut rei alicujus tanqvam totius sibi *crediti* est, aut *communicatæ permissionis*, aut *cum opinione dominii acceptæ*. Hunc hôc dictô modô, ut & istum istô; illum verò usum *crediti* appellares. crediti scilicet; qvia, *ubi qvis rem nobis adsentitur, fidem nostram secutus, mox recepturus qvid ex hoc contractu credere nobis dicitur, resq; ipsa credita appellatur* (a). Qvi qvidem titulus, Usû generalior est, & plures credendi causas, veluti pignoris, depositi, in securitatem crediti & aliàs custodiendi (b). complectitur; & plures qvoq; ipsius usus alieni revocabilis comprehendit species. nempe huc referres, ubi res soli vel mobilis, atqve hæc vel fungibilis qvæ dicitur, vel non fungibilis, sive in specie sive in genere aut tempore definito compactoqve aut etiam simpliciter, ad arbitrium domino restituenda, utendum alicui data est. Ac proinde pertinere possunt usus rei commodatæ, precariò concessæ sive soli sive mobilis, locatæ conductæ itemqve mutuo acceptæ. Nimirum in his omnibus ut talibus qvæ competit facultas, est utiqve *utendi* re, eâdemqve alienâ. Ita disertè res *commodata* definitur res *utenda data* (c). *Precarium est, qvod precibus petendi utendum conceditur* (d) utrumqve autem hoc genus, usus est & mobilis & immobilis rei (e) jungit hæc in tali schemate Ulpianus (f). *Qvi edictum concepit, commodati fecit mentionem, cum Pacuvius utendi fecit mentionem. Inter commodatum & utendum datum, Labeo qvidem ait tantum interesse, qvantum inter genus & speciem. commodari enim rem mobilem, non etiam soli: utendam dari etiam soli. Sed ut apparet, propriè commodata res dicitur, & qvæ soli est. idq; & Cassius existimat.* In specie *rei locatæ* similiter toties usus rei concessæ fit mentio (g), & reapse ferè id à commodato solummodò differt locatum, qvod *ibi gratuitò hic mercede interveniente res utenda detur* (h). à qva forma nec ipsam fortè loca-

(a) per l. 1. de reb. cred. (b) d. l. 1. l. 32. ib. ff. de. depos.

(c) §. 2. v. 1. & 4. qvib. mod. re cötrah. obl. (d) l. 1. pr. de precar. (e) l. 4. & 17. eod. l. 1. commod. (f) d. l. 1. cōmod. (g) §. 5. ib. qvi pro usu J. de locat. l. 15. §. 1. ib. frui. locat. (h) §. 2. in fin. commod.

locationem *operis* aut *operæ* hactenus penitus excluderes (*a*), qvia & opera aliena, utiqve res est, qvâ vel maximè solemus uti; & qvi opus pro mercede perficiendum locatum habet, utiqve strenuè utilitatem suam in illo opere facit. *Facultas mutuo accipientis*, qvod tota in rei acceptæ usu versetur, in confesso est, tum iis qvi accipiunt atqve accipere affectant, utendi enim causa pecunias se cupere fatebuntur; tum omnibus, qvi putare solent, qvomodo & qvamdiu qvis hoc vel illo alienô ære fuit usus. scilicet non negat hic usum rei, ejusdem abusus; & qvod *magis in genere suo functionem*, (h. e. rei in vicem alterius substitutionem) *recipit per solutionem, qvam specie* (*b*). qvia & hæc utiqve species aliqva rerum usus est, & qvidem huic rerum generi propria (*c*). Qvod autem ex hisce causis omnibus competentes *rei alienæ* usus sint: nisi fallor de precario, commodato, locato in liqvidis est, nisi fortè per accidens fiat, ut pignoris aut alio potiori jure à nobis res alterius possessa, eidem, atqve sic ipsi domino in aliqvod tempus qvasi commodatò precariò aut alio titulo utenda concedatur. sed casus hic extra ordinem regulæ est. De *mutuo*, postqvam acceptum id est, dubitare imò bella circà serere eruditos videas. observantibus his; *appellatam esse mutui dationem ab eo, qvod de meo tuum fiat* (*d*), qvod pecunia mutuò accepta accipientis jam habeatur propria facta; adde per conseq. & usus hujus propriæ futurus sit, non alienæ rei. Notantibus deinde illis, mutuò accepta, millies licet bonis percipientis permixta sint, æs alienum tamen esse, nec bonis ejus computari qvidem solere (*e*). Sed linqvimus nos qvidem jurgia hæc Menalcæ & Codro; Putamus autem qvia mutuum acceptum qvoad individua corporum in substantiam intravit accipientis id hactenus ejus videri posse factum esse, & per conseqvens usum ejus tanqvam proprii esse. qvia verò interea id est, qvod alienum bonis alterius permixtum existit, qvodqve aliqvando in specie, qvâ intravit, rursus separandum ex iis est, imò dum commixtum iisdem bonis est, semper ut alienum possessorem gravat; hactenus & ipsum tanqvam alienum, & usum ejus tanqvam alieni, qvod alteri mixtũ existat, posse imò debere haberi. Par judicium qvadantenus faciendum de debitis pecuniis, ex qvavis alia causa debiti veluti empti locati, delicti etiam pecuniâ luendi, Qvod præterea mutuò, cõmodato

(*a*) l. 22. §. 2. l. 26. l. 38. locat.

(*b*) l. 2. §. 1. de reb. cred.

(*c*) l. 15. §. 1. & t. t. de usuf. ear. rer. qvæ usu consum.

(*d*) d. l. 2. §. 2. de reb. cred.

(*e*) l. 213. d. V. S. l. 39. §. 1. eod. l. 190. de R. J.

datò precariò, locatò accepta, credita sint non dubitare facit crediti propria definitio (a), *qvâ id est, qvod alicujus fidei est commissum, mox reddendum:* cui etiam ex parte hæ species apud JCtos subjectæ extant, partim facilè innuuntur. Nec deniqve in non apertis est, de proprietate usus horum omnium esse; qvod ad arbitrium qvoddam domini jure revocari possit ac dimittendus sit, eòqve temporarius existat: precariò videl. concessi semper (b); reliqvorum, juxta qvam tempus illud in contractu qvo concedebantur vel expressâ vel tacitâ pacti lege definitum est (c). Atqve hic qvidem qvi temporis est, simul est limes usus omnium harum rerum, qvæ qvidem ex iis in specie reddendæ sunt, ut scil. juxtà qvam vel conventionis lex vel rei æqvitas idipsum exigit, qvisq; iis utatur (d). mutui usus sine dubio reliqvis liberior est. Sed limites hosce omnes recensere, esset, magnam partem materiæ contractuum hic evolvere, qvod nunc qvidem extra metam est.

(a) l.1. de reb. cred.

(b) l.1. §. 2. l.2. §.2. d. precar.

(c) per l.77. et text. vulg §. 2. J. de V.O. l. 213. de V.S. (d) l.15. pr. de precar. §.6. J. de obl. qvæ ex qs. delict. &c.

X. Usum temporarium *communicatæ permissionis* intelligo illum alienæ rei, ubi qvidé ipse dominus re suâ utitur, admittit tamen in qvandam qvasi communionem usus ejusdem rei ad tempus, alium, cujusmodi usus per speciem precarii & commodati imò & locati possunt non nimis infreqventes esse. *jus, habitationem* precariò commodatò habita designant JCti (e). Ad rerum autem creditarum hujusmodi usus speciem minus referre sum ausus, qvod hæ ipsæ res in qvas competit, eò minus alteri possint videri creditæ, qvod sub ipso conspectu providentiæ ac usu domini simul versentur: licet interea fortè aliqvo modo, eò referre non prorsus absonum esset, qvatenus nempe & hunc concedendo fidem aliqvam dominus concessionariis habere solet, fore ut rectè utantur. sed pergendum.

(e) l.2. §.3. de precar. l.1. §.1. in fin. cõmod. l.17. pr. de præscript. verb.

XI. Usum rei alienæ *cum opinione dominii* acceptæ, appello eum, qvi est ejus, qvem bonæ fidei possessorem jura nostra crebrò appellant, ac describunt, *qvi à non domino qvem dominum esse crediderat, bonâ fide fundum emerit, vel ex donatione aliave qvalibet justa causa, æqvè bona fide acceperit* (f). nomen, qvod hic usus, sit rei cum opinione dominii accepta, ipsæ hæc tuetur descriptio. Atqve hic qvidem bonæ fidei possessoris plenior usus, & qvod etiam in fru-

(f) §.36. J. de R.D. l. 109. de V.S.

fructuum perceptione ac lucro consistat; præterqvam qvod generaliori hâc defenditur Maximâ: qvâ *bona fides tantundem possidenti præstat qvantum veritas* (a); multum in specie à legibus nostris taxatur, imò proprietario dominico usui comparatur, ubi per illas, *Bonæ fidei possessor in percipiendis fructibus id juris habet, qvod dominis prædiorum tributum est. ubi qvod ad fructus attinet, loco domini penè est. ubi naturali ratione placuit fructus qvos percepit, ejus esse pro cultura & cura* (b). Atqve hæc qvidem ac hujusmodi facile in adsertis legitimis persistunt. Donec ad revocationem & rei & cum hac usus hujus devenitur, & jam qværitur, nunqvid & qvidnam fructuum domino vero aut alii potiori jure gaudenti restituere habeat bonæ fidei possessor? Ubi, ut breviter magnam controversiam transmittam, ita ferè jura loqvuntur, ut distinctionem admittant, *rei ex titulo* vel *lucrativo* vel *oneroso* acceptæ: *fructuum naturalium* ac *industrialiũ, non perceptorum ac perceptorũ*, & horum vel *extantium* & qvi *locupletiorem possessorem reddiderunt*, vel non extantium, & qvibus locupletior is factus non est. Ex titulo oneroso bonæ fidei possessori fructus perceptos imò percipi cæptos omnes, industriales simul ac naturales extantes ac non extantes addicit Paulus JCtus (c) his: *Bonæ fidei emptor* (not. tit. onerosum) *non dubiè percipiendo fructus etiam ex alena re suos interim* [intellige donec possidet nec lis evictionis contestata est (d)] *facit, non tantum eos, qvi diligentia & opera ejus pervenerunt, sed omnes; qvia qvod ad fructus attinet loco domini pæne est. Deniq; etiam bonæ fidei emptoris fiunt, priusqvam percipiat, statim ubi à solo separati sunt.* Scilicet ita solitus fuit hic JCtus perceptionem fructuum laxius interpretari, & de eo actu accipere, qvô cœpti ita percipi essent ut à solo tantum separati extarent (e). Adstipulatus autem hac in re examussim Juliano est, qvem apparet (f) paria ante ipsum docuisse. & ut videtur, hic casus in sua integra specie constitutus gravissimæ horum virorum decisioni debuit relinqvi. Debuit etiam imitari casus alter, ubi ex titulo lucrativo res est accepta, qvoad fructus omnis generis perceptos consumptosqve (g), & qvi nec perceptorem locupletiorem reddiderunt; Digredi autem in qvantum ex re similis tituli, *naturales* vel extent vel locupletiorem etiam percempti reddiderint, nempe hi *domino super-*

(a) l. 136. d. R. J.

(b) l. 25. §. 1. de usur. l. 48. de A. R. D. §. 36. Inst. eod.

(c) d. l. 48. pr. de A. R. D. (d) per l. 1. C. de petit. hered. l. 22. C. de R. V. l. 25. §. fin. de usur.

(e) per l. 78. d. R. V. (f) l. 25. de usur.

(g) per d. §. 36 J. de R. D.

supervenienti ac rem vindicanti restituendi erunt(*a*). sunt omnino jura in speciem collidentia, (si aliam commodiorem non recipiunt interpretationem), facta generalitatis eorum restrictione, ad hos casus accommodanda. nec fortassis difficile adeò erit certamen qvod hic moveri solet, sopitum reddere. nos istud nunc transmittimus. Qvod autem usus hic rei alienæ bonâ fide possessæ *temporaneus* sit, & *ad arbitrium domini revocantis dimittendus*, id legum creberrima relatio monere vetat. attendatur autem modò rem *alienam* hic supponi necdum possessione illa usucaptam: qvia tunc qvidem propria est facta (*b*).

(*a*) *l.45. de usur. l.22. C. de R.V. l.1. C. de petit. hered.*

(*b*) *l.1.3. & t.t. de usucap.*

De Servitutibus.

XII. *Potestas re alienâ perpetim utendi*, aut *usus ac facultatum* plenior atqve auctior est; aut *minus* plena, facultatumqve *angusta* minus. Ubi illa & utilitate auctior, & insuper aliis facultatibus augustior est, jam supra (*c*) ab usu-peritis edocti sumus, facile in nomen *dominii* & ipsam transire, cum adjectione *utilis*; donec scil. interea res eadem cuidam alteri supereminenti in se directo subjacet dominio. *Feudum* & *Emphytevsis* secundum ipsos hic præbent exempla primæ notæ. nempe hæc jura & plenioris sunt usus, fructibus plerisqve rei omnibus ad eos pervenientibus, qvi hæc obtinent, prout hoc ita obtinere indubitati juris est ususqve. Unde & nomen *utilis* sortita sunt: ac porro facile *dominii*, qvia plenissimus hic usus cum facultate rem ipsam sibi cū perpetuitate retinendi, aliisq; conjunctus ac augmentatus est. qvæ qvidem de cætero nunc sibi relinqvimus.

(*c*) *cap.14.n.18. hoc lib.*

XIII. Ubi autem eadem alienis rebus utendi, (perpetua licet, ac extra arbitrium rei domini eandem retractandi posita) potestas, vel minus usus fructuumqve est ferax, vel etiamsi hoc est, alias dominii qvasdam præcipuas facultates non habet illâ intensione, ut istæ, conjunctas; jam *jus* qvidem, & cum numero *jum*, ipsa, ejusqve plurimæ species, appellitantur (*d*); ut autem dominium vulgo dicantur, tantum abest, qvin potius, nescio qvô artis nostræ abusu per nomen, dominio contrarium dicens, *servitutis* nimirum, sive proferantur ipsæ illæ potestates sive saltem inferan-

(*d*) *pr. J. de servit. pr. J. de usufr. & passim.*

tur

(a) §. 1. & seqq J. de servit. l. 1 ff. eod. & passim.

(b) cap. 8. h. lib.

tur (a). *Servitus* sine dubio, si propriè velis loqvi, qvalitatem personæ reive, (si & huic accommodetur) denotat subjectivam, qva videl. sive dominio propriè dicto, sive modò alii alicui dominanti potestati, persona resve illa subjecta est; idqve vel ad perpessionem meram exercitii illius dominantis potestatis, vel ut simul actu serviens obsecundet si potest imperio dominantis. hujusmodi, servitus personarum, illô modô, rerum inanimatarum, tanqvam imperii haud capacium, potest esse. De servitutibus personarum ubi de juribus in rem agitur, agi alienum est, atqve hoc à nobis præstitum est suo in loco (b). Qvod igitur hoc loco notandum venit servitutis, qvalitas qvædam rerum patiens est, qvâ nempe res aliqva ita alteri non domino (ita autem nunc supponimus) obstricta atqve obnoxia est, ut is qvasdam suas facultates in eam sibi jure exercere citra impedimentum qveat: verbo, ut ille uti eâ jure qvodam suo sibi possit. id qvod infert: ut nec à domino rei, nec ab alio impediri aut excludi hactenus inde possit. nimirum res qvidem ipsa est usui legitimo hic exposita: ast de qvo propriè dici possit, qvod illum tolerare teneatur, nec impedire jure qveat, non res sed persona, domini imprimis, esse potest, qvando de re ipsa insensibili, possitne jure, ut sustineri, ita recusare sui usum, ineptum esset qværere. Sive autem in re subjectivam hanc qvalitatem persistere sive ad usqve personam hujus dominam ejusqve patiendi necessitatem eam pertingere facias, cum hæc propriè hisce, potest competere; facile liqvet, qvanta cum improprietate jura potestatesqve, huic qvalitati subjectivæ servili oppositæ, servitutes appellitentur; potiùs, & propter hanc ipsam hujus relationis vim, potestates dominantes, jura dominantia insignienda. Sed qvid impelleret, ut cum usu sermonis depugnaremus: licet fronte minus contractâ intueamur loca jurisperitorum, qvibus, si non potestates, nec freqventer nimis facultates legitimæ, saltem *jura* hæc laudantur? Ubi tamen neqve hoc diffitendum est, nomen servitutis eâ sæpius phrasi peritis fluere, ut dixeris, eos propriè loqvi, & ipsam hanc subjectivam rerum qvalitatem designare, ubi e. c. servitutes fundo aut in fundo constitui, imponi, ipsis dicuntur, ac similia. Forsan etiam conjiceres, qvia servitus, ut propriissimè de personis

ſonis ſumitur, qſ. in neceſſitate familiaris utilitatis alteri præſtanda conſiſtit, eòqve ab altera parte uſum ſeu facultatem utendi potiſſimum oppoſitam habet; Prudentes ideo in hac verbi translatione nomen ſervitutis promiſcuè uſurpare adamaſſe, ut genus jurium qvod utendi eſt, ab aliis, qvæ jura qvoqve in re aliena ſunt, veluti poſſeſſionis, pignoris, diſterminarent. Sed appelletur res utcunqve; nomina uſitata retinere ſemper debemus eſſe faciles, modo effectum declaratione ſit, ne ſenſum veritatis rei perturbent.

XIV. Qvod igitur *ſpecies* attinet poteſtatum re alienâ cum perpetuitate utendi, qvæ ſub genere ſervitutum noſtris comprehendi debere viſa ſunt, benè multæ iisdem annotantur, ſuis partim nominibus propriis donatæ, partim circumſcriptivô qvodam modô propoſitæ, ut mox apparebit. Ferè autem in ſuas qvasdam certas claſſes ab Uſuperitis diſtingvuntur, non tam reſpectu rerum ſervientium, qvàm ex latere dominante ſive utente. *Res* autem qvod obiter notari poteſt, uſui huic ſervitutiqve obnoxiæ aptæqve ſunt omnis generis corporales, mobiles, ut pecora, ſervi, pecunia(*a*) etiam; immobiles, ut ædificia, fundi, lacus(*b*) & ſi qvæ ſunt ſimiles qvæ qvidem res omnes ſervire ac uſurpari poſſunt ſingulæ, prout ipſarum fert natura. neqve enim viam poterit præbere corpus pecorum ſed uſumfructum; non ſervitus uſusfructus poteſt imponi ſterili tecto domus, ſed benè, ne luminibus vicini officiatur, aut altius tollatur. De incorporalibus autem potius hoc qvidem negandum eſt, per tradita etiam ſupra (*c*). Qvod autem attinet ſubjectum dominans utensve: videri qvidem poſſet, ſolam perſonam oportere eſſe qvæ re alienâ utendi jus habere, & cui propriè res hæcce ſervire poſſit. qvid enim ſit rem rei ſervire, citra reſpectum ad perſonam ejusq; utilitatem, non ſatis liqvidi conceptus eſt. Veruntamen, qvia etiam per rem bene habitam, perſonæ, cujus illa eſt, utilitas præſtatur. & jam contingere poteſt, ut modò perſona re qvadam alienâ uti poteſtatem habeat, citra modum aut intuitum certæ alicujus ſuæ rei, modò autem is uſus reſtrictus eſſe poteſt ad rem aliqvam certam, in qva & pro cujus & conſervatione & commodiori uſu, illa altera res ſervire obnoxia ſit, id qvod luculentam habet praxin in commoditate uſus, qvi dominorum eſt immobi-

(*a*) § 38. & ſeq. de R.D. t. de uſufr. ear. rer. qvæ uſu conſum. (*b*) l. 3 de uſufr.

(*c*) cap. 14. n. 5

mobilium rerum suarum. Hinc qvidem, praxi ita ferente, accidit, ut summâ qvadâ divisione servitutes in eas qvæ *personarum* & qvæ *rerum* essent distingverentur (*a*).

XV. In personalibus censentur seqventia: *Ususfructus* qvem definiunt *jus alienis rebus utendi fruendi salvâ rerum substantia* (*b*). dicitur hic alias & fructus & pingviori intellectu usus (*c*). & reditus (*d*); & continet qvicqvid nascitur aut percipi emolumenti ex re salva permanente potest (*e*). *Ut salva maneat substantia rei*, usufructuarius, ut bonus paterfamilias curare debet, eoq; & reficere collapsura, substituere capitibus caducis ex grege ex vineis (*f*), qvin, *usurum se boni viri arbitratu & cum ususfructus ad eum pertinere desierit, restituturum* qvod rei extabit, cautionem, si poscitur, præstare tenetur (*g*). Cujus cautionis beneficio ac medio obtinere cæpit, ut etiam *earum rerum qvasi ususfructus* constitueretur, *qvæ usu consumuntur*; hoc effectu scil. ut pro pecunia data, tanta pecunia, vel etiam si aliæ res fungibiles datæ sint, æstimatis iis, similiter pro iidem tanta pecunia, finito usufructu restituatur (*h*). Qvia personale jus ususfructus est, cum persona cui constitutum est extingvitur (*i*); neqve etiam propterea alii hæc illud pari jure; qvo penes sese est, cedere potest (*k*); puta ut similiter, sicut sibi, personæ alterius cum perpetuitate, donec illa supersit, etiam se mortuo, id adhæreat: nam alioqvin, ut in vicem qvasi sui alter utatur, concedere, id permissionis qvidem est (*l*), atqve hoc qvod ita conceditur *perceptionem* appellant fructuum & juri fructuario opponunt ll. (*m*); *jus reale* appellat hic Bachovius: dicerem facultatem *facti* (*n*). debuerunt hæc in exemplum reliqvorum transiri, sed cursim. *Usum* deinde speciali admodum significatu nostris acceptum, ferè jus ab iis describi videas re alienâ utendi ad qvotidianam necessitatem, non usqve ad compendium (*o*) qvod verò ita accipiendum est, ut ipse usus aliqvid modici fructus possit continere, veluti; poma, olera, lac modicum, qvotidiano victus subsidio (*p*). Porrò est ex hac classe *Habitatio*, seu jus aliqvas ædes aut aliqvod prædium inhabitandi, cui benignitas legalis etiam facultatem locandi, inclusit; secus atqve placuit in usu ædium (*q*): licet etiam usuario huic permissum sit, modò ipse simul

(*a*) l. 1. de serv. (*b*) l. 1. d. usuf. pr. I. eod. (*c*) Nov. 118. c. 2. l. 14. §. 1. de usu & habit. (*d*) l. 22. de usufr. leg. l. 21. de an. leg. (*e*) l. 7. 9. d. usuf. § 4. per qvas pers. cuiq; acqv. (*f*) § 39. de R. D. l. 7 §. 2. de usufr. (*g*) l. 1. 9. & t. t. usuf. qvem-adm. cav. l. 4. C. eod. l. 13. de usuf. (*h*) §. 2. I. de usuf. l. 1. 5. 7. pē. & t. t. de usuf. ear. rer. qvæ usu cons. (*i*) l. 3. in f. qv. mod. ususf. fin. (*k*) §. 3. I. h. l. 66. d. jur. dot. (*l*) §. 1. I. d. usu & hab. l. 38. d. usuf. (*m*) l. 66. de jur. dot. fac. l. 8. §. ult. de pericul. & cō. rei vend. (*n*) per dict. cap. 4. n. 17. h. lib.

(o) §. 1. de usu & hab. l. 12. §. 1. ff. eod. (p) d l. 12. §. 1. l. 10. §. 4. eod. add. l. 14. 22. eod. (q) §. 1. & pen. I. l. 11. ff. de usu & habitat.

mul inhabitet, etiam inqvilinum, clientem, hospitem, sibi adsumere (a). Ulterius *operæ servorum* usui qvam usufructui videri hic possunt similiores (b): Præter hæc *pomum decerpendi, ambulandi, cænandi in alieno* servitutem, qvidem dicitur, constitui non posse (c), nimirum realem, ut videtur secundùm auctorem dicti; qvod autem & hujusmodi personales constitui possint servitutes videtur haud ambigendum (d). de similibus simile erit faciendum judicium in hoc genere.

Reales servitutes, qvæ sunt, ubi mediante certâ qvadam re ejusdem rei possessoribus aliena res servit: & hi qvidem alienâ re utuntur, qvatenus illa obnoxia est vel subvenire possessionis suæ sustentationi, suggerendo ei conservabilia, veluti calcem, lapides; vel ita se compositam tenere, ut commodior hujus usus domino aut possessori expediri qveat. hæ, inqvam, qvia plerumqve usu venit, qvod non tantum prædiorum servientium sint, sed etiam qvod res cui & per qvam personis possessoribus servitium præbetur, prædia existant, à parte dominante *jura prædiorum* communiter appellantur (e) putaturqve vulgo, *sine prædiis* utrinqve *constitui non posse* (f). Qvando autem prædia, in qvæ & qvibus servitutes juraqve hæc constitui solent, vel urbana esse accidit vel rustica [vocantur autem urbana prædia ædificia omnia etiamsi in villis sint, rustica verò qvæ usum rusticum habent sive etiã qvæ plurimum sunt in reditu (g)] hinc in jura servitutesqve rusticorum ac urbanorum prædiorum distingvi hæc assolent. suntqve secundum nostros *Rusticorum prædiorum* (h) *jura hæc: iter actus, via, aqvæductus.* Estq; *iter jus eundi ambulandi hominis, pedes vel eqves, sellâ aut lecticâ non etiam jumentum agendi vel vehiculum* (i). *Actus est jus agendi jumentum vel vehiculum* (k). vehiculum qvidem si plenus est; alioqvin minus plenus eô etiam destitui potest (l). qvin & iter, qvod non simultaneum est, actu potest non contineri (m) *Via jus est eundi & agendi & ambulandi hominis, & vehiculum ducendi, & trahendi lapidem, & ferendi hastam rectam citra læsionem fructuum,* & faciendi similia talia (n). *Aqvæductus est jus aqvæ ducendæ per fundum alienum* (o). Præter hæc *inter rusticorum prædiorum servitutes qvidam computari rectè putant, aqvæ haustum, pecoris ad aqvam appulsum, jus pascendi, calcis coqvendæ, arenæ fodiendæ* (p) *tugurium habendi,* pascendi gratia (q) & si qvæ sunt hujus generis

(a) l. 2 in f. l. 34 eo. (b) per l. 2. § & t. t. d. oper. serv. l. 37. l. 1. § 9. ad L. falcid l. 2. d. usuf. leg. (c) l. 8. d. serv. (d) per l. 4. de serv. rust. l. 14. § ult. d. alim. leg. l. 1. § 12. l. 3 pr. d. aq. qvot. (e) pr. § 1. & seqq. de serv. (f) § 3. I. de servit. l. 1. § 1. comm. præd. (g) § 1. I. de serv. l. 1. cõm. præd. arg. l. 198. de V. S. l. 2 de serv. l. 4. § 1. in qvib. caus. pign. tacit. (h) pr. J. de serv. (i) d. pr. l. 12. & l. 8. d. serv. rust. (k) d. his text. (l) per d. text. & l 13. de serv. (m) per d. pr. I. & l. 1. ff de serv. junct. l. 4. § 2. si serv. vind. (n) d. pr. l. 1. 23. & 13. & 7. de serv. rust (o) d. pr. h.

(p) § 2. I. h. (q) l. 6. § 1. de S. R.

ris plura. *Prædiorum urbanorum servitutes sunt hæ, qvæ ædificiis inhærent (a): ut vicinus onera vicini sustineat*, qvæ & *oneris ferendi* servitus dicitur; hoc peculiare præ aliis sui generis habens, qvod dominus rei servientis veluti columnæ, parietis, hic etiam aliqvid in commodum ejus cui res sua servit, *facere*, puta eam reficere, ut oneri ferendo par persistat, teneatur (b). Porrò est *Tigni immittendi: ut stillicidium vel flumen recipiat qvis in ædes suas vel in arcam vel in cloacam; vel non recipiat* (hoc, qvia fortè commodum potest dominanti esse, ut transmittatur) & *ne altius qvis tollat ædes suas; & ut tollat* (c) (ad umbram aut aliud commodum vicino præstandum); vel etiam permittere teneatur, ut alter altius tollat nec contra possit ipse facere. qvibus casibus hactenus altius tollere servitutis potest esse, alioqvin & libertatis existens (d). Est deinde & servitus *luminum*, ut scil. lumen nobis præbere, forte fenestram in pariete suo excipiendo, vicinus teneatur (e). Est, *ne luminibus nostris officiatur*, in hoc consistens, ne jus sit vicino agere, qvod ad obscurandam lucem qvam desuper haurimus, possit facere; veluti ædificium tollere, arborem ponere, aut etiam elevatam ita ne officere possit, deprimere (f). Ab hac servitute diversa qvædam est servitus *prospectus* sive ne prospectui qvis officiat. Scil. prospectum impedire possunt etiam, qvæ non impediunt lumen, veluti qvæ etiã inferiori loco & in longinqvo sunt posita (g). Adduntur his (h) *cloacam habere per vicini ædes aut aream: projecti protecti habendi*: addenda & *his similia* (i).

(a) §.1. d. serv. (b) l.33. de servit. urb. l.6. §.2. si serv. vind. (c) d. §.1. l.2. 20. §.2. & 3 de serv. rust. l.2. de serv. urb. (d) per l.8. C. de serv. (e) l.4 d. S. U. (f) d. l.4. l.17 §.2. l.12.15. de S. U. (g) l.3.15.16. d. S. U (h) l.2. d. S. U. l.2. de S. R. (i) d. l.2. de S. U.

Monendi videmur, ne nimis sive accurati sive superstitiosi hic simus, in disterminandis generibus urbanorum ac rusticorum prædiorum; item amplius, personalium ac realium, servitutum; ac si nulla qvæ sub *hoc* aliqvo genere à JCtis numeratur, aliqvando à qvodam *illo* recipi, ejusqve naturæ adsimilari qveat; & contra. Qvando forsitan nil obstat, qvò minus, qvi prædium omnium confessione urbanum inhabitat, sibi suisq; per viciniora rustica urbanaq; prædia perpetuum *iter* pacisci ac constituere possit; qvod adeò *iter*, aliàs in rusticis servitutibus computatum qvatenus eò urbano servitur prædio utiq; in urbanis qvoq; reperietur collocandũ servitutibus, similis planè ratio potest esse aqvæductus aliorumqve. Econtra servitus fluminis recipiendi modò computabatur urbanis: ponas autem prædia duo rustica vicina, qvorum alterum elevatum

magis

magis existat, alterum depressius, & huic id oneris perpetim esse impositum, ut pluviarum flumina recipere teneatur (a). Atq; servitus *recipiendi fluminis* hoc in casu rusticorum prædiorum est. Pari modo accidit ab ipsis JCtis nostris qvoqve observari: qvasdam qvæ communiter *rei sive prædiorum* servitutes solent constitutæ esse, veluti *pecoris pascendi, item ad aqvam appellendi, cretæ eximendæ, calcis coqvendæ, uvas premendi, areâ utendi* ac similes, *personales* qvoqve posse reddi (b).

(a) *fac. l. 1. in f. & t.t. de aqva pluv.*

(b) *l. 4. 37. de S.R. l. 14. § fin. d. alim. legat.*

XVI. Possent, si ex asse, qvæ servitutum competentia sunt omnia, recensere hic liceret; nonnulla circa earundem reqvisita communia porrò disqviri uberius. Qvomodo videlicet realibus, ut actu constitutæ extent, ac purè prorsus constituantur, necessarium sit, *prædia* ipsa utrinqve *præexistere* (c), ut tamen interea nec in absonis sit, hanc servilem, ut qvamvis aliam, obligationē cum jure relativè ei opposito, sub modo conditionali in futurum eventum, qvo prædia extitura sunt, posse constitui (d). Qvomodo porrò oporteat *vicina esse prædia*, & etiam, si ratio singularis alicujus servitutis id exigat, contigua, vicinitate illa ex hoc æstimatâ, ne aliud privatum prædium interjaceat, qvod impediat prorsus constituendi juris usum, aut etiam publicus locus, qvi ferre illum usum citra metū præjudicii publicæ utilitatis nō possit (e): & si qvæ similia hic attendenda. Ulterius dicendū foret, qvomodo intelligatur, si reqviritur, servitutes ad *utilitatem prædii* dominantis oportere facere (f), saltem aliqvam & in futurum, si non magnam aut in præsentiarum (g). Item, qvomodo omnes tam reales qvàm personales servitutes constituantur pactionibus ac stipulationibus, testamento (h), adjudicatione (i), pars etiam, ut ususfructus, operæ libertorum officiales, certis aliqvibus addictione legis publicæ (k). Qvomodo modus possit singulis adjici varius (l). Et deniq; qvibus actionibus hæc jura judicialiter sint vindicanda (m). Sed nobis qvidem sufficere potest, ostendisse, cujusmodi sint, qvæ hic locus ad pleniorē considerationem ex fontibus suis desideret elici. E qvibus im-

(c) *§. 3. d. serv. l. 1. commun. præd.* (d) *per l. 10. d. S R. l. 23 § 1. de S. U.* (e) *l. 7. § 1. & f. de S. R. l. 1. l. 38. et seq. de S. U. l. 6 pr. l. 7. cōmū. præd. l. 14. § 2. de serv l. 17. § 2. de aq. pluv.* (f) *l. 5. 6. 15. d. S. R.* (g) *per l. 19. eod.* (h) *§. 2 de usuf. § fin. de serv. l. 3. de usuf.* (i) *l. 6. § 1. de usuf l. 16. § 1. l 22. § 3. famil. hercisc.*

(k) *§. 1. in f. per qvas pers. cuiq; acq. l. 6. & t. t. C. de bon. qvæ lib. l. 9. § 1. usuf. qvemadm. cav. l. 9. de oper. libert.* (l) *l. 4. § 1. de serv. l 10. & seqq. qvemadm. serv. amitt.* (m) *§. 2. I. de act. t. si serv. vind. t. si ususfr. pet.*

imprimis illud est, qvod supra in differentiis habebamus, qvibus hic servilis usus ab aliis speciebus istius generis qvod usus rei alienę est, distingveretur; nempe qvod juris perpetuitate vigeat, nec ut precariò, commodatò, bonâ fide possessæ aut ex simili titulo usurpatæ rei usus, ad arbitrium domini rei, revocabilis ac ab usurpatore dimittendus sit; dum videlicet ejusmodi revocationes aut terminationes, qvæ ibi obveniunt, hic sunt incognitæ, non revocatis hisce juribus aut cessantibus, ubi forte domino libet rem revocare sive pro mero arbitrio, sive, postqvam aliqvandiu usurpata ab altero illa est, sive solutô creditô; ut accidit *hoc* in pignore antichrestico, *istud* in mutuo & commodato, *illud* in precario & bona fide hactenus possesso. Sed qvæ hic qvidem hujus usus, horumve jurium *finiendi modi* (ut tandem in rebus humanis perpetuum qvidem nihil est) à Jurisperitis adnotantur, istius dominici revocatorii arbitrii, (donec non conspirat utentis qvoqve voluntas) prorsus sunt expertes; veluti sunt *consolidatio & confusio* qvæ dicitur; ubi in casu realium servitutum fortè idem utriusqve prædii dominus efficitur, aut in personalibus prædium resqve serviens alia ad usuarium, aut usus ad rem servientem ejusqve dominum retrahitur (*a*): *non usus per modum* boni viri fortassis; *& tempus* qvo etiam proprietates rerum solent amitti (*b*): *Rei mutatione* sive peremptione, veluti si ædes exustæ sunt aut collapsæ, si ager inundatus (*c*). Porrò personales *morte* tandem naturali aut civili amittuntur (*d*); qvo tamen & ipso fatali nondum perimūtur reales (*e*). de qvarū natura præterea esse à peritis observatur, *ut perpetuam causam habeant*, h. e. non ita aut in talibus rebus constituantur, in qvibus naturaliter eas cessare posse prævideatur; imò qvod *ipso quidem jure neq; ex tempore, neq; ad tempus, neq; sub conditione, neq; ad certam conditionem constitui possint* (*f*) Tantum de usu rerum.

(*a*) *l. 1 qvemadm. serv. amit. l. 4. usuf. qvẽadm. cav. §. 3. & 5. I. de usufr.* (*b*) *§. 3. I. de usuf. l. 13. pr. & §. 1 ff. eod. l. 16. §. 1. & pen. C. eod. l. 1. 10. §. 1. l. 11. 12. qvẽadm. serv. amit. l. 6. de S. U.* (*c*) *l. 5. §. 2. & 3. l. 23. & seq. qvib. mod. usuf. amitt.* (*d*) *d. § 3. I. de usuf l 2. §. 1. l. 5. qvib. mod. usuf. amitt. l. 16. C. de usuf.* (*e*) *l. 3. qvẽad. serv. amitt.* (*f*) *l. 28. de serv. urb. l. 4. de servitutib.* (*g*) *l. 3. 4 8. & t. t. de distract pign.*

Præter Dominium, Possessionem ac Servitutem, in juribus in re vulgo referuntur qvoqve *Pignus & hæreditas*. Ubi qvidem qvando *PIGNUS* huc refertur, ante omnia notandum est, ferè tripliciter illud verbum accipi. primò pro ipsa re in securitatem crediti alteri obligata (*g*): sive mobilis sit res, ac talis qvæ manu sive pugno tra-

tradatur accipiaturqve: cui qvidem maximè propriè & qvasi ab origine hæc denominatio competit (a); sive etiam immobilis (b); aliàs nomine hypothecæ etiam communiter veniens; sicuti & mobilis non pugnô tradita c). Deinde usurpatur tum pignoris tum hypothecæ nomen, pro designante ipsam proximè obligationem, qvâ in hanc conditionem res illa pertracta est ac tenetur: qvò pertinent, qvibus pignus vel hypotheca dicitur contrahi solviqve (d). ne dicam ipsum contractum hic pignus qvandoqve dici (e). Atqve his qvidem significationibus jus in re pignus nondũ dicit: qvomodo tertio locô ab Interpretibus nostris id accipitur (f), qvam dura aut liqvida translatione, non attinet dicere; dummodò constet: aliqvod dari *in re jus*, qvod pignoris sive pignoratitium sit, à pignore sive pignori datâ re ita appellatum: Qvod qvidem essentia *potestas sit, creditoris rem in securitatem crediti suppositam aut obligatam sibi asserendi.* Cujus proinde vis in eo sit, ut donec à debitore debiti illius nomine in totum creditori satisfactum non sit, ille nec alienare rem nec aliô modô in deterius mutare possit invitô hôc (g). Sive etiam in hujus præjudicium aliis supponere, effectu, ne prior hic aliqvis tempore, potior jure maneat (h). Qvin creditor, si invito sese qvovis modo res in manus alterius pervenerit, à qvocunqve possessore vindicare eam possit, *actionibus serviana ac imprimis qvasi serviana* qvæ dicuntur (i) in hoc ei competentibus. Imò est conseqvens hujus pignoratitii juris, si tandem satisfactio crediti debitô modô non potest obtineri, ut interveniente judiciali approbatione, ad possessionem, distractionem, imò dominium pignoris creditor virtute hujus sui, in hanc rem, Juris pervenire qveat (k).

(a) l. 258. §. 1. de V. S. §. 7. I. de action. (b) l. 2. in fin. de religios. & sumpt. fun. (c) per d. §. 7. de action. l. 5. §. fin. de pignor. (d) t. t. qvib. caus. pign. vel. hypot. tac. contrah t. qvib. mod. pign. vel hypoth. solv. l. 1. de pignor. act. (e) per l. 1. §. fin. de pact. (f) Wesemb. in π. n. 3. & alii. (g) per l. 4. 7. qvib. mod. pign. solv. (h) l. 3. 8. 10. qvi pot. in pign. (i) §. 7. I. de act. l. 16. §. 3. l. 17. de pignorib. (k) t. t. ff. & C. de distract. pign. l. 3. C. de jur. dom. impetr.

HÆREDITAS ferè nostris duplici videtur sumi modo, objectivè & qvatenus in objectum aliqvod rei potestas est. *objectivè* universitatem qvandam rerum complectitur, corporalium ac incorpora-

poralium, hoc eſt jurium, tum reliqvorum, tum ipſius dominii, itemqve onerum hæc attingentium, qvæ qvidem defuncti alicujus fuerunt *(a)*: atqve ita propter ſpeciem univerſitatis qvâ jura qvoqve plurima, imò proximè,(ſi vel nullæ corporales res ſint in objecto hoc, ſed fortè nomina tantum ac jura alia, vel ſi ſint, dominium autem computes) ſolùm jura comprehendit, hereditas in hoc ſignificatu qvidem *etiam in jure conſiſtere*, ac *jus* dici ac denominari conſvevit *(b)*. Cæterum qvia hactenus dictum hoc jus, objectum ipſum, ſive ipſa res hereditaria eſt; ab hoc videtur aliud oportere diverſum jus eſſe, qvod *jus in rem ſive in re* hereditaria, velimus appellatum. Putares hanc hæreditatem, hoc jus, eſſe, qvod JCtis *nihil aliud eſt, qvàm ſucceſſio in univerſum jus, qvod defunctus habuit (c)*; actum ſucceſſionis pro *poteſtate ſuccedendi* accipiendo; Niſi animadverteres, dicere poteſtatem ſuccedēdi, eſſe modò dicere poteſtatem qvandam qvaſi peculiarem ac privilegiatam, ea, qvæ defuncti alicujus fuerunt, *acqvirendi*, arbitrariam *(d)*, eoqve poteſtatem potius ad hereditatem qvam hereditatem ipſam: certè diſtinctum jus eſſe, ab eo, qvod aditione aut pro herede geſtione acqviſitum, & jam, qvædam *univerſitas jurium defuncti, penes ſucceſſorem actu exiſtens ſolet eſſe.* An hæc acqviſita jurium univerſitas, an illa poteſtas acqvirendi, an verò ſuô qvodam modô utraqve illa, hoc *jus in re hereditatis* ſit, de eo amplius cogitandum. nobis nunc qvædam imponit neceſſitas, de jure in re ac *poteſtate* qvidem omni partem hanc hujus pertentatæ juris philoſophiæ claudere.

(a) per l. 119. 178. 208. de V. S. l. 1. 2. & 3. de bon. poſſ. l. 50. de petit. hered. (b) d. textib. (c) l. 62. de R. J. l. 24. de V. S. (d) per §. 2. & 5. de hered. qval. t. ff. & C. de jure delib.

LIB. III.

De OBLIGATIONE.

CAPUT I.

De obligatione in genere.

I. In multùm egregiis Jurisprudentiæ nostræ positionibus Definitio obligationis est.

II. Describens licet eam tantùm obligationem, quæ jure civili ita firmata necessitatis extat,

III. Ut actione judiciariâ debitum exinde exigi queat:

IV. Eam, quæ naturalis ac civilis simul est; non quæ vel civilis,

V. Vel naturalis tantùm est.

VI. Est autem obligatio propriè dicta, probè definita, ac sedulò à Prudentibus annotata, Necessitas juris.

VII. Pulchrâ, virtutem ejus insinuante, translatione, aliàs vinculum juris dicta, quo adstringimur,

VIII. Alicujus rei solvendæ. Acceptâ quidem voce hâc generalissimè,

IX. Si non vulgi, saltem jurisprudentiæ usu, pro omnis debiti

X. Præstatione.

XI. Multa sunt, quæ per jurisprudentiam ad certas causarum obligandi species applicantur, quæ ad genus universum obligationis pertinent.

I.



Bligatio est juris vinculum, qvo necessitate astringimur alicujus rei solvendæ, secundum nostræ civitatis jura. Pulchra admodùm civilis compendiosæ jurisprudentiæ definitiva hæc est collectio (a); computanda certè inter primariò cõcinna illius romani systhematis: & ejus, opinor, perfectionis, ut, si cũ prudentibus ejus auctoribus, intra terminos ipsis delectos, (volũt enim obligationẽ in civili foro actionis exactionisqve efficacem describere) persistas, ac pro civilium usu, pulchram magis, ac per omnia còncisam sermocinationem ames, forsan non habeas, qvòd in qvovis ipsam merito reprehendere possis. Mihi qvidem in deliciis nostræ disciplinæ est; etiam pro sapore minimè ingrato accipienti, si forsitan dulcis uva nonnihil acidiorum acinorum, alii videri possit includere. Nec adeò potui, qvin eidem paucis qvoqve subscriberem: existimans, in ipsa contineri, qvædam planè *propriè dicta*; qvædam *pulchra translatione* naturam abditæ rei exprimentia; nonnulla, qvæ remotô usu æqvivocô, *justâ sensus amplitudine* eodem pertendunt; & deniqve aliqva, qvæ *pro definiendo universô obligationis genere strictiora* qvidem, particulari autem prudentum intentioni inservientia, *& ipsa* existunt *commoda*.

(a) pr. J. de oblig.

II. Ut de postremis primùm dicam, refero eò, qvibus obligatio dicitur, qvâ astringimur ad aliqvid solvendum, *secundum nostræ civitatis jura*: existimans, verba hæc posteriora, esse omninò restrictiva generis hujus obligatorii vinculi, ad speciem, qvæ robur suum ex jure civili obtinet; foris relictâ, si qva est, qvam fortè vigore suô hoc non imbuit; veluti est, qvam merè naturalem dicimus aut si qva aliô designanda est nomine. Non eqvidem libet hic, pro sustinenda etiam in his æqvabili generalitate definitionis cum definito, eò excusationis confugere, ac si hactenus verba hæc, ut generaliora accipi qveant, qvatenus *nostra* aut qvælibet alia *civitas, omnesve populi*, qvod ait Gaius(b) JCtus, & ex eo Imperator(c), *qvi*

(b) l. 9. de J. & J.
(c) §. 1. J. d. J. N. G. & C.

qvi legibus & moribus reguntur, partim suo proprio partim communi omnium hominum jure utantur; jusqve civile nostrum publicum privatumqve *collectum sit ex naturalibus praeceptis aut gentium aut civilibus* (*a*): sitqve proinde jus nostræ civitatis, latô sensu acceptum, id, qvo civitas nostra utitur, & propriæ simul constitutionis, & naturalis & gentium; qvomodò & disertè alias Aristoteles (*b*), jus sive ut ille amat loqvi, justum civile τὸ δίκαιον πολιτικὸν, in naturale & legitimum, τὸ μὲν φυσικὸν τὸ δὲ νομιμὸν distingvit. ut adeò secundum talem considerationem, & obligatio, qvæ ex omni tali sit jure, *civilis, aut nostræ civitatis*, censeri qveat, nec restringi propterea, sed declarari potius priora, per dicta verba ultima, videri possint. Eqvidem aliqvid speciosi hæc qvidem gerunt. an autem simpliciter hunc sensum, tum verba tum intentio Jurisconsultorum, in hac positione habeant, aut habere possint, merito dubites. Namq; primò tametsi jus justaqve nostræ civitatis complectantur etiam jura justaqve naturalia, aliave; non seqvitur tamen, qvod omnia qvæ naturâ aut aliô modô talia sint, comprehendât; sed videri possunt illa tandem naturalia, aut genium, aut doméstica, aut socialia justa alia, secundum nostræ civitatis jura legitima justaqve esse, qvæ & qvatenus jure nostrô nostrâqve nomotheticâ, vel per maximum ipsius naturalis juris vigorem necessariò amplectanda tuendaqve sint, vel si liberioris per naturam observantiæ sunt, expresiè, aut saltem tacitè (*c*) iis confirmata approbataqve existant: prout aliàs eò respectu testamenta, pacta, negotiaqve alia, legitima, (intell. civili lege) appellantur. unde fluit, qvod si in nostra specie, aliqvæ illarum, qvæ fortè naturalis aut alius juris sunt obligationes, negligantur jure nostro, vel qvatenus ipsæ negligantur, imò infirmentur, aut pro infirmis declarentur, (ut accidit qvidem) easdem in iis non contineri, qvæ secundum nostræ civitatis jura tales sint. Deinde nec omnigenam istam significationis generalitatem, in verbis illis intendere JCtos, vel ex ipsa repetitione, vocis *juris*, qvæ non nisi cum ineptitudine, viris prudentibus ac docendi peritis indignâ, posset in conscripta definitione, & ea qvidem, in qva præprimis, ut res docet, accurati studeant esse, repeti. ut igitur, qvod positum jam antea erat, obligationem esse *juris* vinculum;

(a) l. 1. §. 2. de J. & J. §. 4. J. eod. (b) 5. Eth. c. 7.

(c) per l. 32. & seqq. de ll. (d) l. 130. de VS. l. 6. de pact. l. 19. de stat. hom. l. 2. 3. 8. de cōfirm. tut. &c.

per hoc: *secundùm nostra jura*, qvod subjungitur, ne idem cum illo diceret, restringi debebat, ostensurum, talejuris vinculum hic intendi describi, qvod in civitate valorem habeat, & non tantum secundum naturæ qvælibet, sed & per civitatis recepta jura sit efficax.

III. Ut de efficaciâ, qvam ex civili jure obligationes habent, & cujus valoris intuitu, aliqvæ illarũ definitioni nostræ propriè subjiciantur, aut minus subjiciantur, pleniꝰ edoceamur; ad duo videtur omninò attendendũ: primò ad *vim sive efficaciã ipsã*, qvã ex jure civili illæ qvædam habent aut non habent, aut etiã differentem habent. Dei ide ad *modum*, qvô hujus efficaciæ ejusq; differentiæ docendæ ergò, *distingvuntur* à peritis, in naturales, in merè civiles, & eas, qvæ naturales simul ac civiles sunt. *Efficacia* qvã qvædam obligatio, sive etiam negotium speciem constituendæ obligationis præ se ferens, ex jure civili nancisci potest, (potest autem & nullam) aut stricta *debiti præstandi necessitas* est; exprimunt jura per *τὸ parere actionem*, & eam qvidem, *qvæ per exceptionem neqveat elidi.*(a) aut non hæc vis, sed alia qvædam *remissioris aut eventualis effectus* est. Hi effectus varii generis sunt, de qvibus mox patebit. Qvid autem per illam qvandam talem actionem intelligant in liqvidis est. nempe, qvod effectu hoc dicant, obligationem tanti roboris jure civili esse, ut cui aliqvid exinde debetur, is, si ultrò debitum non præstetur, instituta actione & qverela ad jurisdictionem publicam, hujus justo auxiliô idipsum obtinere possit; ut adeò debitor inevitabili necessitati solvendi, per illam obligationem obnoxius sit factus. Atqve hujusmodi qvidem, tantæ solvendi necessitatis obligationes, nostrâ definitione contineri, extra omnem est ambiguitatem. Qvicqvid autem reliqvum obligationum est, etsi aliqvô effectu jure civili non destituatur, siqvidem isthunc pingviorem qvoqve exinde non habeat, minus sub eadem videbitur contineri, ob diversitatis rationem; qvia nempe ad necessitatem civili jure solvendi, personam obligatam id non restringit, cujusmodi conditio tamen, illi reqviritur, qvæ nobis modò describitur, obligationi.

(a) l. 7. pr. de pact. l. 2. de except.

IV. Per *distinctionem* autem ante propositam, ferè eô modô ad discrimen effectuum, qvos ex jure civili obligationes habent, porrò

porrò procedunt periti; qvod observent primo, qvædam negotia, obligationum constitutiva ita esse comparata, qvod & per naturalem æqvitatem obligationes illa pariant, & qvod simul jure civili ita æstimentur, ut obligationes istæ eô sublevatæ, in absolutam, tanqvam ex æqvo pariter ac civiliter debiti, præstandi necessitatem abeant, dictæ inde fere κατ' ἐξοχὴν obligationes, item civiles obligationes (a). Atqve iterum extra dubium est, hasce, sive obligationes, sive civiles *obligationes*, sive, ut sunt, *civiles & naturales* simul dicantur, eas esse, qvas & nostra complectitur descriptio, & in qvibus conformandis parte plurima civilis juris dispositio est occupata. Deinde verò observatum fuit, qvibusdam obligatoriis negotiis accidere, ut ab æqvitate, sive ab initio, sive ex post facto, ita cassæ ac destitutæ sint aut fiant, ut æqvam obligationem non exhibeant; propter venerationem tamen observantiæ, qvam jure civili communiter inditam ac freqventatam hujusmodi habent, isthuc minimum roboris mereantur, ut obligatus judicio publicô respondere habeat; absolvendus licet, ob exceptionem peremptoriam actionisqve elisoriam, qvam paratam habet: forte contra actionem ex stipulatu, aut conventione alioqvin firmiter obligatoriâ aliâ, qvod numeratio promissa non fuerit subsecuta, qvòd turpis, qvod nulla causa, qvod dolus, qvod metus inducens, contractui intercesserit, qvòd pactum de non petendo, qvòd jusjurandum, qvod res judicata pro rei tuitione postea intervenerint, & si qvæ sunt peremptoriæ intentionis similia (b). Taceo, qvomodo præterea, qvoad alios effectus, aliàs qvibusdam naturalibus obligationibus competentes, prorsus hujusmodi mere civiles obligationes annullentur. qvando etiam ex iis soluta, ut indebita repetuntur (c); compensationem illæ non admittunt (d); debitum tanti valoris non fovent, ut in constitutum id deduci qveat (e); nec fidejussoriam obligationem sustinere valent (f). Forsan monere haud opus hic est, hanc tantæ infirmitatis obligationem, eam scil, qvam *mere civilem* nostri hic dicunt, à nostra descriptione exulare.

(a) l. 7. §. 2. de pact. t. de obl. qvib. mod. re contr. obl. de V. O. de obl. ex consensu.

(b) l. 5. 36. 7. 26 de V. O. t. t. C. de nõ numer. pecun. l. 2. §. 3. de dol. mal. l. 1 & t. t. de dol. mal. & met. caus. except. tit. ff. & C. de except. (c) l. 26. §. 5. & 7. l. 4. de cõdict. indeb. (d) l. 24 d. compensat. (e) l. 3. §. 1. de pecun. cõstit. (f) l. 37. de fidejussor l. 6. ad SC: Vellej.

V. Tertiò locô sunt, qvæ (oppositivè ad civiles) *Naturales* JCtis dicuntur obligationes, suntqve secundum eos, qvæ vel aliqvid

qvid naturalis æqvitatis habent, alicujus, tanqvam verè debiti præstandi, qvalis est, qvæ ex beneficio ad remunerationem, qvæ ex nudo pacto, qvod vocant, honesto tamen, est (a); vel qvæ tantum specie causarum, aliàs naturaliter obligationem inferentium, prætextæ sunt, propterea autem, qvod in aliis circumstantiarum, nimis laborent, vel nihil vel tantillum æqvitatis habent, ut specie licet aliqvid, re tamen penè, imò penitùs, nullæ sint, qvoad necessitatem exigenti inde aliqvid exæqvô præstandi; veluti si puer infans aut infantiæ propinqvus, conventione sese intendit obligare; si turpis fuerit facta conventio (b). Atqve notari qvidem de hujusmodi est, qvomodo, (si tantum aliqvid ex æqvo saporis habeant aut etiam, si casus incidant, qvibus, qvi contra venire nititur, minus bonâ pollet causâ) non penitùs etiam jure civili soleant destitui omni efficaciâ; qvin partim effectibus pollere non levis momenti: veluti sunt, qvod solutum ex iis plerisqve repeti haud possit; qvod potior earum pars fidejussorem, pignus, novationem, constitutum, compensationem & similia admittat, iisdemqve, ut primum hactenus satis firmum fundamentum substractum præbeant. De effectu non admittendæ repetitionis, ex iis qvalitercunqve debiti soluti, JCtus Paulus eas celebrat seqventi modô (c): *Naturales obligationes non eô solô æstimantur, si actio aliqva eorum nomine competat, verumetiam eô, si soluta pecunia repeti non potest.* qvibus verbotenus, tanqvam si Juliani essent, alibi (d) repetitis, subjicitur: *licet minus propriè debere dicantur naturales debitores, per abusionem intelligi possunt debitores: & qvi ab his pecuniam recipit, debitum sibi recepisse.* In exemplis pro hoc effectu solent adduci obligatio à servo homine contracta, si pro hoc alius solvit, aut etiam ipse pro se, ubi liber factus est (e): si qvis post litem contestatam ante peractum judicium, in qvo postea absolvitur, naturaliter debitum exsolverit (f): si pœna (intellige, qvæ remissibilis, aut alias non exigibilis erat) soluta fuerit (g). adderes & his & aliis obligationem, qvæ olim erat præstandi fideicommissi; qvæ ex pacto nudô; qvæ ex pollicitatione debiti; qvæ ad antidora; qvæ humanitatis est (h). De aliis hujusmodi naturalis obligationis effectis memorant JCti alibi (i). ubi tamen neqve hoc extra oculos est ponendum: non omnes interim, qvæ

(a) l. 25. §. 11. d. petit. hered. l. 7. §. 4. de pact.

(b) per l. 41. d. cōdict. indeb. l. 7. § 4. l. 27. §. 4. de pact.

(c) l. 10. de O. & A.

(d) l. 16. §. 4. de fidej.

(e) l. 13. de cōdict. indeb.

(f) l. 60. cod.

(g) l. 42. cod.

(h) per §. 7. d. fideic. hered. pr. J. de codicill. l. 7. §. 4. de pact. l. 1. 5. & t. t. de pollict. l. 25. §. 11. de petit. hered. l. 3. de J. & J.

(i) l. 1. §. 2. de novat. l. 1. §. 7. de cōstit. pecun. l. 1. 6. §. f. l. 7. d. fidejussor. & c

qvæ naturales obligationes dicuntur, habere effectus istos, jure civili, omnes; qvin alias habere hos, illis vero destitui posse. qvemadmodum, qvoad vim, ne solutum ex ea repeti posset, sive destituit sive infirmat jus civile obligationem pupilli, sine tutoris auctoritate contrahentis, itemqve mulieris intercedentis (*a*). qvibus ipsis tamen cum plerisqve reliqvis, hoc commune est, ut accessorias obligationes sustinere valeant (*b*); ut tanqvam aliqvæ primæ, per novationem, itemqve constitutum, in secundam qvandam, eandemqve firmiorem qveant transformari (*c*). Simili modô *compensationem* admittunt ex his qvædam, qvas & singularis aliqva debiti causa, & præterea æqvitas fulcit, nec civili jure penitus, qvà proprias præstationes, infirmatæ sunt (*d*); non vero illæ, qvæ in aliqvo contra se habent (*e*); sicuti vice versâ plerisqve utriusqve generis commune videri potest, qvod contraria conventione, vel jure jurando, ipso jure tollantur (*f*). Verum qvicunqve hi sint sive omnibus communes, sive qvibusdam speciebus harum naturalium obligationum, competentes effectus, etiam civili jure iisdem asserti, donec in eam conditionem, eôdem jure illæ protractæ non sunt, ut ad institutam judiciariam perseqvutionem, necessitatem solvendi præstent, verbô, ut actionem non pariat; nec cum emphasi civiles merentur dici nec sub definitione nostra, qvâ per *necessitatem solvendi secundum nostræ civitatis jura* obligatio describitur, intelligi possunt propriè contineri. Maximè cum accidat, qvod ob hujusmodi defectum, civili jure etiam tanqvam nullæ, nec partæ qvidem haberi illæ soleant (*g*).

(*a*) *l.40. & 41. de cōdict. indeb.* (*b*) *l.6. § f. cum l.7. de fidejussor. § 1. J. eod.* (*c*) *per l.1. § 2. de novat. l.1. § 7. de constitut. pecun.* (*d*) *per l.6. de cōpēsat* (*e*) *per l.14. de cōpens junct. l.40. de condict. indeb.* (*f*) *l.95. § 4. de solut.* (*g*) *per l.7. § 4. et 3. de pact. add l.10.108. de V. S. l.66.113. de R. J.*

VI. Dixi porrò ante, alterum aliqvod genus vocum in hac definitione reperiri, qvod *proprium*, qvodqve existimem maximè inibi reqviri, putans *juris* ac *necessitatis*. nempe pluribus per superius tradita (*h*) liqvet, qvomodo communis omnis obligationis conformans causa jus sit; jam vero à causis efficientibus descriptionem definitivarum differentias colligi, tum usus probat, tum necessitas sæpè postulat. Ita ipsas *juris species*, qvibus illud naturale, divinum, humanum, civile est, particulatim aliter definire ac distingvere nescias, nisi â causâ efficiente, ipsas specificas harum partium differentias inde desumendo. simile accidet, in adoptione tute-

(*h*) *lib. 1. lib. 2. cap. 1.*

tutela, succeſſione, & compluribus aliis, tum particularibus, tum univerſalioribus negotiorum generibus. In qvibus (ut in ipſa qvoqve obligatione) accidit, uti, prout in definitionibus fieri oportet, ab aliis ſui generis commodè diſtingvi non poſſint, niſi ab efficiente petitâ qvadam differentiâ. Planè, ut in ſpecie noſtra perſiſtam, plures ſpecie *neceſſitates* ſunt, & plura, qvibus obſtringimur, vincula, ad aliqvid faciendum; puta illa qvoq; violenta qvædam, juſtitiæ etiam maximè qvandoq; adverſa ac inimica, utpote à cauſa procedens juri diſpare, violento nimirum ac injurioſo qvodam adactore: *vinculum* autem & præterea corporeum datur, qvô adſtringimur, non tantum modô, qvô libertatis aliqvam labefactationem patimur, ſed non rarò etiam, alicujus rei præſtandæ ergô, ut igitur ab his & hujusmodi aliis generi ſuo ſuppoſitis ſpeciebus, hæc obligatoria neceſitas diſtingveretur, rectisſimè qvidem à concauſa hac ſui, *jure*, ſimul videtur deſcripta, ac deſcribenda eſſe. diſtincta per adjectionem hanc excitura ab eâ agendi neceſitate, qvæ ex coactiva violentiâ, ac duplex juxta Philoſophum (*a*) eſt, tum qvæ omne concurrens hominis arbitrium excludit: veluti ſi imbecillior à vento aut à robuſtiore viro ſublimis raptus deporteris, aut vinculis catenisqve conſtrictus ducaris, qvò nolis; tum qvæ minacitate ac metu majoris detrimenti, ad actum, qvem alias nollet, aliqvem impellit: utramqve in genere, *neceſſitatem facti*, dixeris, diſtingvendo ab noſtra illa altera, qvæ *juris* eſt; diſtinctione aliâs romanæ jurisprudentiæ notâ (*b*). Qvalis autem hæc juris neceſſitas ſit, & qvomodo non abſolutæ ac prorſus irrefragabilis exiſtat coactionis; ſed talis, qvæ proprium hominis declinandi, & in id, qvod ſanctio legis minatur, malum, ruendi arbitrium, actu non tollat, ſed ſolummodo in diverſum urgeat (*c*); qvoniam ſupra jam pluribus propoſitum eſt, nunc ſupervacaneum repetere eſt. Obiter curioſitatem JCtorum noſtrorum ſub notare libet, qvâ removendo arbitrium, neceſitatem hanc, ut eſſentiale obligationis, & tale citra qvod obligatio non eſſet, enixè, inculcant: nullam adſerendo obligationem poſſe intelligi, aut obligationis validas cauſas, ubi & in qvibus præſtatio in arbitrium debitoris, ſeu perſonæ obligandæ collata eſt, ſive per contractus (*d*), ſive per diſpoſitionem

(*a*) *lib. 3. Eth.*
(*b*) *t. de juris & fact. ignor. l. 3. de aur. & arg. leg. 1. l. 122 de V. S. l. 1. §. 1. quæ res pign. junct. l. 7. §. 1. & ſeqq. à donat. l. per. de cap. minut. l. 25. in f. C. de dona. int. vir. & uxor. &c.*
(*c*) *lib. 1. cap. 2 in fin.*
(*d*) *l. 17. C. l. 7. ff. d. cõtrah. empt. l. 8 de O. & A. l. 17. l. 108. de VO.*

nem ultimæ voluntatis (*a*), (ita vulgò distingvimus) illa tentata est hoc modo constitui: Similiter (hæc autem illis æqvipollent,) *debitorem qvem non intelligi, à qvo invitò pecunia non possit exigi* (*b*); Imò verò *debitorem esse desinere, qvi justam, nec ab æqvitate naturali abhorrentem exceptionem sit nactus* (*c*); adeòqve & in parte relata, creditores eos tantum esse, qvi exceptione perpetuâ summoveri non possint, qvibus qvæcunqve efficax competit actio (*d*); non autem, qvibus naturaliter tantum debeatur, aut qvorum actio per exceptionem infirmetur (*e*). Qvin scrupulantur porrò in his nostri justiperiti, disqvirentes, utrum penitus in arbitrium futuri debitoris collatum sit, velle obligatum esse vel non esse, præstare vel minus; an verò modus tantum obligationis, voluntati ipsius, ad modum arbitrii boni viri, cōmissus sit (*f*). & priori casu iterum nullam obligationem statuunt, posteriorem verò sub genere detinent. Item ad arbitrium ac electionem creditoris respicientes, hoc obligationis valori non adversari autumant (*g*). Pertinet huc, qvod compluribus in locis per jus civile inculcatur, de libera potestate, qvam qvis ante habet obligandi sese, deqve necessitate, qva postqvàm obligavit jam sese, is subjaceat (†); unde natum illud communiverbium: *Ex post facto necessitatis fieri qvæ ab initio fuerint voluntatis.* Sed tantum de his.

VII. Ad tertiam classem partium definitionis nostræ, qvam duxi statuere eorum, qvæ à nativô sensu suo translata, pulchrâ tamē similitudine rem abditam ac subtilem, per pulchrè exprimunt, referres verbum *vinculi*, itemq; *astrictionis*, & ipsum deniqve, qvod definitum supponit, *obligationis*. Sane *vinculum* non hic tantum, sed & alibi hinc inde apud juris nostri authores, obligatoria illa juris necessitas audit, tum ad naturale, tum ad civile jus respectu habito, qvando (*h*). *& naturale & civile vinculum, vinculum æqvitatis* ac simili modo ea dicitur. Pariter freqvens qvoqve est in hac materia, *astringendi* vocabulum, itemqve qvod suppar huic est, *obstringendi*, in qvo *obligationum substantiam* etiam ponit Paulus JCtus (*i*). De *obligationis* voce, qvin in legitimo negotio penitus civitati sit donata, atqve tantopere appropriata eidem, ut rarius extra id, eam audias, imperitum esset ambigere. Attamen deducta hæc omnia

(*a*) l. 43. §. 2. de legat. 1. (*b*) l. 108. de V. S. (*c*) l. 66. de R. J. (*d*) l. 55. l. 10. de V. S. (*e*) d. l. 10. & l. 113. de R. J. (*f*) l. 75. de legat. 1. l. 31 §. 7. de leg. 3.

(*g*) l. 65. §. 1. d. legat. 1. l. 69. d. condit. & demonstr. l. 112. pr. de V. O. Gothofr. ad l. 17. de V. O. (†) vid. l. 5. C. de O. & A. & ib. alleg. à Gothofr. (*h*) l. 59. d. cōdict. indeb. §. 1. de fideicom. hered. l. 95. §. 4. de solut. l. 1. de novat. l. 5. de pignor. & pas. (*i*) l. 3. pr. de O. & A.

esse à materia corporeâ, actuqve ligandi, astringendi, obstringendiqve, qvi corporeo contactu, corporum fit, negare non permittunt sensus: qvibus, & per qvos menti talia manifestius incurrunt: qvorum obvio judicio, primô qvasi usu vincula sunt, fila qvælibet qvidqvam obstringentia, catenæ, & si qvi ligant taurorum cornua funes, Item carceres, custodiæqve aliæ (a); qvibus manifestò ligare, obstringere, obligare &c. primùm actus sunt, qvi ejusmodi aliqvibus instrumentis expediuntur. . re interea lónge obscurius se conceptui ingerente, qvæ ad legitimam ligandi rationem pertinet, ubi nec ligans, nec id qvod principaliter ligatur, jus scil. ac hominis animus, res sunt sensibiles, multo minus modus ligandi, aut ipsum qvod hic nectitur vinculum stringitqve ligatqve: Unde nec nomina ex sese temere potuerunt invenire hæc omnia, sed siqvidem denomināda forent, ex alio sibi in natura analogo magis obviô denominationem pœnè habebant assumere. . Id qvod propter multiplicem, qvam cum vinculo corporeo ligandiqve reali actu, hæc habent analogiam, videri potest fieri factumqve esse ab illis commodissimè: qvippe usus materialis vinculi est, rem qvandam circumdare, ob-sive circum-ligare; ob circum-ve ligat qvoq; hominem qvasi ejusqve potentiam juris necessitas: illud ipsius ligati potentiam ac libertatem terminando, & in arctum cogendo v. g. manuum pedum, operandi aut progrediendi; hæc liberam qvoq; hominis potentiam in arctum qvasi cogendo, dum ad rectum eam conterminat, detinetqve, ne, qvò aliorsum sua qvidem vi valeret, evagetur: illud constringendo res, aliàs dissolutas, ac à sese invicem liberas, in unum qvasi nexum, ut conjuncta fiant; hæc homines similiter sibi connectendo, debitorem videl. cum eô cui debetur: vincto ligatoqve per illud, accedit ad actum qvendam protrahi, adigiqve; jure obligatus, ad aliqvid solvendum, præstandum agendumve, plurimùm per legitimam isthanc necessitatem protrahitur ac adigitur: Deniqve ut vinculo ligato, illô demptô, accidit solvi ac liberari, tum qvoad potentiam propriam, tum qvoad conjunctionem adstrictionemqve ad alterum; ita necessitate juris constricto contingit, solvi ac eô modô liberari; sunt qvidem hæc & reliqva in vulgus notissima. Unde adeò id, qvod modo dicebatur, liqve-

(a) l. 224. de V.S.

liqvere putem; nempe si à notiori, eoqve analogo, tum ipsa subjecta nostra species tum genus, tum actus ejus, denominari debuerunt; à materiali ligandi ligamentiqve ratione, *obligationem, vinculum, obstringere,* definiri ac dici isthæc potuisse cōmodissimè. ut alia qvæ circa hæc qværi possent, omittam, utrum nempè congruentius diceretur: obligationem esse *juris necessitatem obstringentem* nos, an, esse juris vinculum obstringens necessario qvid solvere: Nec illud qvenqvam velim offendere, qvod *obligatio*, qvæ *actum* dicit, sub *vinculo*, & per hoc qvasi ut sub genere *instrumenti* ponatur. nimirum, definitur hic juris vinculum obligatio, non nudè, sed id qvod hominem ligans stringensqve est, eoq; agens, & qvod ipsus qvidam qvasi ligans actus juris in homine est; qvo qvidem sensu parum abest, qvin vinculum hoc & obligatio ad idem genus recidant, ligationemqve atqve obstructionem juris dicant. Sed pulvisculi hi sunt; cujusmodi è nostris definitivis positionibus extrudere esset elegantiam romanam odisse.

VIII. Postremo, pars nostræ definitionis, qvam liberatam ab æqvivocatione, justæ suæ amplitudini donandam dixi, est, qvâ *alicujus rei solvendæ* obligatio esse dicitur. Obligatio tum civilis, tum æqva cuncta, ut omnis justæ actionis, à jure descendens causa principiumqve mediatum universalissimum alterum est, ita actio, qvæ hujus effectus habetur, videtur non nisi genere latissimè accipienda esse. Ita autem & latissimè hujus respectu effectus patere obligationem, etiam authores romani juris multis advertunt, qvando *obligationum substantiam in eo* Paulus ait (a) *consistere, ut alium nobis adstringat ad dandum vel faciendum vel præstandum.* & alibi passim isti per plurimos textus, verbis obligationem inferentibus, modò junctim modò separatim *dare, facere,* exprimunt, & qvam late accipienda sint, tum ipsa hæc, tum species ipsorum, describunt; ubi toties ingeminant illud: *dare, facere, oportere,* (b), *stipulationes in dando & faciendo consistere* (c) contractus innominatos esse *ut des, ut facias* (d); ubi deinde separatim singula ex his, non semel hoc modo describunt, veluti *dare oportere* modò strictius *dominii translationem* inferre (e), modo latius etiam denotare citra hunc effectum *tradere* (f). Deinde ipsum *facere oportere*, non tantum in specie, qvâ

(a) l.3. de O. & A. (b) §.1. J. de act. (c) l.2.pr. de VS. (d) t.t. de præscr. verb. & in fact. act (e) §.14. de act. l.107. d.R. J. l.75. §. fin. de V. O. (f) per l. 25. de contrah. empt 4. de usur. l.55 de condit. & demonstr.

qvâ dandi obligationi opponitur, perqvâ amplum esse in suis partibus, continens *restitutionem commodati, depositi, pignoris, exhibitionem, operæ præstationem* & qvocunqve alio nomine insigniendam factionem, ad qvam obligari solemus, qvæ tamẽ vel dominii translationem vel traditionem saltem rei cujusdam non habeat; sed præterea, qvâ strictam illam naturam verbum *facere oportere*, excedit, amplissimæ id acceptionis esse, qvâ nempe mixtim utramqve tam dandi, qvam strictè dictam faciendi obligationis speciem complectatur: *faciendi verbum reddendi etiam causam contineat* (a); obligatio *restituendi rei* cujusdam, *ipsius corporis reive cum fructu redditionem* (b), *damni reparationẽ* (c), *possessionisq; cum omni* competente conditione & *causa traditionem* (d) comprehendat. Qva præterea etiam hanc generalitatem transscendens, verbum (e): *Facere oportere, & hanc significationem habeat, ut abstineat qvis ab eo facto, qvod contra conventionem fieret: & curaret ne fieret.* Item alibi (f): *qvod qvi non facit qvod facere debet: videatur facere adversus ea, qvia non facit.* nec deesse possunt exempla etiam obligationis non faciendi hujusmodi, veluti si qvis tenetur perpeti ac non impedire, ut alter re suâ utatur, prout accidit, ubi commodatum, pignoratitia antichresis, servitus eundi ambulandi, aqvam ducendi, ususfructus ac simile jus in meo constitutum est; si, ut capite dicam, qvisqve tenetur non lædere qvemqvam. Ex qvibus adeò omnibus constare putem, qvia obligationi accidit adeo generalissimè agendi faciendi esse, qvod si *rei solvendæ* locutio, actum exprimere debeat, qvem obligationis vis intendit, utiqve in definitione obligationis tanta latitudine significationis illam qvoqve oportere accipi.

(a) l.175. de V.S. (b) l.22. 246 §.1. de V.S. l. 173. §.1. de R.J. (c) l. 81. de V.S. (d) d. l.22. & 246. l. 35. 75 de V.S. (e) l. 189. de V.S. (f) l. 121. de R.J.

IX. At, dixeris, videri potest, ac si *vox solvendi rei* alicujus, tantæ acceptionis latitudini non sit congrua satis, utpote ad *rei* magis in specie dictæ, qvam debiti *facti* præstationem visa pertinere. neq; enim temere solvere qvid vulgus dixerit eum, qvi promissam nobis præstat operam, veluti, qvi iter facit, columnam erigit, domum extruit, imò qvi commodatum, depositum, pignus aliudve nostrum nobis restituit, præsentiam rei exhibet, aut ejusmodi reliqva facit; sed illum demum qvi pecuniam, remqve aliqvam patrimonialem, qvam debet præstat, unde fere & personis tantum accidit,

dit, dici solvendo esse (a). Qvorsum utiqve & illa JCtorum collimant, (qvamqvam aliqvo modo tamen latiori, ut videtur, sensu) qvando solutionem ejus qvod debetur, tum aliis tollendarum obligationum modis, tum satisdationibus aut satisfactionibus aliis opponunt (b). Cæterum his non obstantibus, & subjecti naturæ, & usui doctrinali, qvem ad lingvam vulgi metiri sublimior rerum inspectio non semper patitur, haud incongrua omnino videbitur obligationis actui exprimendo illa *rei solvendi* dictio. Nempe qvod *rei* attinet vocabulum, notum est, illud qvidem tam esse latum, ut etiam pro transcendente habeatur omnium qvæ sunt; ut adeò etiam hujus generalitatis retrahendæ causâ commode videatur fieri, qvod in dicta definitione addatur *alicujus*, cum nec omnis rei natura fert, cuiqvam ab aliqvo solvi. Sed etsi qvidem tanta latitudo voculæ rei hic negligenda est, de cætero In ipsa tamen convenienti latitudine rei significationem ut latissimam amant notare JCti, *corpora* videl. *causas, jura, facta, nomina* h. e. omne debitum eâ reputantes (c) contineri. Similiter de *solutionis* qvoqve *verbô*, hi asseverant (d) eô *satisfactionem qvoq; omnem accipiendam esse, & solvere nos dicere eum, qvi fecit qvod facere promisit* debetve. Et forsitan hæc generalis significatio hujus verbi ideo convenit, qvod effectum æqvet causæ, ipsâ appellatione, & qvidem tali, qvæ illô absolutô simul inferat causæ cessationem; qvippe tota obligatio cujusqve rei, si non specie, saltem qvo ad individua circumstantiarum, non ideò est, ut duret, sed ut continuò, & tum qvando maximè stringit, exsolvatur; fitqve, ut vel planè, siqvidem totum qvod, & omnimodò ut debebatur, exsolutum est, vel saltem qvatenus hoc aliqvid exsolutum præstitumqve est, cesset obligatio; non enim hæc, jam dum præstiti esse, aut eô superesse potest (e). Ubi tamen omnino videtur notare esse distinctio solutionis, in eam, qvæ est obligationis, & qvæ rei: & qvod de hac, ut etiam præ se fert, non autem de illa, nostra sit accipienda solutio. Namqve uti fieri potest, ubi persona aliam materiali vinculo nexam tenet, ut vel ipsa persona ligata, nexu sese exsolvat, vel qvi nexam tenet hanc, dimittat inde, laxetqve, vel deniqve ut casus, aut tertius qvisqvam interveniens, vinculum dissolvat, liberetq; ligatum; ita & in obli-

(a) per l. 114. d. VS. (b) pr. & t. t. J. qvibus mod. toll. obl. l. 49. de solut. l. 9. §. 3. de pignor. act. l. 21. §. 2. de cõstit. pecun. l. 4. §. 3. de re judic. l. 6. §. 1. qvib. mod. pign. sol.
(c) l. 23. & 65. de VS. l. 1. §. 1 de injur. pr. I. de obl. & pass.
(d) l. 176. de VS. add. l. 52. de solut. l. 4. §. 3. de re judic.
(e) per l. 57. de R. J.

gatione hàc legitimâ usu venire cernere est, nempe qvod dissolvatur eadem, libereturqve obligatus, si vel ipse, præstando qvod debet, sese exsolvat, vel si remittat debitum alter, vel qvod, aut corruptis in qvibus hærent, & ipsa pereat, aut tertius interveniens vel præstet pro debitore præstanda, vel aliàs authoritate suâ, qvam in juris habet nexus, obligationem dissolvat, tollatqve. Cæterum ipsi qvidem obligato soli relicto hoc solum sese exsoluturo remedii prorsus videtur esse reliqvum, ut præstando rem seu debitum, nexu obligationis semet liberet, utpote qvod hæc sola solutionis species, finis sit, (ut dictum est) obligationis, &, qvem intendit illa, effectus, idemqve positus extra obligati, qvod ipsa constringit, arbitrium liberum faciendi aut omittendi. neqve enim ideo consvevit obligationes contrahi, vel certè ideò non inventæ illæ aut per naturam constitutæ sunt, ut creditor, aut cui obligatus qvis est, habeat, qvod remittat, aut ut tertius veniat & dissolvat. Unde id proinde rursus videtur resilire, illi solutioni, qvæ per rei aut debiti præstationem fit, jure meritoqve qvasi καῖ ἐξοχὴν datum esse, ut *solutio* diceretur: utpote qvæ sola in intentione, qvæqve finis & effectus obligationis proprius est.

X. Tametsi id hic saltem non improbarem, si qvisqvam cum Paulo JCto, ex l. 3. ff. de Obl. & Act. pro solutione *præstationem* substituere, ac nostræ definitioni in locum subministrare malit. eqvidem & vitaret hoc modo dictam vocis solutionis æqvivocationem, & verbum commodum reperisset, itidem usitatum romanæ lingvæ legibusqve, ac laxum satis. Nam utut illa ab eventu petita ut fieri assolet, solutionis denominatio, satis est concinna; minus tamen rei ipsi & fini proximè intento, intrinseca videri potest, qvam verbum præstationis, qvod compositum à *præ & statuendo*, (hoc enim verbum propius congeneum *stationi* aut *stitioni* dixeris, qvam τοῦ *stare seu stando*) ipsum modum actus, ad finem obligationis tendentis, qvi est, ut debitum juxta legis præscriptum ab obligato pro (& ipsi cui debetur) præ- adve-statuatur, penitiùs videtur exprimere: plenæ tantopere autem hac, eô sensu, voce, sunt romanæ leges, ut exempla hic colligere, esset magnam partem juris civilis describere: Latitudinem ipse Paulus d. loc. videtur voluisse innuere,

nuere, qvando hanc præstationis vocem, verbis dandi ac faciendi, non ut speciem ab his diversam, hoc enim nec usus nec natura rei pateretur, sed tanqvam comprehensuram ac completurum, qvæ isthæc vel contineant vel videri possint non continere, summittit. Nec dubium est, si qvisqvam consideret, qvid sibi in jure velint, præstare rem, præstare diligentiam, dolum, culpam, periculum, factum, & similia, qvæ nunc perseqvi omnia evagari nos faceret nimium, is facile animadvertet, non comprehendi eô tantum rerum forte corporalium aliarumve, erogationes dationesve, sed omnis generis factorum simul ac non factorum omissionumqve, veluti damnum rei non dandi, non obstando ut alter re utatur: *Hæc verba*, ait Ulpianus (*a*), *hic rebus rectè præstari, hoc significant, ne qvod periculum vel damnum ex ea re stipulator sentiret.*

(*a*) *l. 71. §. 1. de VS. ubi vider. potest Godd. & inde porro circumspici.*

XI. Sunt non pauca, qvæ ut communia & generaliora ad universum genus obligationis jure methodi, tractanda atqve distingvenda forent, qvæ etiam jurisprudentia nostra romana imprimis multis qvidem tangit, sed ita dispergit, ac per varias materiarum v.g. actionum judicialium, stipulationum, legatorum, &c. species, distribuit & iisdem per partes applicat ut vix eadem pro talibus, qvæ sunt habeas; cujusmodi sunt illa de *stipulatione puri, in diem, sub conditione*, relata *ad certum locum* (*b*); cum certè puram vel modalem esse, obligationi, non tantum ei qvæ ex stipulatione, sed qvæ ex conventione omnis generis, ex dispositione testamentaria, aliisq; ex causis ac dispositionibus obligatoriis est: similis ratio est eorum, qvæ (*c*) de *rebus qvæ legari aut in stipulationem deduci, de personis qvæ qvibus stipulari possunt* habentur. Item qvando alibi (*d*), nil crepatur nisi *actio bonæ fidei stricti juris, actio pœnalis, actio simpli, dupli, tripli, actio perpetua, temporalis &c.* cùm pari jure, imo forte potiori *obligationem* bonæ fidei, stricti juris, pœnalem, dupli perpetuam, temporalem dixeris; qvia nempe hujus hæc duratio, hujus illa præstandi ratio, qvasi fundamentum videtur præbere, cui talis exigendi ratio innitatur. Suavi autem amplexu acceptandum utiqve est, si qvid ad universum hoc genus obligationis pertinens, de eo universaliter dicatur, sive sparsim, sive etiam, qvod rarius accidit, cum aliqva pleniori collectione, cujusmodi sunt illa; *de per-*

(*b*) *t. 3. d VO.*

(*c*) *t. d. legat. de inutil. stip.*

(*d*) *t. de actionib.*

de personis per quas nobis obligatio acquiritur, de modis quibus obligatio tollitur & pauca similia. Verum hæc & hujusmodi, cum & amplioris & seqvioris videantur esse tractationis, qvam ut vel pro declaranda definitione hujus universi generis supponi, vel causis constituentibus præponi debeant, hic qvidem prætermitto, visurus, num ratio instituti & tēporis qvo nunc urgeor, penuria ferat, ut de causis obligationis tractatione qvâdam præmissâ, qvædam istorum, paulo distinctius perstringendo eidem postponam. Modo caput hocce ut ab obligationis definitione cæptum, ita ejusdē definitione claudere cupio. Nempe cum abunde pateat ex ante dictis, *juris* esse obligationem, idq; ad differentiā ejus, qvæ facti est, in definitione esse adponendum; similiter essentiam ejus, qvâ à potestate, altero juris effectu diversa est, in *necessitate* esse: Et tum jus, tum hanc, per vim à jure sibi communicatam, ad justè *agendum*, voce hac latissimè acceptâ, proximè protendere: Mihi qvidem Obligatio, in genere, si primus ejus definitionem ponerem, esset *legitima* sive *à jure necessitas agendi*; vel etiam adhuc brevius, (subintellectâ, ut supra ad potestatem qvoqve fieri posse observatum est, voculâ agendi) *juris necessitas.*

CAP. II.

De causis obligationis.

I. Beneficium, Maleficium, Conventionem & reliqva, causas per naturam extare, qvibus datis, obligatio enata extet, dictitat etiam impuberi ætati mens humana.

II. Imò alicui brutali naturæ, ex parte, sua, suô modô, sensui litas.

III. Hominibus autem adultis, sua qvidem rationis vis idipsum ostendit clarissimè.

I.

QVinqve potissimùm naturam rerum novisse, qvibus *datis*, ita juris incumbat virtus, ut obligatio inde erga personam personę innascatur, *Beneficium* nempe, *Maleficium*,

ficium, Conventionem, Conjunctionem, ac in Bono Præcellentiam; ut vero res personæ obligetur, *tot, qvot modi constituendi dominii sunt*; jam supra (*a*) fuit præmonitum: ut & hoc; probatum isthoc iri, ubi ostensum fuerit, singula hæc naturâ suâ talia esse; doceri autem qvâdam sive ratione sive experientia haud possit, qvicqvam ulterius hujus generis præter hæc horumve partes, ex rebus depromi posse. De isthoc igitur, modò nunc inqvirere tempus est. Ubi qvidem primò videri potest, etiam nihil per naturam menti nostræ magis prostare, qvam qvod dictæ modò qvinqve rerum species *datæ*, causæ personam obligandi sint. Cum etiam impuberem usq; ætatem, anteqvam universalia regularum doctrinâ imbibit, statim, ex qvô solummodò aliqvalem rationis incipit habere usum, interna mentis suæ vis, hoc qvoqve incipit docere. Puero si qvicqvam promiseris, aut qvasi cum eo conveneris, de qvoqvam ei dando, aut de aliqvo ab ipso tibi præstando: Is, animadvertere sese, ex promissione tua te ipsi obligatum esse, mox declarabit, compellando te potius qvam alium qvendam in tempore, facias ut promissa appareant; & si qvidem non feceris, indignando, non tantum, ut super incommodo, sed &, ut super facinore iniqvô. Qvin & vicissim, si qvid ipse forte promisit tibi, similiter se obligatum subsentiens, vel operam dabit, ut promissa præstare possit, aut, si non possit, aut appetitu forsan aliò trahatur, vel excusabit sese de non præstitis, vel te fugiet; aut saltem, si modo ingenio est paululum liberalior, ac intelligentior, erubescet. Similiter eadem impubes ætas, ex qvo beneficia qvædam esse, & benefactores nosse, eosdem vicissim amandos, iisdem rursus benefaciendum, saltem à sese eos non lædendos, sentire incipit; ac vice versa, da, dicet, aut fac hoc mihi, qvia dedi aut feci tibi. Ex qvo percipit puellus conjunctionem, sive ea sit cognationis, sive familiaritatis, sive alia, cui insitus ipse est, continuò suam, qvâ in hanc movetur, addictionem, data occasione, qvâ forte conjunctis maligni aliqvid extrinsecus obventurum aut obvenire sentit, qvodam singulari compassionis affectu ostensô, & sæpe etiam, qvantum in se est, contraitione, palam faciet: Item ipse tutelam beneficiaqve alia, qvasi qvodam communitatis jure, ab hac hujusdemqve membris, expectabit. Porro, re-

(*a*) *lib. 2. cap. 1. num. penul.*

verebitur, qvos animadvertit, ætate, virtute, aliaq; bonarum qvalitatum eminentiâ sese præcellere, & horum magis, qvam æqvalium reprehensiones sustinebit. Et deniqve, si sui cujusdam delicti enormitatem persentiscit, acutum imprimis habebit sensum, ad pœnam sese esse obstrictum, ejusqve nomine potestati ac censuræ superioris esse obnoxium, actusqve hoc sensu fugiet, excusabit, deprecabitur. Ita, inqvam, ab usqve prima ætate nobis ingenitus est sensus, ex istis datis obligationem arguendi.

II. Ne nunc qvidem urgeam, in multis brutorum animantium hujus ex hujusmodi causis obligatorii vinculi simulachra sensus naturam posuisse; ubi non videas, qvodvis animal, etiam alioqvin mordax rapaxqve sui simile insectari, utut fortius ac robustius sit alterum alterô; scilicet hic subest, suô modô, cognatio: nec promiscuè ab iis dem hominem impeti, sive qvod sensus aliqvis naturæ sibi in hoc prælatæ, sive qvod aliud occultum primævæ illius legis (a): *Terror vester ac tremor sit supra cuncta animalia terræ:* subsit. Canem, offâ furtim ablatâ, sensum maleficii, ac meriti ob id flagri, habere, animadvertas, dum post factum ille fugit. Eundem cernes extraneos arcere, familiares admittere, dominos ac benefactores seqvi ac tueri, etiam sæpius cum sensu aliqvo meritæ correctionis, si contra egerit: qvibus utiq; motibus, præter cætera, si qvæ sunt, ipsam familiaritatem, beneficium, malignitatem facti, tanqvam obligatoria qvovis sensuali modo agnita, substerni dixeris. Volatus ad ductum, pacata & qvasi socialis multorum cohabitatio, ordinata ac diligens compactio certorum operum, qvod præter nudum appetitum, aliqvid conventioni aut obligationi, ex consensu simile spirent, nescio annon suspicari liceat. Sed qvorsum est, qvod qværamus in natura brutali, qvod ipsa rationalis reddit nobis manifestum?

(a) Gen. 9.

III. Qvod puerilis ætas nostra sentire occipit, id homines jam adulti facti, nec improbi nimis, bona utentes ratione, sanè clarissimè, ipsâ mente nostra edocti, perspicimus. De veritate scilicet naturæ esse, teneri nos ei, à qvo beneficiis sumus aucti, cui damna intulimus, cui qvid promisimus, cognatione aut alio societatis genere conjuncti, virtute ac dignitate inferiores sumus, ad favorem nimi-

nimirum ac retributionem, ubi is eâ opus habet, ad restauratione͂, promissi præstationem, sociale juvamen, venerationem, & alia, & qvidem propter isthæc, ut causas; similiter & alium propter eadem, talia à nobis jure meritoqve prætendere. Nec obligatus tantum, sed ille etiam, cui is est obstrictus, id multô, forte etiam acriori, qvam alter, sensu, conceptum habebit; qvod nempe hic & amore sui & affectu in proprium commodum simul stimulatus in hunc feratur; cum vice versa amor libertatis, cui minuendæ omnis nata est obligatio, & aversio ab eo onere, qvod secum fert obligatio, sensum veri obumbrare nitantur. Cæterum utut in his magis forte cæcuciat mens perturbationibus infecta, in eâ tamen, qvæ hisce pura est, horum sensus æqvabiliter utrinqve reperire erit; nempè ad qvæ ex dictis causis hic se alteri, ad ea istum alter sibi pariter sentiet obligatum; neqve his tantum inter se, sed & aliis similiter de hisce simile judicium erit, æqvè clara mente idem spectantibus. Qvin sensum obligationis in sese, tanqvam ingenuâ indole dignum commendari hominibus ac celebrari reperias; *Animi est ingenui* (ait Cicero) (*a*) *cui multum debes, eidem plurimum velle debere.* Et Seneca (*b*). *beneficium reddere eum qvi libenter debet.* Sed nunc de causis hisce sigillatim est agendum, ubi simul de modo ac speciali singularum natura, qvâ ad hunc obligandi effectum comparatæ sunt, opus erit, ut appareat pleniùs, factô qvidem initiô ab eo, per qvod primum ipsa natura rerum in esse prodiit, & qvo primitus auctori rerum aliqvid obligari cæpit, beneficio videlicet.

(*a*) *Ep fam. lib.2.epist.6.*
(*b*) *lib.1.de benefic.*

CAPUT III.

De Beneficio,

Tamqvam causa obligationis.

I. *Beneficium; qvod est alicui ab altero facta liberalis præstatio;*

II. *Boni scil. alicujus, sive ad esse sive ad bene esse ejusdem pertinens;*

III. *Utiq; obligationem gignens causa est.*

IV. Cujus debiti modus, plurimùm ex modò beneficii præstiti, ejusq; naturalibus, est dijudicandus.

V. Scilicet συνάλλαγμα beneficium est, pro suô istboc modô, ac insuper pro superveniente indigentiâ benefactoris, beneficiariiq; potentiâ, commutandum; re dico, factove beneficiò aliô, tanqvam, ex obligatione istbinc natâ, debitô,

VI. Qvod qvidem per contingentiam futuræ illius indigentiæ ac potentiæ, plurimùm ab initio hujus obligationis contractæ, qvasi conditionale, ac indeterminatum apparet;

VII. Ex post factò verò determinationem sic satis congruam valet recipere, ex indigentia ipsa benefactoris;

VIII. Ex copiâ atq; possibilitate beneficiarii;

IX. Ex ipsis qvoq; beneficii collati sive accidentibus, sive naturalibus, tum reliqvis;

X. Tum imprimis, liberali benignitate benefactoris; Cujus virtus obligationem hic videri potest nectere, non modo ad par ac simile;

XI. Verum etiam ad acceptò præstitóq; majus retribuendum.

XII. Qvin & ad personas, benefactorem, beneficiariumq; contingentes eadem hæc obligatio protenditur.

XIII. Pleraq; hæc & recta dictitat ratio:

XIV. Et prudentum, legumq; civilium solet notare animadversio.

XV. Ut tamen eadem hæc, ex certis causis, eandem qvoq; hanc beneficiariam obligationem qvoad qvasdam præstationes, soleat negligere.

I.

(a) l.3. de constit. pecun. l. 68. de R.J. (b) II. F. lib.1. t.15. & 20. lib. 2. t. 38. 41. 42. 51. (c) c.1. & seq. de R.J. in 6.

B*Eneficium* non unô vulgò significatu dicitur. aut enim denotat nomen hoc, qvasi *specialissimè*, certas qvasdam bonifacti acceptiqve species, veluti privilegium (a), Feudum (b), & similiter specialia alia (c). aut *generalissimè*, qvodvis eventu bonum factum, per qvod alteri ab altero boni qvicqvam obvenit, non habitô respectu, debeatne qvi facit, an non debeat, liberaliterne faciat an non liberaliter: qvomodò id apparet in vulgatissimâ phrasi, qvâ beneficiô hujus aut illius, (veluti majorum, ejus qvi qvid operis bene confecit, qvomodocunqve ad alium perveniens):

ens) alterum qvid habere, obtinere dicimus. Aut deniqve tertiò, *mediô qvodam modô*, & speciali itidem naturâ, nomen hoc beneficii, *præstationem liberalem, qvæ alicui fit ab altero*, communissimâ acceptione, denotat. Qvâ utiqve beneficii species qvatenus *præstatio alicui ab altero facta* designatur, ex qvo genere rerum id fit, dicitur; nempe *factorum*, præstare enim facere est; & qvidem eorum factorum, qvæ alicujus *erogatoria sive applicativa ad alterum* sunt; intellige autem in figura omnis generis factorum, qvibus alter ab altero potest affici; tam scil. eorum, qvæ meræ operæ, qvam qvæ rei insuper alterius erogantia existunt. Per id autem qvod *liberalis* hæc præstatio describitur, ejus aliqva specifica forma consignatur, qvatenus, qvæ beneficium hoc sensu propriè mereatur dici, citra coactionem ac sordes debeat ex fonte suo profluere; tale enim qvid τὸ liberale receptissimâ significatione dicit: juxta qvam etiam notatur à sapientibus (*a*), & in specie qvidem eleganter à JCtis nostris, (*a*) *Arist. lib. 4. Eth. c.*
ubi in descriptione *Donationis* versantur (*b*), qvæ hujus beneficii aliqva est præcipua species: *Donationem proprie appellari*, dicentes, (*b*) *l.1.29. de donat.*
qvam propter nullam aliam causam faciat qvis, qvàm ut liberalitatem, ac munificentiam exerceat. Item, *donari videri, qvod nullo jure cogente conceditur.* Atqve in hac qvidem tertiâ forma sumptum beneficium, illud est, qvod potissimùm ante oculos hic erit habendum, ubi id consideratur, *tanqvam causa, ex qva obligatio*. ut tamen, qvæcunqve specialius aut qvovis modô specialissimè, eodem nomine veniunt, qvatenus naturam hujus participant, ejusdem effectus intuitu, sub hoc tanqvã genere suo concludantur. Nec vero & natura illa generalissimi significatus negligatur, qvâ ut factum alicui bonum id concipitur: cum vel in hoc ipso prima pars essentiæ, (h. e. genus) ipsius etiam liberalis beneficii consistat; imò executio potissima, ad effectum gignendæ obligationis. Scilicet, id demum & beneficium propriè esse, & obligationem (siqvidem parit) peperisse notari ferè potest, qvod actu factoqve alicui est præstitum.

II. Ubi [illegible] super hoc observare licet, qvando beneficium factumve bonum dicitur præstitum alicui, simul intelligi bonum aliqvod huic, qvantum ad benefactorem illatum collatumve acceptumve. qvomodo enim alicui præstitum existat bonum factum,

unde nihil boni illum, cui præstitum est, attingat aut collatum eidem extet, non liqvidum satis est. Bonum autem ipsum hoc, prorsus plurium potest esse generum & tot, qvot sunt, qvæ homines solent beare, qvibus ipsi melius sese habere æstimare solent iisdemqve cum ratione gaudere; qvæ qvidem sunt benè multa, ne dicam innumera. Summâ qvadam divisione videri possunt ad duo pertinere, ad esse nempe ac benè esse cujusqve: esse videl. qvod à Deo summo ac æterno illo bono, qvisqve bonum habet beneficiumqve. qvod filius suo hoc humano modo à parentibus. benè esse; veluti est virtus, sapientia, prudentia, ac reliqva dos animi, sanitas corporis, ejusdemqve pulchritudo, ornatus, honor, existimatio, facultates. verbo omne, cujus diversum, cujusqve absentia in malis haberi solet. Sunt inqvam hæc & hujusmodi, qvæ illata dicit, qvi beneficium alicui ab altero dicit præstitum.

III. Qvod autem bonum qvodvis factum benignè alicui præstitum, eundem præstanti obliget, id utiqve est, qvod & limpidior ratio cuivis facile probat, (indicium rei cap. præced. qvoqve est factum) & observatio prudentum testatum reddit affatim. Ex multis saltem licebit audire paucos. *Improbus est homo*, Comico (*a*) *qvi beneficium scit sumere, & reddere nescit.* Et Ciceroni (*b*), *immemor beneficii, qvem omnes oderunt. Qvi donaverunt*, ait Ulpianus noster (*c*), *ad remunerandum sibi aliqvem naturaliter obligaverunt.* Qvin ad paritatem usqve accepti, imò ultrà, sunt, qvi debitum hujus obligationis extensum volunt. laudat Tullius (*d*) hujus nomine illud Hesiodi, qvô *eadem mensura reddere* is jubet, *qva acceperis, aut etiam cumulatiore si possis.* Valerii Maximi est (*e*): *Dandi & accipiendi commercium, sine qvo vix vita hominum constat, perdit & tollit, qvisqvis bene merito parem referre gratiam neglegit.* Censet *Ingratum* Seneca (*f*), *qvi beneficium reddit sine usura.* Sanè ad qvandam usqve deminutionem libertatis beneficii vinculô homines stringi, observarunt, qvibus in proverbium abiit (*g*): Beneficium accipere esse libertatem vendere. Insigne vero huic obligationi auctoramentum præbet mos ipse Dei ter Opt. Max. qvô homines ad officium debitumqve obseqviumqve commoturus, sua ipsis præstita beneficia iis in memoriam solet revocare; veluti populo Israelitico (*h*), qvod

(*a*) *Plaut. in Pers. Act.5. sc.1.* (*b*) *2.offic. c.3.18.* (*c*) *l.25. §.11. de petit. hered.* (*d*) *in Brut. c.4.* (*e*) *lib.5.c.3.* (*f*) *Epist. 82.* (*g*) *ex Pub. Syro.* (*h*) *Judic. 2. v 1.c.6,10. 1. Sam.12,18.*

qvod eum eduxerit è terra Ægypti, domo servitutis, mannâ cœlitus data cibaverit, bonisqve tot aliis cumulaverit: Davidi (*a*), qvod post oves eum evocaverit, inqve solium regium collocaverit. Cuivis homini (*b*), qvod præparaverit eum, fecerit, ex utero materno extraxerit, & reliqva. Qvid sit beneficium, & qvod hoc causa sit aliqva alicujus gignendæ obligationis debitiqve, forsan post hæc extra dubium qvis collocabit: sollicitus forte de re, qvantô, ac modô reliqvo, hujus obligationis, ejusdemqve debiti.

(*a*) 2. *Sam.* 7, 8. *c.* 12, 7.
(*b*) *Deut.* 32, 6.

IV. De modo autem hujusce obligationis beneficiariæ, collectio videtur futura facilior, siqvidem probè supponatur, qvænam sint de natura propriè dicti beneficii, ut causæ istam constituentis. De natura autem beneficii videntur 1. esse ex *liberiori* ac liberaliori qvodam *animi motu, non coactè aut ex necessitate*, itemqve ex debito præstitum, nemo enim necessitate coactus, vel in necessitatibus, qvod ajunt, censetur liberalis, nec qvi ex strictiori debito qvid facit, multum haberi potest beneficus, aut liberalis; cum etiam qvi strictius debet, ex necessitate magis, qvod debet, præstat, qvam liberaliter aut liberè; certè nec qvi coacti, nec qvi ex debito, bonū licet alicui faciant, qvatenus ita faciunt, inter eos benefactores suos, aut qvibus beneficii causa multum obligatus sit, accipiens cōputabit: 2. Beneficii esse videtur, ut è *benevolo* & studioso ac cæteri promptoqve qvodam in beneficiarium motu proficiscatur; neqve enim iterum in beneficiis hujus aut illius multùm reputamus, qvæ vel casu illius alterius operâ interveniente ad nos perveniunt, commoda licet; multò minus, si cui intentio fuerit nos malô afficiendi, qvamvis eventu res vertatur in bonum. imò minuit etiam beneficii gratiam ac decorem, si tardior ac difficilior id præstes, *Bis est gratum, qvod opus est, ultro si offeras*; *Ingratum est beneficium qvod diu inter manus dantis hæsit*: 3. Id magis beneficam facti naturam augere videtur, siqvidem *operosè*, aut cum aliqva præstantis difficultate seu incommodo exhibeatur, tum qvod operatio per se meriti sit, tum qvod animus etiam ac benevolentia magis enixa appareat, qvæ per nisum qvendam difficilem propriamqve molestiam emergit; certe vulgare judicium, ex hôc ipsô minuere solet beneficium, qvod facilimè & citra omne detrimentum aut incommodum.

modum proprium præſtari potuerit. 4. Beneficii eſt, applicari ad ſtatum & *indigentiam beneficiarii*, huic enim beneficium debet eſſe; non eſſet autem vel certè minus eſſet, ſi nihil ei proſit aut afferat applicetqve, qvò melius ei ſit, veluti ſi ſoli velis fœnerari lucem, aut obulum offerre ei cui abundant talenta mille. 5. Pro indubitato videtur ponendum, *gradus* ex hiſce omnibus beneficium poſſe adſumere ita, ut ratione libertatis ac liberalitatis, animi benevoli, niſus moleſti, & ad indigentiam applicationis, majus poſſit eſſe minusve, non ſecus atqve ex ipſa *rei præſtitæ* magnitudine aut pretio. 6. Eſſe ἐν τοῖς συναλλάγμασι beneficium, & qvidem συνάλλαγμα *ſpontaneum, boni retributivum*, & ratio & per hanc pauló ante adducta authoritas evincit; *aliud* enim, & qvidem qvod benefactori in bonis futurum eſt, *pro hoc accepto, commutandum eſſe*, cuivis ſaniori judicio manifeſtum facile ſit, imò ponere neceſſe eſt, niſi aut indifferentem, hoc eſt, nullam ex beneficiò obligationem aut contrariam ad malum velit ſtatuere, qvod abſurdum utrumqve eſt.

V. Ex hiſce igitur, & ſi qvæ ſunt ſimilia de ſubſtantia ſive naturâ beneficii, de obligatione noſtra beneficiariâ ſeu beneficii retributivâ, videntur colligere eſſe ſeqventia: Primùm, per id, qvod locô ultimô hic eſt monitum, eandem ex earum eſſe obligationum genere, qvæ *cauſam* ſeu συνάλλαγμα, [qvod & Philoſophus (a) appellat & JCtus (b)] contineant, hoc eſt, qvæ, æqvalitatis ipſiusve in vita æqvitatis fovendæ ergò, dati alicujus factive ſint commutativæ; & qvidem alicujus non dati acceptiqve mali, qvod inviti ingratiqve συναλλάγματος eſt, ſed boni; qvô tanqvam aliô benefactô beneficium penſetur. Ubi porrò, ex communi natura æqvæ rerum commutationis, de *debito* ex hac obligatione prænotandum; ex contingentibus qvidem, non autem ex neceſſariis hujus eſſe obligationis, ut *rei* ſit, eâdem ſpecie, aut propinqviore ſub genere, cum re beneficè tributâ, conſtitutæ. Nempè, vel ita reperire eſt in obligationibus, qvæ etiam ad συνάλλαγμα datum, præcisè determinatum habent id qvod eſt retribuendum, qvod ſaltem qvibusdam harum ſpeciebus id accidat, veluti eis, qvæ ex dato mutuô, ex commodatô, & ex paucis qvibusdam aliis ſunt cauſis,

(a) lib. 5. Eth.
(b) l. 7. de pact.

ut cum

ut cum synallagmate præstitô genere idem individuum, sive, ut Scti amant loqvi, eadem species, aut etiam idem genus, ex iis restituendum veniant; cum ex reliqvis compluribus aliis, uti sunt, qvæ ex emptô, locatô, permutatione, ex contractibus innominatis qvos vocant, &c. retribuendum â tributo plurimum ferè soleat distare; veluti cùm pro eqvô fortè triticum; pro merce cujusvis generis pecunia; pro pecunia opera; pro factô factum diversi generis, danda ac permutanda veniant. Qvomodo sanè & de debito beneficii retributivo existimandum erit, non præcisè de ejus reqvisitis esse, uti sit donum pro donô, remuneratio pro munere, factum pro factô specie simile; sed fieri posse, ut â tributo (ita appello hic synallagma præstitum) retribuendum, sit multùm genere diversum, imò ut tale sit, sæpius ex meritis, sive ex natura hujus obligationis reqviri: Idqve vel ideò imprimis, qvod, ut modò ante monitum est, ipsum συνάλλαγμα, qvod hic exhibitum beneficium est, ad indigentiam applicativum fuerit: unde adeò ipsum bonum factum retributivum seu illius compensativum, ejusdem qvoqve videtur oportere naturæ esse. similiter ac etiam in aliis rerum commutationibus usu venire videmus, qvod alia atqve alia genere res, in retributionem vocari soleat, juxtà qvam indigentia atqve usus commutantium id expostulat, vinum v. g. pro frumento, merces, opera, pro pecunia. Erit igitur & magis multò hujus ex beneficiô acceptô debiti, ut, prout status ac indigentia benefactoris reqvirat, beneficiarius modò pro pecuniis largiter suppeditatis ad officium, pro opera ad pecuniam, pro alio præstito ad honorem, obseqvium, gratam benevolentiam, &c. obstrictus illi sit; & hoc qvidem in multis multa varietate, prout multa scil. indigentiæ potest dari varietas, jungente sese huic non tardò ipsa potentiæ ac impotentiæ aliarumqve circumstantiarum diversitate. Tametsi interim, ut modò concessi, contingentiæ qvoqve sit, qvod convenire inter sese tributum ac retribuendum, jure meritoqve debeant; puta si eadem fortè beneficiario qvæ benefactori facultas; eadem huic nunc, qvæ illi olim erat, existat indigentia; eôqve idem ille qvod accepit retribuere, eodemqve officii genere, jure hujus obligationis, benefactorem beare, siqvidem officio suo vult satisfacere, necesse habeat,

determinatio nunc qvidem, qvando beneficium datur, est, qvorum eventuum varietatem omnem ne pervidere nobis qvidem possibile est, nedum ut asserere qveamus, hos vel illos certò in facto exstituros, ea qvaliscunqve juris eventualis determinatio, nobis qvasi nō determinatio, vel saltem ut in incertò eventu talis, posita, est. Intelligo qvoad qvale, qvantum, ubi, qvando, qvomodo, &c. qvid in retributionem beneficii præstandum erit.

VII. Cæterum, utut hoc modò, ad singula beneficia, ubi jam præstantur, obligationis, qvæ exinde nascitur, retributionisq; exinde modus, per omnes futuros casus minùs certò præfigurari aut determinari possit; qvasdam tamen præcipuas contingentias paucis delineare, forsan nihil est, qvod vetat: siqvidem maximi ponderis circumstantias (qvæ qvidem communiter practicis omnibus modum præcipuè dare notum est) hic qvoq; circumspiciamus, visuri qvid momenti istæ, in modo, huic obligationi ac debito dando, habeant. Nisi fallor, primum qvasi fundamentum, ut actu beneficium aliqvod retribui, imò cumulatius aut etiam minus largiter retribui, conveniat, ipsa qvædam benefactoris *indigentia* est. Dico indigentiam, voce generalius sumptâ, ut non tantum denotet summam rerum inopiam, aut extremam necessitatem, veluti ubi benefactor etiam necessariò victu, aut aliô urgentissimô vitæ subsidiô opus habet; sed ut etiam alia, qvibus remissius opus ille habeat, comprehendat ac respiciat; veluti sunt, qvæ bona honorata, utilia, ac jucunda reputamus. Hanc, dico, qvalemcunqve talium, sive prioris sive posterioris generis indigentiam, omninò præsupponendam videri in benefactore, ut retributio beneficii debeatur, & juxta eandem, hanc qvoqve non parùm esse dimetiendam. Ratio potest esse primò, qvod retributio hæc videatur imitari debere conditionem præstiti hic Synallagmatis, h. e. beneficii. Ipsum autem beneficium, qvando ut tale præstabatur, utiqve aliqvam in beneficiariò indigentiam videbatur supponere, neqve enim gallo gallinaceo margarita, Oceano gutta, Creso alicui obolus, aut vegeto ambulatori fulcrum exhibitum, in beneficium poterit cessisse. Deinde verò nec qvodvis bonum factum, cujusmodi utiqve & retributio beneficii est, si nullam prorsus indigentiam

 sui

ſui offendit, & vim & nomen hoc, nedum beneficii, commode ſuſtinebit. bonum etenim, & magis beneficium, alicui & qvidem maximè illi, cui id deſtinatur, tale eſſe debet. Rem ut per ſe notiſſimam, indicant præterea qverelæ benefactorum, ubi fortè à parte beneficiarii defectus oboritur, qvando nil magis, tanqvam cauſa debiti ſubſidii ab iis obmemoratur, qvàm qvod beneficium in tantâ beneficiarii neceſſitate, pro tanta ejusdem utilitate, à ſeſe illi fuerit præſtitum: qvod tantopere nunc rurſus auxiliô ipſi indigeant. Nec verò tantum fundamentum aliqvod debito beneficii retributorio actu pendendo, præſtat ipſâ benefactoris indigentia; ſed etiam ad ipſius maximè hujus debiti commenſurationem ac determinationem utiqve facit, ratione qvanti rei ipſius re præſtandæ, & qvæ poſſunt ad modum ejus pertinere reliqva. namqve & illa ſive res ſive opera in obligatione hac videtur verſari, qvâ ipſâ benefactor indiget; qvid enim beneficæ retributionis ei poterit eſſe in re, qvâ non habet opus? Et utiqve major neceſſitas majorem qvoqve videtur expoſcere retributionem: ſimiliter & locum, ubi, tempus, qvando, modum, qvô, qvid præſtari conveniat ipſa indigentia monſtrabit pluſculum.

VIII. Juxta indigentiam benefactoris, ad commenſurationem hujus retributorii debiti, non parum etiam videtur facere ipſa *copia atq; potentia* beneficiarii. Scilicet veritas inevitabilis neceſſitatis eſt, impoſſibilium nullam eſſe obligationem. neqve verò usqvam beneficiarius egenus ac infirmus id retributionis benefactori, ut dare ita debere poteſt, atqve locuples, multumqve valens. Qvæ qvidem potentia ſimul ac impotentia, nec ea qvidem fortaſſis ſimpliciter intelligi debet, qvæ cujuscunqve poſſibilitatis aut meræ impoſſibilitatis eſt, ſed forſan etiam, ex more legitimæ interpretationis(a) de illa accipienda erit, qvæ majoris aut minoris cõmoditatis aut incommoditatis eſt; intelligo hoc ſecundum qvid, & ad temperamentum graduum, qvod, reliqvis paribus, ad amplius qvid benefactori indigo obligatus videatur eſſe, qvi cum minore ſuâ incommoditate ejus indigentiam ſupplere poteſt, ad minus vero, qvi cum majori propriò detrimentô. Sed hæc qvidem, qvæ ex indigentiâ benefactoris, itemqve potentia beneficiarii, hujus retributorii

(a) l, 125, d. V S

toriі

torii debiti mensura petitur, forsan generalior est, qvam qvod huic debendi generi solùm competat, cum cuivis etiam humanitatis debito eadem congruat, imò partim hujus intuitu etiam ei, qvod aliis aliqvibus ex causis est. cum semper videatur æqvum, ut urgentiori inopiæ succurratur, impotentiæ autem indulgeatur.

IX. Propria a. magis huic beneficiariæ sive obligationi, sive ex hac debito, commensuratio, videtur petenda, ex ipsô, qvod causa ac fundamentum eidem est, synallagmate, beneficiô videl. ejusqve naturalibus, accidentibusqve, qvæ idipsum, qvando edebatur, comitabãtur, & ex qvibus qvorumve concurrentia, itemqve intensione, illud suum qvasi sortitur pretium, amplius atqve grandius, eoqve & magis obligatorium evadit; aut minus, si contra se habet. Et sunt qvidem, qvæ grandius reddunt ac majoris dignationis ipsum beneficium: siqvidem majori, imò maximâ cum indigentiâ constituto, commodô locô ac tempore, id fuerit exhibitum; si res maximi pretii, res factumve maximæ utilitatis fuerit præstitum; si cum onere ac plurima difficultate benefactum fuerit editum. Neqve vero illud tantum, qvod hæc & hujusmodi beneficium majoris faciant, in confesso est; sed &, qvod beneficiarii istiusmodi magis devinciantur benefactoribus, qvam si non in tanta talium pertensione beneficium factum fuerit. Nulli sanè dubitamus, aliqvẽ maximoperè beneficii ratione alteri obstrictum esse, si qvà fortè in extremô vitæ periculo, aut alio maximô in incomodô constitutus, ab hoc fuit liberatus, sublevatus, itemqve si tempestivè, & in loco; atqve omninò qvidem hoc magis, atqve si qvamvis levioris momenti utilitatem, si minus in tempore, aut locô qvô minus indigebat, locô beneficii adeptus fuerit. Ambigere non licet, qvin ei enixius atqve ad ampliora simus obstricti, cui ipsam vitam atqve pulchrum esse nostrum, cui benignam per omnem vitam conservationem, ac in pulcherrima qvævis vitæ ornamenta, providentiam debemus; Deo scil. ac creatori nostro; qvàm qvibus hanc qvalemcunqve vitam fragilem, sat negligentem sæpius atqve incautam provisionem, acceptum habemus referre, ut parentibus; qvibus tamen ipsis rursus magis ferè sumus vel ob isthæc addicti, qvam à qvibus post illa, bonô aliqvo sumus adaucti ornatiqve: & vi-

viciſſim ex hiſce, magis illis, qvorum fortè curâ ac diſciplinâ boni educati ſumus factiqve, qvorum liberalitate à primis usqve ungviculis ſumus enutriti, à qvibus bona maxima, inqve omnem vitam utilia ſumus adepti; præ aliis, itidem beneficis, qvorum tamen benignitas, qvædam fortè levioris momenti aut utilitatis res nobis obtulit. Qvod deniqve intenſiorem reqvirat gratitudinem beneficium ſummô cum periculô, maximô animi atqve corporis labore, ac moleſtiâ præſtitum, qvam qvod facilimè ac ultra tale incommodum potuit exhiberi, id qvoqve extra aleam dubitationis ponit ipſum rationis dictamen. Mitto, qvod circumſtantiarum reliqvum eſt, qvod pariter & beneficium, & hanc ex eô obligationem, aptum eſt menſurare.

X. Unam *animi conditionem* exiſtimem non prætereundam qvæ qvidem benefactori, ad beneficium præſtandum fuit; de qvo a. animô haud videtur ambigendum, qvin ad obligationem ipſam formandam non parum faciat, longè addictiùs nobis obligaturus eum, qvem liberrimô motu, per ſummam benevolentiam ac amorem, nitimur benigniſſimè afficere; qvâm cui fortè ſic mediocriter ſedulò plurimumqve inviti coactiqve benefacimus. Imprimis autem circa benignitatem benefactoris, hoc videtur obſervandum, eam, ſicuti principium atqve præcipuum veri ac genuini beneficii eſt, ita ad parem animi liberalitatem beneficiarium obſtringere. Qvod primus atqve præcipuus beneficii nervus in animi hac benevolentiâ conſiſtat, fatentur, qvi qvaſi ſpecificum beneficii formale, in hâc collocant, *præſtationem liberalem* id eſſe agnoſcentes, & beneficientiæ qvæ animi virtus eſt, id acceptum ferentes. imò, qvi ſoli oſtenſæ animi benignitati, citra etiam, qvod in re ſubſeqvutum eſt factum, tanqvam beneficio, vim obligandi tribuunt. *Nil tam proprium hominis exiſtimo* ait Cicero (a), *qvam non beneficiô, ſed etiam benevolentiæ ſignificatione alligari.* Certè ut diligamus, qvos noſmet diligere ſcimus, virtus naturæ manifeſtô impellit; eoqve favorem, benevolentiam, amorem cujusqve, in iis hæc habet, qvibus alterum aſtringi conveniat alteri. Qvod autem præ omnibus ad parem animi benignitatem beneficiarium adſtringat benigna benefactoris voluntas, id nec beneficii retributoria ratio aliter admit-

(a) Cic. pro Planc. c. 33.

tit, qvæ pro conservanda synnallagmatis æqvalitate, ab animo in bonum proclivi rursus omninò debet exurgere. id qvod testantur omnes, qvi ante omnia *gratitudinem*, qvæ utiqve primò animi est, in pensationem beneficii reqvirunt: & qvicqvid contra hoc debitum, etiam opere factoqve perpetratur, tanqvam ex hoc primo qvasi fonte *ingratitudinem* designant, ingratos liberos, ingratos libertos, ingratos donatarios &c. appellantes. Ne dicam tanti, hanc animi bonitatem ac gratitudinem, valoris in obligatione hâc beneficiariâ esse, uti, donec actu compensationem vel prorsus non vel non debitè facere, beneficiario suppetit, hæc sola, rei retribuendæ locum suppleat, ipsô etiam sæpius benefactore judice, qvando vires beneficiarii respiciens, solô animô gratô, ut sufficiente sibi redhostimentô, contentus est, reliqva actu præstanda, in vagam, qvo is possit, & ipse aliqvando indigeat, contingentiam reponens. Pertinet illud Senecæ (a): *Non opus est ad liberandam fidem facultatibus, sed animo. Reddit enim beneficium qvi libenter debet.* Et istud Nasonis (b):

(a) lib. 1. de benefic.

(b) lib. 3 de Ponto Eleg. 4

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas:
Hâc ego contentos auguror esse Deos.
Hæc facit, ut veniat pauper qvoq; gratus ad aras,
Et placeat cæsô non minus agna bove.

Qvod tamen de animô, citra factum in pensationem beneficii cedente, cum hac significationis temperie accipiendum erit, ut non facile ex ejus sodalitio dimittantur qvaliacunqve beneficiario possibilia facta, veluti ut verbis, qvem factô non potest, animum declaret; observet, honoret, palam laudet Deum, qvi isthæc sibi otia fecit, siqvidem referre gratiam neqvit. qvin *ingratum* judicat Seneca (c), *qvi remotis arbitris agit gratias.*

(c) lib. 2. de benef. c. 33.

XI. Opinio subit, qvia animi benignitas liberalitasve, præcipuum, ut beneficii, ita beneficiariæ obligationis, constitutivum est, ipsa autem non ut cætera beneficii, veluti, ipsa res, labor, ac reliqva, mensuram admittat; hinc fore, ut pro sua immensurabilitate in causa potissimum hæc futura sit, obligationis gignendæ minus terminatæ; qvâ beneficiarius benefactori indigenti, etiam ad amplius qvam est acceptum, ad beneficium *cum cumulatiore mensurâ*

(a) Num. 3. *surâ, nec sine usuris* (ut ante (*a*) ex sapientum æstimatione hæc memorabantur) *reddendum* obstringatur. Scilicet ipsa benignitas benefici facile videri potest, ultra factum ipsum sese extendere, tum qvod ex indiciô, per hoc, factô, ad similia aut majora alia præstanda inclinatio benefactoris videatur colligenda, si modò par aut major ipsi potentia, sive par aut major ab ipso deprehensa fuisset alterius indigentia: tum qvod præsumatur idem animus benignus, etiam per se, ut ante ostensum est, obligatorius, continuatus, donec contrarium manifestò constet: tum deniqve, qvod ubi omnia præstita pari mensura restituta sunt, nondum hic animus, imò nondum etiam totum beneficium reparatum videatur esse, qvando hactenus qvasi debitum est præstitum, in beneficium rursus evasurũ, ubi qvid præstatur ultra; nisi forte cum pari, re præstito, parem benefactoris benevolentiæ benevolentiam retribuentis conjunctam velis ponere: qvæ tamen in hoc non potest non esse seqvior in beneficiario, ad accepta advertente, qvod beneficio fuerit excita prior.

XII. Qvin ulterius hoc sibi præ multis videtur habere præcipuum beneficiaria obligatio, qvod plurimos, & cognatos, scil. & benevolos, & amicos & posteros tum beneficiarii tum benefactoris aliqvó modò complectatur ac respiciat. benefactoris; qvia ejus indigentiæ tenetur succurrere beneficiarius, & hujus qvidem levamen ipse sentire ac sortiri; indigentiam autem amici qvisq; solemus putare nostram, & qvod amicis cujusqve bene fit, id tanqvam sibi solent æstimare homines benè fieri, qvippe amicus, qvod dici solet (*b*), cuiqve est alter idem: imò sæpius in maximis æstimamus, amicissimis nostris bene fieri, veluti liberis, parentibus, carissimisqve aliis; qvibus etiam qvandoqve magis, qvam nobis ipsis consultum cupimus. qvin ad posteros usqve benefactoribus caros beneficiariorum beneficentiam obligatione hâc pertrahi, & hi & illi, se persentiscere facile produnt. illi, dum etiam hunc, ut aliqvem finem, beneficentiæ suæ, multoties solent juxtà propositum habere, imò nonnunqvam edicere: hi, ubi accipientes beneficium, non rarò gratiarum actioni solent addere promissionem, de retributione qvâvis occasione ac tempore, etiam iis qvi beneficum attingunt,

(b) ap. Arist. 9. Eth.

gunt, facienda, includentes etiam, si casus ita ferret, post mortem superfuturus, nec fortassis deerit interna percussio mentis, qvâ qvis ejus, qvem insigniter dum viveret beneficum habuit, proximis, ope indigentibus, opitulari, etiam præ aliis paris conditionis, compellatur: convictus insuper sæpius cohortationibus atqve exprobrationibus aliorum, si in his deficia. Forsan & illa, qvam vulgo putamus humanitatis ratione constare obligationem, qvà homines hominem beneficiô afficere tenemur, non parum fundamenti in ipsô qvoqve collocat beneficiô, illius scil. cui qvilibet hi sui sunt filii atqve servi, Dei nimirum, creatoris horum, ac benefactoris nostri. Aliqva similis etiam extensio hujus obligationis ab altera parte, beneficiarii nimirum, locum qvoqve videtur habere, qvà & hujus conjuncti, ex eà qvodammodò teneantur, maximè si ad hos qvoqve boni aliqvid ex beneficiô defluat, aut defluxerit.

XIII. Sed, dixerit qvis, ex hactenus dictis id qvidem facile fluit: & nasci ex beneficio obligationem, & hanc ipsam debiti qvandam mensuram sortiri ex copiâ ac potentiâ, & beneficiarii prius, & benefactoris posterius; ex indigentiâ & hujus & illius; ex magnitudine, pretiô, ac utilitate rei aut operæ, in beneficium collatæ; ex labore adhibita molestiaqve concurrente, qvando id præstabatur; ex ubertate benignitatis: imo & hæc forsan magis licere excoli ac distingvi; & alia similia pro simili hujus mensuræ determinatione posse addi; veluti, plus obligare beneficium, qvod meræ fuit liberalitatis, qvam qvod causam debiti benefactore præexistentem habuerit; qvod citra calliditatem, aut intentionem, conseqvendi alicujus, per id, lucri est, qvam qvod conjunctum, cum tali destinatione sit: constare etiam in amicos utrinqve pensationem beneficii prætendi: & qvæ sunt ejusmodi reliqva: Veruntamen, ex his tamen omnibus, nondum videri prorsus definitum extare, *qvid* per naturæ æqvitatem, *qvantumve rei*, in singulis istiusmodi emergentibus casibus, benefactori hujusqve amicis, à parte beneficiarii retribuendum sit! Responderem, plurima esse, si cautè ad rem attendatur, qvæ ex hisce sic satis definita exhiberi qveant, veluti primò, universale omni beneficiariæ obligationi esse, donec modò causa qvæ eam genuit, veri beneficii naturam sustinet, cum qvâdam in-

ſigniori, ac vulgo ſolet, ſedulitate cavere, ne damnô injuriâve afficiamus benefactorem; deinde vero & ipſum rei præſtitæ pretium, indigentiæ ſimilitudo, & reliqva ejusmodi, ita ſæpè poſſe hæc præfigurare, ut palpes, qvid incumbat, qvod beneficiarius benefactori retribuas: Imò forſitan haud adeò difficile fore, horum plurima ſuis qvibusdã regulis comprehendi; veluti, eſſe hujus beneficiariæ retributionis, uti, qvi dives inopem aluit, inops factus, ab hoc divite rurſus alatur; qvi ab armato periculo vitæ fuerit ereptus, armatus ex ſimili periculo eundem debeat non ceſſare, ſi & ipſe æqve poſſit, eripere; imò generalius, indigentiâ ſublevatus, alterum indigentia rurſus non derelinqvere. Verum qvia tamen hæc omnis res, in miram interea recidit caſuum varietatem, forſan rectæ rationi, qvam dicimus, ſeu rectiori naturalis rationis judicio, eadem in caſuum iſtorum emergentiam actu determinanda relinqvenda potius eſt, qvam ut in anteceſſum ac contingentiam hanc, ſcrupuloſam omnium diſcriminationem hic aliqvis velit inſtituere. utut negligere interim fas haud ſit, ſi qvæ hujus generis, prudentum praxis, civilisqve vitæ neceſſitas, ejus repererit conditionis, ut tanqvam definita ea extare, omninò opus eſſe duxerit.

XIV. Paucula in modum exemplorum, ex civili romanorum prudentia ac definitione hic liceat proferre: notatô primum, qvomodò ipſa hæc, qvasdam, putà ex qvibusdam beneficiis, obligationes, qvoad qvosdam effectus, ſoli naturali pudori relinqvat, aliàs vero, ut & iſtas qvasdam, qvoad alios effectus, in civilẽ urgentiorem neceſſitatẽ provehat, imo rigidioribus, ac partem etiam ſeveriſſimis ſanctionibus communiat, adverſus ea, qvæ contra poſſent patrari. Veluti eſt, ex priori genere, obligatio ex beneficio liberalis donationis, qvoad ἀντίδωρα (a): erat olim ex beneficio datæ hæreditatis legative, unâ cum fiduciali commisſione, præſtandi fideicommisſi (b): eſt ex datâ libertate, qvoad præſtandas patrono operas non promiſſas (c). eſt ex negotio geſto alterius, utiliter etiam, donec impenſæ pecuniariæ abſunt (d). Qvæ tamen & ipſæ beneficiariæ obligationes, qvo ad alios interim effectus, nec jure civili qvidem penitus fuerunt derelictæ, qvandò ex donato obligatio, acriter arcet donatarium à graviori læſione benefactoris,

(a) l. 25. §. 11. de petit. her. (b) §. 1. I. de fideicõ. hered. pr. J. de codicill. (c) per l. 9. & 31. de oper. libert. (d) arg l. 2. de negot. geſt. l. 38. ib. cũ gratuitã cod.

ris, sub comminatione scil. ut, si læsurus sit, revocetur donum ab eô, tanqvam ab ingrato (*a*): fideicommissum, operæ officiales non promissæ, licet non poterant exigi, si tamen præstita erant, ex beneficio naturalis obligatio id facile operabatur, ne repeterentur tanqvam prorsus indebita (*b*): similiter negotiorum gestorum officium alias gratuitum, ubi cum pecuniariis impensis utiliter expeditum est, jam obligationem actionemqve negotiorum gestorum per civilem dispositionem parit (*c*) ei & adversus eum cujus negotium est gestum. Eadem dispositio, modum pensans aliorum qvorundam beneficiorum, gratitudinis, qvæ inde nascitur, obligationem, & arctissimæ à læsione abstinentiæ, & largissimæ præstationis reddit; veluti est liberorum, itemqve libertorum erga parentes patronosqve, impeliens illos ad honorem & obseqvium, ad alimenta, ubi indigent, his præstanda (*d*): attinens eosdē sub severa interminatione, ne hos, flagitando qvoddā ab iis undecunq; debitum, famosâ actione impetant (*e*); imò ne in jus qvidem sine venia desuper impetrata vocent (*f*); ne certis casibus eos hæreditate sua excludant (*g*); neve aliis modis eosdem lædant, nisi expectare velint, ut ab iisdem exheredentur (*h*), castigentur, aut etiam judici secundum voluntatem suam castigandi tradantur (*i*): imò si nimium excesserint, forsan ad parricidium usqve, atrocissimo supplicio censurâ publicâ subdantur (*k*). posteriora hæc fere applicantur ad liberos; ut alia, ex eodem obligationis fundamento, qvoad singularem aut etiam graviorem punitionem, magis ad libertos; veluti ingratis expectandum esse, ut in servitutem retrahantur, ut aliàs gravius qvam extranei puniantur (*l*). Nec parum ad obligationem, qvæ onerum publicorum ferendorum, qvæ ad tantæ severitatis pœnam in casu perduellionis est (*m*), conferre dixeris, tanta, qvæ ex publico capimus, bona atqve beneficia. Non prætereundum, qvomodo vel sperandum etiam beneficium, civilis nomothetica soleat respicere, ut ad certa qvædam obligatos reddat homines, veluti ob spem successionis, ad gerendum tutelæ onus agnatos, patrònos aliiosqve (*n*). Alias ex simili qvoqve beneficiaria causa videtur

(a) l. fin. C. de revocand. donat. (b) per d. §. 1. de fideic. hered. & pr. de codicill. l. 26. §. 12. d. condict. indeb. (c) d. l. 2. negot. gest. (d) t. de obseq. parent. l. 5. & ult. de agnosc. & al. (e) l. 1. 4. C. de obseq. parent. & patrō. præstand. l. 5. §. 1. ff. eod. (f) l. 4 12, pen. & ult. de in jus. voc. l. 3. C. de bon. libert. (g) t. J. de success. libert. N. 115. c. 2 (h) N. 115. c. 3. (i) l. 3. C. de patr. potest. (k) §. 6. J. de pub. jud l. un. C. de his qvi parent. occid. (l) §. 1. J. de cap. minut. l. 2 4. C. de libert. & cor. lib. l. 28. §. 8. de pē.

(m) t. ff. & C. de munerib. & honor. de tribut. ad L. Jul. Majest. (n) t. de legit. agn. It. patron. tutel.

tur exurgere, firma illa civilis hæredum obligatio, ad exsolvendum, qvæ à defuncto, ut post mortem suā præstarentur, ordinata sunt (a), sed satis ex romana Jurisprudentia petitum exemplorum est, qvæ non permittere putem dubitare nos, etiam civiles leges operam solere dare, & nectendis obligationibus, & ad certum modum nectendis, respectu habitò ad beneficium, ejusdemq; valorem ac modum. Linqvo nunc curiosæ contemplationi, utrum etiam inter hominem, & qvod reliqvum est creaturarum, (Deum enim solum benefactorem non beneficiarium sibi unqvam poterit habere homuncio) hinc inde aliqva beneficii, & per beneficium obligandi ratio, intercedat? numqvid simile talis mutuæ relationis nos inter & spiritus, & bruta, & res inanimes, mutuò dari possit? numqvid tribuendum, tanqvam ex hoc fundamento, affectui hominum, qvem observat orator alicubi (b) his dictis: *Qvis est nostrum liberaliter educatus, cui non-locus ille mutus, ubi ipse allus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur?* linqvo hic similia alia.

(a) passf. per mater. de testam. & legatis.

(b) pro Cn. Planc. c. 33.

XV. Unum solummodò, ad priora præcedentis numeri pertinens, ejus pretii duxi, ut anteqvam hinc abeam, obiter perstringam; qvæ nempe causæ videri possint, cum beneficium tam fœcundum, tamqve efficax pariendarum obligationum sit, qvod tamen plurimâ sui specie, talis per naturam nata obligatio, citra civilem efficaciam, imprimis actione eliciendam præstandi necessitatem, soleat relinqvi? Videri autem alicui possent ejus rei causæ inter cæteras hæ, 1. qvod nec ipse liberalis, tum ubi eam obligationem, beneficiū dando præstandoq; contrahit, hoc præcipuè intendat, qvod præstiti nomine rursus qvid velit exigere, facturus qvatenus hoc intendat, ex liberali illiberale συνάλλαγμα. qvod autem debiti actionisve, nec ipse contrahens sibi intendit, merito etiam videntur negligere leges, qvibus id solet curæ esse, ne cui invito qvid sui incompensatum abstrahatur, non autem si ultrò id aliqvis dimittat. 2. Qvia ferè hæc obligatio, qvoad similem præstationem benefactori retrò faciendam, in conditiones, casus ac eventus est, veluti, paris indigentiæ, ac similes, qvi ne sperari qvidem in ipsô, præstiti beneficii, momentô assolent, & insuper tantæ sunt varietatis, ut nec temerè in futurum determinatè concipi qveant, eoqve meritò

ritò hic qvoqve videantur prævalescere Maxima legislatoriæ (a): *jura constitui oportet in his, qva ut plurimum accidunt, non qva ex inopinato.* Item, *ex his qva forte aliqvo casu accidere possunt jura non constituuntur.* Nam *ad ea potius debet aptari jus, qva & freqventer & facile, qvam qva perrarò eveniunt &c.* 3. Qvia interest publicæ tranqvillitatis, imò humanitatis, ne omnia debita, maxima, minima, ad scrupulos usqve exigantur, maximè ubi multum contentiosi examinis res posset desiderare, utrum debeatur, aut qvantum, aut qvomodo, &c. debeatur. cujus rationis ergò, etiam ex aliis caussis debita civilis censura solet negligere (b); imò leviores iniqvitates tolerare (c); qvippe litium multitudinem aversata (d): tantum abest, ut eidem conveniat, liberali, multâqve in contingentiâ ac discriminatione posito debito librile scrupulare posuisse. Tantum de obligatione ex beneficiô.

(a) l.3.& sqq. de ll. (b) per l. 4. de in integ. rest. l.9. in fin. de dol. mal. l. 54. de cõtrah. empt. (c) per l.6.§.4.d. minor. l.22. loca. l.2.C. de contrah. empt. (d) Aristot. 2. pol. Plutarch. in vit. Caton. senior. pr. J. de pœn. tem. litig. l. 2. pr. de aq. pluv. l. 21. de reb. cred. l.73.§. 20. de legat. 2.

CAPUT IV.

De Maleficio,

Tamqvam causâ obligationis.

I. Ex maleficiô, agnasci malefico obligationem, restaurandi à se inducti iniqvi, etiam per vitam socialem servandæ æqvitatis lex reqvirit.

II. Maleficium, qvod vario nomine insignitur, est omne non jure factum.

III. Mereturq; & nomen hoc & censuram, ferè tum demum in foro soli, ubi ad extra processit; in foro poli verò, etiam si intra animum persistit ad factum destinatio.

IV. Qvod hic obligationem pariens συνάλλαγμα (delictum) est, & nomen & speciem cum obligationis qvalitate variat, per modum, qvem sortitur varium ex circumstantiis,

V. Rerum,

VI. Personarum,

VII. Loci, temporis, instrumenti &c. imprimis verò animi,

VIII. Tanqvam in qvo fixam qvasi basin habet suam hunc verum delictum.

IX. *Atq; ad hunc qvidem delicti modum, modum qvoq; hujus ex delictô obligationis, definitum exhibere solet lex civilis;*

X. *Ferè innixa ipsi naturali æqvitati. Qvatenus nempe & de hujus convenientia est, 1. pecuniarum retributione, injuriam in re datam compensare; eâdemq; vel æqvabili, vel etiam pro enormitate delicti, majori, si res, in qva facta est læsio, æstimationem admittit;*

XI. *Aliqvi etiam, juxta puniiones cæteras, si res affecta æstimationem non recipit;*

XII. *2. Rationis est; Personarum ac reliqvarum circumstantiarum; ex modô debiti, rationem hic qvoq; haberi.*

XIII. *Delicta suos qvidem debent teneri auctores.*

XIV. *Ut tamen participes delicti sive ab initiô, sive ex post facto, participes qvoq; soleant reddi obligationis.*

XV. *Extensa etiam qvandoq; punitione ad eos, qvi hujus alicujus commissi ipsi non sunt rei, siqvidem futura in iis sit, aut metuatur similis improbitas.*

XVI. *Unô ex maleficiô pluribus obligari aliqvis potest, siqvidem plures eô læsit. non obligatur autem iis, qvos eodem læsit minimè.*

I.

M*ALEFICIO contrahi obligationem*, ut per naturam cuivis attendenti manifestum est, ita idipsum maleficium prudentes notanter in numerum rerum causarumqve, è qvibus obligatio nascatur, collocant. Faciunt hoc JCti (*a*); qvibus etiam eô intuitu expressè id *malecontractus* audit (*b*): faciunt idem docti communiter, qvi proinde ferè *contractum invitum* id appellant, ita transferentes Aristotelis illud τὸ ἀκούσιον συνάλλαγμα (*c*). Planè, præterqvam, qvod per se, qvæcunqve aut sunt mala aut mala faciunt, omni bonæ naturæ inimica, odiosa, aversanda, imò propterea modis omnibus licitis, supprimenda sint; Ipsa utiqve bonæ omni sociali vitæ competens bonitas atqve æqvabilitas, ejusdemqve conservandæ convenientia. improbos atqve maleficos obnoxios videtur reddere, tùm reparando iniqvo qvod inibi ipsi perpetrarunt, tum sustinendæ ejus nomine doloro-sæ

(*a*) §. 2. J. de oblig. pr. J. de obl. qvæ ex delict. nasc.
(*b*) l. 52. de re judic. add. l. 1. C de usucap. pro empt.
(*c*) lib. 5. Eth. c. 2.

ſæ coercitioni, imò à ſocietate divulſioni atqve ſui peremptioni. Etenim cuiqve ſocialis vitæ communioni, pro obtinendâ ſibi ad legis ſuæ terminos competente æqvabili felicitate, poſitiva qvædã hæc eſt neceſſitas, ut omnia membra ejus, ad illam felicitatem & habitudine comparata ſint, & competente operatione conſpirent; puta, & cupiant tribuere, & ubi uſus venit, actu tribuant, conferant & relinqvant unicuiqve, in illa ſocietate qvod ſuum eſt. hæc dico vitæ ſociæ genuina officii neceſſitas eſt, munita, imò munienda omninò, hâc qvâdam efficaci ſanctione: qvod, ſi qvi aliter animati ſint, & contra faciant, ſuum cuiqve hic, juxta legem ſocialis competentiæ, non tribuant, nec tribuere cupiant; neqve conferant cuiqve competentia, neqve relinqvant, ſed auferant potius turbentqve; qvod, inqvam, hi pro ratione malitiæ delicti aut meriti, vel tollantur penitus vel corrigantur, vel deniqve ad reparanda pro poſſibili, qvæ iniqva confecerunt, cogantur. *hoc* ut indecens inæqvalitas à ſociis læſis, ac è medio ſocietatis ſubleveturـ; idqve per maleficum potius, qvàm ullum alium; qvis enim alius potior, niſi qvi fortè malum dedit, idipſum ſarcire aut pendere cogendus eſſet? *Illa*, ſi fortè vel compenſatio iniqvi dati aliter fieri neqveat, vel etiam ſi ob enormitatem malitiæ, ſocietatis interſitـ, aut ſaltem liberari inemendabili carcinomate, aut corrigi idipſum, vel ſaltem ſcanduloſum datum exemplum exemplô famigeratæ caſtigationis tolli. Atqvi vero, qvæcunqve hæc talia tali modô, per legẽ ſocialem reparandi ſuſtinendiqve neceſſitas eſt, ipſaـ eſt qvæ *ex maleficio* nobis dicitur *contracta obligatio*; De hac obiter in hiſce hujus & prioris capitis confiniis licet notare; qvod ſi cum obligatione orta ex beneficiô conferatur, eam, ut ex contrariâ causâ gignitur, ita & diverſum ab illâ ſubjectum afficere, nempe beneficium ex alterius animi bonitate ac benignitate procedens, *aliũ*, eum ſcil. cui collatum benefactum eſt, obligat: Maleficium verò, animi malignitatem pro infelici habens ſcaturigine, *ipſum auctorem* obſtringit, veluti furem, homicidam, ſacrilegum; aut qvovis aliô modô damnum injuria dantem, non alterum, qvi fortè malo hôc eſt affectus; niſi alicubi jus fortè obtineat virorum Sodom.

II. Ipſum autem *maleficium*, pro variô circumſtantiarumـ in-

intuitu, variâ ac multiplici denominatione insigniri solet, ac propter concurrentem animi malignitatem, jus in qvod impingit, modum perpetrandi, factum ipsum, & alia, dici malitia, dolus, fraus, culpa (a); injuria, iniqvitas (b); captio, offensa, damnum (c); delictum, flagitium, facinus, crimen, peccatum (d) &c. qvæ qvidem nomina omnia sæpius promiscuum sortiuntur usum. tametsi non diffitear, qvædam horum, vel per se ad qvædam hæc vel illa specialia maleficia designanda magis minusq; inclinare; qvædam etiam disciplinæ nostræ usu, eò solere detorqveri; veluti cùm culpa modò generalius qvid dicit qvam dolus, modò etiam speciem distinctam ab hoc facit; cùm crimen pro publicô, qvod dicitur, maleficiô usurpatur, delictum pro privatô; peccatum pro commisso in DEUM, & similiter cætera. Obiter hæc recenseo ideò, ut dicam, hæc, & qvæcunqve talia sint, ac dicantur, sub ambitu maleficii, me hic nunc velle comprehensa; ac retinere qvidem interea vocem maleficii cum JCtis, ubi illud tanqvam causam obligationis proponunt, & hôc nomine, ab aliis ejusdem causis, idipsum distingvere nituntur (e). relinqvere autem & interea liberum, numqvis, vel peccati, vel injuriæ, aut similem vocem, in generali hoc significatu ponere malit. Definitum autem hac generalitate sensus, maleficium velim cum Apostolo (f); πᾶσαν τὴν ἀνομίαν; vel cum JCto (g) in ipsius lingvâ: *Omne qvod non jure fit.* sive grande id, sive leviusculum, sive intùs in animô persistens, sive ad extra procedens factum sit.

III. Ne tamen interea diffitear, usu civili, maleficium ferè tantum audire, qvod ad extra procedit, & in læsionem alicujus apparenter porrigitur; imò solummodò, qvod talis efficaciæ est, ut civilem obligationem, & exactionem, seu etiam punitionem pareat ac mereatur; minùs autem ita dici, nedum ut obligationem aut censuram in foro soli subeat gignatqve, qvod intus in animo adhuc latens affectus malus aut maligna perturbatio est; vel etiam qvòd prodit qvidem, non autem offendit magnoperè; namq; & qvod facit qvisqve mali sive malè (unde etiam maleficium dicitur) id demum foras prorumpens apparet, & maximè tum attentionem erga sese causatur censuramqve incurrit, ubi insigniter offendit. Scilicet

(a) l. 1. de dol. mal. l. 131. 200. 174 de V. S. c. 27. de R. I. in 6 (b) l. 1 de inj. (c) d. c. 27. de R. I. in 6. l. 200 de V. S. l. 196. pr. de R. I. c. 23 X. de V. S (d) l. 53. pro socio. pr. §. 2. de obl. rubr. & pr. de obl. qvæ ex delict. l. 20 de O. & A. l. 123. de V. O. l. 82. de re jud. l. 131. §. 1. in f. de V. S. (e) §. 2. I. de obl. pr de obl. qvæ ex delict. nasc. (f) 1. Joh. 3, 4 (g) l. 1. ff. de injur. pr. J. eod. §. 2. J. ad L. Aqvil.

cet in foro civili manifesta ac momentosa ferè attenduntur, qvæ autem abdita, aut levioris momenti declinationes sunt, negliguntur: planè *cogitationis pœnam hic nemo patitur* (*a*); *nec* qvod ajunt *de occultis judicat Ecclesia*, *neq;* est, qvod *modica* in tantum *curet prætor*, ut vel actionem de dolo, aut restitutionem in integrum ob rem minimam concedat (*b*). Cujusmodi autem in foro poli, & ad examen divinæ cognitionis ac justitiæ vocata, non possunt, qvin longè secius sese habeant; qvin minima etiam à lege digressio, ob offensionem justitiæ infinitæ, damnabilis sit; qvin ἐπιθυμία i. e. concupiscentia etiam hominis, & factum aliqvod malum reapse sit, & obligationem ad pœnam pariat, ipsô assertore Deô & verbô interprete, filiô ejus Christô, hujusdemq; Apostolis (*c*).

(*a*) *l.18. de pœn.* (*b*) *l.9. in f. de dol. mal. l. 4. de in integr. restit. l.54. de cōtrah. empt.* (*c*) *Exod. 22, 17. Deut. 5, 21. Matth. 5, 28. Rom. 7, 7. Tit. 2, 12. 1. Pet. 2, 11. 2 Pet. 1, 4. 1. Joh. 2, 16.*

IV. Si autem de conditione & modô ipsius ex delicto obligationis, paulò laxiùs dispicere lubeat: hîc non minus, ac ubi ex beneficiô illa est, ex ipsâ *causa, maleficio* nimirum, *ejusq; modo* videbitur hauriendus esse. nempe ut ibi beneficium, & causa obligationis, & ipsum συνάλλαγμα erat, ita hîc qvoqve maleficium totum, qvale, qvantum, & causa hujus obligationis est, & res ipsa commutanda. Modus autem maleficii, ut actionis omnis, qvia ex circumstantiarum, tum aliarum, tum earum imprimis, qvæ præcipuæ attentionis sunt, varietate pendet; pendebit utiqve & hujus, qvæ ex illo est, obligationis conditio, perqvam plurimum ex eadem; maximè, si respicias potius ad naturæ congruentiam, qvàm ad civilem arbitrii positionem; qvæ tamen ex ipsa, si rectè habere se debet, ad illam conspirabit magnoperè. In circumstantiis autem, maleficii modum variantibus, utiqve numerabuntur, persona utraqve, malefica scil. & cui malè fit; animus malignantis; res sive bonum, in qvô alter læditur causa; locus; tempus; instrumentum; modus, & similia; qvorum qvidem tantò magis necessaria hîc attentio est, qvum vel unô eorum variatô, maleficii substantiam, & cum hac obligationem, aut poni contingat aut tolli: cùm, si v. g. ponas, Dominum esse, qvi hunc qvendam hominem castigat, actus is, nisi in aliis excedatur, possit esse non injustus, sin verò alius ille sit castigator, gravissima injuria: homicidium qvod committis capitis dignum suppliciô est; si innocentem consultò perimis,

mis, impune id factum feres, si cæsus fuerit aggressor, cujus impetum declinare non potuisti aliter; aut si casu prorsus furtuitò qvendam interemeris: Opus facere suâ in officinâ die profestô inlicitis est; ast idem sabbatô, aut etiam, die qvidem non variante, alibi peractum, potest censeri in delictis: similis ratio est in cæteris. Rem in genere paucis porrò licebit declarare: facta ostensione, qvomodò non modum tantum obligationis, variatio circumstantiarum in delictis mirè variet, sed etiam utrinqve sæpius & nomen & speciem.

V. Ex circumstantiis igitur his, qvod primò *rem* attinet, in qvâ maleficiò hominis, homini fit læsio, varia hominũ *bona* illa sint necesse est; qvippe & hæc, & mala sunt omnia qvæ hominum sicut autem mala alicui tollere, & bona ponere, beneficii ipsi est; ita è converso, vel per naturam contrarietatis, alicui bona qvæ obtinet tollere, turbare, intervertere, & mala supponere, læsionis erit ac maleficii. Ubi etiam ita ferè comparatum est, ut jugiter hæc in maleficiô concurrant, labefactatio boni, videl. ac in locum hujus suppositio mali; hôc, si non in alio simul positivo qvodam, dolore aut simili, saltem in carentiâ boni, consistente. Et jam qvidem id circa bona hæc manifestissimum in civili vita est, qvod pro horum varietate ac differentiis, & specie & multiplici qvalitate differant, tum maleficia hominum, in hisce alios lædentia, tum obligationes seu debita, pœnæ sc. ac mulctæ, reparationesqve, illis succedaneæ. Ita namqve *vita* homini tollitur, & delictum *homicidium* est; *pœna* jure divino humanoqve rectiori omni, *talio* est, hoc est vitæ amissio: *animi integritas* si cui subvertitur; factum seductio est, atqve corruptio, qvæ suam indignationem meretur, etiam ad gravissima usqve: cujus vestigium rei, in jure civili licet reperire in locis *(a)*, ubi de consilio ad furtum, homicidium aut alia maleficia perpetranda, de attentatione, raptu ac seductione honestarum mulierum, de corruptione servorum, filiorum familias, saltem per occasionem intempestivè præbiti mutui, agitur: *Honor* si læditur, delictum hoc in specie nomen *injuriæ* sortitur *(b)*; estq́; iterum, si cum corporis afflictione, plagis, mẽbri rupturâ aut similibus conjuncta est injuria, *realis*; aliàs hæc præter, *contumelia, calumnia, libelli famosi*, au-

(a) tit. d. furt. de sicar. de adul. de rapt. virg. de serv. corrupt. ad SCtũ Maced.
(b) pr. I. de injur. l. 1 ff. eod.

aut simili sub titulo consistens; pœnam habens, v. g. illa ex L. 12. Tab. *propter membrum qvidem ruptum talionem* (qvæ etiam in jure divinô Israelitarum (a) attendebatur in qvibusdam casibus) *propter os verò fractum nummarias pœnas; Ex jure prætorio pro modo æstimationis ejus, qvi passus fuerit injuriam, ac judicis* (b); sicut ex reliqvo jure civili, *criminalem simul ac civilem prosequutionem* aliam (d); *severiorem etiam ex atrociori injuria, ob locum vulneris, veluti si in oculô qvis percussus fuerit* (d) *&c.* *Bona fortunæ*, qvæ & facultates ferè dicuntur, *furtô* solent interverti; hoc iterum suâ etiam diversitate varias per species distribuitur, dum rerum *immobilium* non propriè, sed *qvasi furtum*, qvod *vitiosam possessionem* dixeris, putatum est fieri (e), *mobilium* moventiumqve, aliud *plagium*, aliud *abigeatus*, delictum *arborum furtim cæsarum*, furtaqve specie rerum ab his distincta alia: qvin per *accidentia rerum* diversa, qva aliqva vel *sacra, vel publica, vel hæreditaria, vel ad balneum deposita*, vicissim furtum in *sacrilegii, peculatus, expilatæ hæreditatis, furtum balnearium*, & similia sui generis crimina abit alia. Hæc corpus Jurisprudentiæ Romanæ, longô catalogô recenset, tum alibi, tum imprimis lib. 47. & 48. ff. ac lib. 9. Cod. subjiciens singulis suum genus pœnarum, ac modi restitutionis.

(a) Exod. 21. Deut. 15. Lev. 12. (b) §. 7. J. de injur. (c) §. 8. 10. d. t. (d) §. 9 ibid.

(e) §. 2. J. de usucap.

VI. *Personas* qvod attinet, tum offensas, tum offendentes, (jungit autem has penè ita respectus mutuus, ut unum ferè constituant circumstantiæ genus) eas similem inducere tum delicto, tum obligationi ex eô, differentiam per civilem observationem tralatitium est. Qvippe hinc fit, uti, qvæ in hominem perpetrantur *maleficia*, penè suæ *huic appellationi* & generi relinqvantur; qvæ autem & qvatenus adversus DEUM committûtur, *impietas* appellitetur: puta maximè propriè; cum per analogiam, qvam nostri respectu, Parentes, Magistratus, & alii cum DEO habent; sicuti Religio pietasqve (f) præstitum his officium sive bonum; ita & *impietas*, commissum à nobis in eos malum, dicatur; ut & καϑ' ἀντίφρασιν, id qvod in liberos atqve conditionis similis homines tale committitur (g). Similiter sub genere *Contumeliæ*, qvæ in DEUM exercetur *blasphemia, apostasia, abnegatio est*; qvæ in hominem nomen retinet *injuriæ, calumniæ* aut simile. ita nomine & specie per personarum

(f) l. 2. de J. & J.

(g) per l. 5. ad L. Pompej. de parricid. l. 12. in f. de adult.

conditionem variant, Crimen *Majestatis, Parricidium, homicidium*-*qve* simplex, etsi cædem hominis, contingat, primum qvasi formale delicti, in iis omnibus, constituere: sic & *adulterium, incestus, scortatio, sodomia*; qvamvis pro communi illicito, habeant concubitum.

VII. Qvæ autem ratio est rerum & personarum, eadem aut similis qvoqve offendetur *reliqvarum circumstantiarum*, qvoad vim illam variandi multoties delictorum speciem, si non notabili semper specificó nomine, saltem modô, per adjecta vocum plurimùm expressô tamen. Variant namqve *locus* qvoqve, *tempus, instrumentum, modus* ac reliqva, delictorum conditionem. Ex *tempore* est, qvod die sabbatô opus facere peccatum sit: ex *locô*, qvod cambia & mercatum exercere in templó, sit ex domô orationis speluncam facere latronum. *Instrumentum, arma* videl. adhibita, *vim publicam* distingvunt à *privatâ* (a); *modus violentiæ rapinam à furto* (b); modus *clam* aut *palàm* peracti, furtum *manifestum à nec manifesto* (c); Imprimis de *voluntate ac proposito* disertus est Paulus JCtus (d); id *maleficia delinqventis distingvere*: nec qvidqvam in jure civili est freqventius, qvam ad mensuram delictorum, simul atqve obligationum exinde, definiendam, animum, propositum, fraudem, dolum, culpam, & hanc latam, leviorem, levissimam, attendere, atq; distingvere (e). scil. hanc animi divaricationem variam JCti sedulo attendunt; qvandô, neglectâ qvalitate aut modô eventus, eas delictorum species, qvas aliàs dolum adesse qvasi suum reqvirere observatum est receptûqve, ob doli fraudis, malitiæve absentiam, obvenisse taliaqve delicta extitisse, diligenter negant. *In maleficiis voluntas spectatur non exitus*, Divus Hadrianus rescripsit (f): qvando porro *furtum, rapinam*, & si qvæ sunt alia multum enormia ac injuriosa, rem familiarem hominum insectantia maleficia, sedulò distingvunt, *abs qvasi delictis*, qvæ vocant; ab ipso *damnô injuriâ dato*, qvod alioqvin lex Aqvilia perseqvitur: attendentes in *illis dolum, in his penè culpam* (g): qvando deniqve, ubi omnis culpa, intensior simul atqve remissior malities abest, ac ubi â parte ejus, penes qvem rei, qvæ alicujus alterius est, nocetur, merus superest casus, omnem illi injuriam, & ex malefició obligationem toties adesse per-

(a) per l. 1. de vi pub. & l. 5. de vi priv. (b) pr. & §. f. J. vi bon. rap. (c) §. 3. J. d. obl qvæ ex delict. (d) l. 53. de furt. (e) l. 50. §. 2. d. furt. l. 1. C. ad L. Cornel. de sicar. l. 213. §. fin. l. 223. 226. de VS. l. 32. locat. l. 5. C de injur. l. 5. cõmod. tit. I. qvib. mod. re contrah. obl. (f) l. 14. ad L. Cornel. de sicar. (g) tit. d. furt. & qvas. delict. ad L. Aqvil. & passim.

pernegant; sive de damnô datô qværatur, qvod aliàs Aqvilianæ est vindictæ, sive de eô, qvod rei commodatæ, depositæ, pignori datæ, locatæ, venditæ &c. in manibus ac possessione non Domini acciderit (a).

(a) §.3.4.5. ad L. Aqvil. §.2. & seqq. qvib. mod. re con. trah. obl. §.4. I. de empt. §.5. I. de locat.

VIII. Qvin, de animô maligno id multo maximè videtur, spectandum, qvod fons hic atqve basis videatur, omnis propriè dicti maleficii, esse; ejus scil. naturæ, uti sicut & ante indicavi, etiam solus interius adhuc persistens, in maleficii genere comprehendi incipiat; cum tamen vice versâ factum utcunqve lædens ac noxium, si citra omne animi deliqvium (loqvor moraliter) cujusqve est, in maleficiis, certè in injuriis, nemo computabit temerè. Pertinet, qvod rebus, qvibus vel prorsus animus non est, vel est qvidem; sed non adeò spontè ac arbitrariè bonus & malignus est, qvasi injuriam & ipsæ faciant, tribui non videas. certè nullo modo inanimis; nisi forte per translationem qvandam similitudinis; namqve vel necessariò h. e. suâ lege ac jure, qvæ agunt, agunt omnia: & vix ac ne vix qvidem animantibus ratione carentibus: unde & *pauperiem* isthæc facere, magis JCti loqvi amant, qvam injuriam (b); tametsi negari fortè non debeat, multò propinqviorem hic dari analogiam delicti aut injuriæ, ob ipsam, qvâ ad hominis naturam propinqviùs accedunt, similitudinem, qvam in damno dato abs re prorsus inanimi, veluti vento sufflante, lapide ruinâ cadente, aut simili: qvò etiam fortè simul respexit Ulpianus (c), qvando ex arietibus aut bubus committentibus, qvasi cum injuriâ ponit provocantem, si damnum dederit alteri; alterum verò è converso non item: certè nostra natura ad vindictam vergit etiam in animalia, damnum nobis dantia; maximè, si id faciant præter consvetum naturæ ipsorum: imò ut supra, ubi de beneficio agebatur, ostendi, vel bruta nonnulla dantur, qvæ, à sese commissi qvasi iniqvi, ac meritæ inde pœnalis afflictionis, qvalem, qvalem in sua sensualitate sensum habent. Sed hæc forsitan congruô laxius.

(b) t. I. & ff. si qvadrup. pauper.

(c) l. 1. §. 11. ff. qvadrup.

IX. Qvomodò autem ulterius ex dictis, personarum, loci, temporis, instrumenti, modi, animi denique, & si qvæ ejusmodi alia, circumstantiarum generibus, delicti modo variatô, modus qvôqve atqve mensura obligationis, civili imprimis determinatione

in ſpecie per omnia variet, ad pœnas variæ figuræ, ad reſtitutionem damni injuriæve datæ multimodam: qvomodò hinc ex aliò deliĉtô ultimi ſupplicii, ex alio coercitionis corporalis, privationis libertatis, civitatis; ex alio infamiæ, remotionis: ex aliâ injuriâ damnove inflictô, penſationis ſimpli, ex alio ſimplô majoris, dupli, tripli, qvadrupli: Item reſtitutionis rei, cum causâ, eôve qvod intereſt, & ad ſimilia alia, obligatio hæc, civili nomotheticâ præfinita ſit, id nobis longô modò ordine recenſere, pro ſupervacaneo eſt: qvibus in hujusmodi ferè ad generaliora conſiſtentibus ſatis poteſt eſſe, inſinuaſſe; qvàm ſit res, etiã cõmuni vitę uſui, ac civili nomotheticę obſervantiæ cognitisſima: ex rerum perſonarum, animi, ac reliqvis facti, qvæ audiunt, circumſtantiis, ut delicta, ita & obligationes ex iis, ſpecies modum atqve menſuram mutuare ſimul atqve mutare. Et ſi deinde attendamus, qvomodò & qvatenus iſtiusmodi civilibus ferè cunctis naturalis æqvitas ſubſternatur.

X. Qvod igitur, ac qvomodò hæc hujus ex maleficiô obligationis, per ſpecies modosqve ex circumſtantiis variatio, ipſi naturali atqve ſociali æqvo innitatur, partim per ea, qvæ ſub initium capitis hujus ponuntur, generalius innuitur, partim factâ relatione ad dictarum circumſtantiarum ſpecies, paucis modò licebit porrò repetere. Ubi qvidem principiò, qvod *rem* (*bonumve* pecuniarium) patrimonialem, maleficiô alicui ablatam, læſam, violatamqve, attinet; qvatenus in terminis hujus ad eam reſpectus perſiſtas, facilè apparet, in hac datæ iniqvitatis tollendæ ergò, naturæ conveniens eſſe, ut reſtituatur illa pro poſſe priſtino ſtatui, aut priſtinæ æqvabilitati, ad normam juſtitiæ, qvam Ariſtoteles (a) συναλλακτικὴν, item διορθωτικὴν, commutativam ſeu correctivam appellat, conſiſtentem in proportione arithmetica, qvam dicunt, ſeu merâ æqvalitate rei ad rem: qvâ qvidem putem contineri, ut idem, ſi fieri poſſit, etiam numerô, vel ſi id neqveat, ſpecie tantùm, qvantitate, qvalitate æſtimatione, ac formâ ſimili, retribuatur. ut adeò vigore ejusdem æqvitatis, fur, raptor aut qvilibet alius injuſtus rei noſtræ occupator, detentator, corruptorve, ipſam rem noſtram vitiô poſſeſſam, uſurpatam, ablatamqve, obligatus ſit, ac neceſſe habeat, ſi ſuperſtes illa ipſa, aut recuperabilis ſit, nobis

(a) lib. 5 Eth.

bis restituere; aut si vel perierit, vel recuperari aliâs neqveat, alio æqvabili ad nostram indigentiam, eam compensare ac rependere; id qvod vel specie, vel etiam sæpè commodiùs, factâ rei perditæ æstimatione, pecuniis fieri potest, imò si & hæc fortè non suppetat, re qvâvis injuriosi aliâ, sive opera sit, sive qvodvis aliud, qvod ab illo in locum corrupti, læso qveat cedere. Unde facilè porrò liqvet; qvomodò summâ ratione nitatur, obligationi huic insistens jus vindicationis, condictionis, interdicti recuperatorii, (a) & si qvod est simile. qvorum illa, rei nostræ, qvæ in specie extat, à qvolibet iniqvo detentatore repetendi; ista æstimationis, satisfactionisqve, ejus, ac pro eo, qvod nobis abest; hoc possessionis redobtinendæ rei nostræ, potestas est: sive iniqvus ille, ipse fur, raptor, aliusqve, per maleficium primus rei nostræ contrectator sit, sive qvisqvam alius, tantùm etiam ex post facto culpam suam aut injuriosam rei nostræ possessionem fortè resciscens. Qvin præterea liqvet, qvia damnum, qvod cuiqve ab alterô injuriâ datur, sæpius nec nudâ speciei abreptione, aut corruptione absolvitur; sed plurimùm in ulteriori qvadam subversione utilitatis, qvam res inviolata illi præstare potuisset, versatur; æqvissima qvoqve illa hactenus jura esse, qvæ non res tantùm ejusve vulgarem æstimationem, sed omne præterea *qvod interest*, omnem simul *causam*, qvam vocant (h. e. *jus possessionis*, qvod potiores solet sistere homines v. g. in usucapione, in lite (b) & alibi; item *fructuum*, omnisqve alii emolumenti pecuniarii utilitatem,) alteri cum ipsa re interversa, restituere injuriosum jubeant (c). Nec fortè ab eâdem æqvitate abludit ipse modus æstimandi damni hinc dati, qvem leges hic singulariter comprobant, dum videl. non tantum Judicis æqvitati ac prudentiæ æstimationem illam committunt, sed insuper læso, ut optimè suarum rerum damniqve sui conscio, ipsam juratò, juramentô in litem, qvod appellant, desuper præstandô, faciendam permittunt (d). imò ipsi huic basi incumbere dixeris ipsas illas æstimationes, qvæ præter verum, rei ablatæ aut corruptæ qvantum, à legibus definiuntur: veluti illa Legis Aqviliæ (e); *qvanti res annô, vel diebus triginta proximis, plurimi fuerit*; *qvantum* præter damnum perempti corporis, *qui ex pari mularum, vel ex qvadrigis eqvorum, vel ex*

(a) pertinent. t. 6. lib. 4. I. lib. 6. 12. 43. ff. & passim plura per jus civil.

(b) t. t. de usucap. l. fin. C. d. R. V. (c) l. 22. 76. 81. 246. de V. S. l. 173. fin. d. R. I. l. fin. ad L. Aqvil. l. 5. si qvadr. paup. l. 20. 33. de R. V. l. 22. C. eod. & pass. (d) t. t. de in lit. jur. §. 7. & 10. de injur. (e) t. t. ad L. Aqvil.

comœdis, superſunt, depretiati ſunt; Imò ipſam *dupli*, *tripli* &c. rei furtô, raptu, delictisqve aliis ablatæ, æſtimationem, eò aliqvem radicis ſuæ ramum projectare judicaveris.

XI. Et verò palàm id qvidem eſt, damnô datô circa rem familiarem ſive pecuniariam, & poſſe & debere hôc modô, ad æqvalitatem reſtituendam perveniri, ut & ipſa res, & occaſione ejus, damnum datum, ad ſcrupulum usqve æſtimetur atqve compenſetur; Cæterum rem magis illiqvidam evadere neceſſe eſt, ubi res in qvibus læſio facta eſt; vel *æſtimationem non recipiunt*, ut bona fama, libertas, membra liberi corporis, probitas itemqve tranqvillitas animi; vel etiàm inſuper prorſus *irreparabiles* ſunt, ut vita, abſciſſaqve membra, ac ſimilia. ſcilicet non habet hic orbis temporale bonum, qvod cùm vita, feliciori imprimis, comparari aut commutari qveat: famam autem deinde & vitam pari paſſu ambulare in diverbio qvoqve eſt: *omnia ſi perdas*, ait ille, *famam ſervare memento; qvâ ſemel amiſsâ, poſtea nullus eris*: *Libertatem rem eſſe inæſtimabilem*, eandem *nullà poſſe lui pecuniâ* (a): *liberum corpus nullam recipere æſtimationem*, adeoqve *nec cicatricum nec deformitatis qvidem poſſe inſtitui rationem* (b) familiare eſt juris civilis auctoribus aſſerere. qvomodo autem & tum probitas tum tranqvillitas animi, cum re pecuniariâ comparari poſſit, non facile videre eſt. Eqvidem, ſi poſſibile eſt, ut à lædente, qvidqvam fieri poſſit, qvod ad reſtitutionem hujusmodi bonorum à ſeſe alteri corruptorum turbatorumve, facere qveat, ad id illum ex merito teneri, extra dubium eſt; ut adeò dixeris etiam, poſcentis æqvitatis eſſe, ut, qvi honorem noſtrum contumeliâ deformavit, injuriarum judiciò, ad *palinodiam*, qvam appellant, aliave, ſi qva ſunt, labefactati honoris reparandi remedia in ejus poteſtate, ad ea is cogatur (c). Nec fortaſſis naturâ in abſonis eſſe putes, ut animo cujusqve corruptelam malamqve moleſtiam injuriâ illatam, autor pro poſſe corrigat, præſtando, qvibus iſthæc inde rurſus eximi aut inibi penſari qveant, puta pravas opiniones, affectusqve, qvos aliqvibus inſtillavit, recantando, meliora & ore ſuggerendo, & exemplô ſupplicii qvoq; docendo, aliisqve modis congruis tollendo, atqve eluendo: ſimiliterqve moleſtiam, mœrorem, ægritudinem inflictam, gratô atqve jucundo qvodam ſenſu compen-

(a) l. 106. 176. §. 1. de R. I. §. 7 qvi & à qvib. manumiſſ. lib. non fr. l. 9. §. pen. de ſtat. hom. (b) l. 3. ſi qvadr. paup. l. 1. §. 1 l. ult. de his qvi eſſud.

(c) vid. Weſemb. in π. n. 18. tit. de inj.

pensando, sive id deprecatione, sive officiô, sive deniqve pro perpessæ miseriæ magnitudine, aliqvô alteri præstitô vindictæ jucundô bonô (intelligo hoc pesterius, potissimùm in statu qvodam naturali hominum, qvò divinæ rationis ac revelationis super hoc non satis illi sunt gnari) id fieri qveat. Cæterum & præterea id fortassis hîc tamen non prætereundum qvoqve est, qvomodò civilis, utplurimum æqva, forsan etiam qvandoqve nonnihil deflectens, dispositio, in hujusmodi, pecuniâ non æstimabilibus, pecuniarias tamen qvasdam retributiones, vel solas, vel juxta correctiones reliqvas, soleat exigere. Ubi qvidem primò rectissimè videntur statuisse periti: pecuniaria æstimatione ac refusione tollendum esse damnum pecuniarium, qvod etiam saltem consecutum fuit, ad læsionem in re, licet non æstimabili, veluti *si liberum corpus per aliqvod dejectum, aut per* alterius alicujus petulcum *pecus fuerit læsum, ut Judex tum hic putet mercedes medicis præstitas, cæteraq; impendia, qvæ in curatione facta sunt:* præterea *operarum qvibus caruit, aut cariturus est* læsus, *ob id qvòd inutilis factus est.* Qvando verò porrò etiam qvævis perpessa molestia, naturâ suâ videtur admittere compensationem qvandam per repositum solatium, tristitia per gaudium: & pecunia ferè res est, qvæ utplurimum hominum indigentiam sublevans, communi qvasi solatio hominibus soleat esse; qvandò præterea pecuniarum ablatio, generalis qvidam puniendi atqve coërcendi malitiam hominum, modus est; forsan nec à naturali æqvô aberrarunt nostri prorsus, ubi in compensationem omnimodæ injuriæ etiam pecuniarias retributiones advocarunt, & pro coërcendis omnis generis delictis, simul mulctas pecuniarias adsciverunt, veluti ubi Prætores permiserunt, ut ipsi, *qvi injuriam passi essent eam æstimarent, & judex vel tantirecum condemnet, qvanti injuriam passus æstimaverit, vel minoris prout ei visum fuerit* (*b*). ubi leges eum qvi *per dejectum liberum hominem occiderit*; qvi *parentem patronum, in jus sine veniâ vocaverit, qvinqvaginta* (*c*); *reum ambitus centum* (*d*); *albi corrupti qvingentorum aureorum* (*e*) alios aliâ multâ condemnatum

Nnn

(*a*) *d. l. 7. de his qvi effud. & l. 3. si qvadrup. pauper.* (*b*) *§. 7. J. de injur.* (*c*) *l. 1 §. 5. de his qvi effud. l. 12. pen. & ult. de in jus voc.* (*d*) *l. un. §. 1. de L. Jul. de ambitu.* (*e*) *l. 7. pr. de jurisdict.*

tum iverunt. ubi deniqve eò fuit itum, ut ob graviora delicta, qvibus non privati tantum, sed & ipsa Respubl. aut exemplô malô aut etiam damnô fuerat aucta, ademptio sive *publicatio* vel omnium *bonorum*, vel partium earum, aliis pœnis adjungeretur. *omnium*, ubi meritum fuerat, ut aut vita malefico adimeretur, aut civitas, aut servilis conditio eidem irrogaretur (*a*); uti accidebat per casûs legesqve Majestatis, vis publicæ, parricidii, veneficii, de sicariis (*b*); *partis*, veluti ob vim privatam, ob dolô malô raptum ex naufragio, ob injuriam illatam (*c*), itemqve alius rei mensuram, *certæ portionis*, veluti si tantundem, atqve ipsum debitum vel qvasi debitum, qvod vi alteri ablatum fuerat, restituendum erat, prout hanc formam post L. Juliam ab Impp. res hæc accepisse apparet (*d*). Atqve qvæcunqve hujusmodi qvidem qvorumvis delictorum pecuniariæ coërcitiones sunt, forsan eò minùs habent iniqvi, qvò magis alii innocentes iis non simul affliguntur, contra ac fiebat, in durâ illâ & omnimodâ publicatione bonorum, eorum qvi ultimo suppliciô afficiebantur, qvod proinde, ob non gravandam innocentem cognationem meritò fuit corrigendum (*e*).

XII. *Personæ* verò, ac *reliqvarum circumstantiarum*, conditionem, qvod attinet, qvin itidem plurimam in specie diversitatem, huic maleficiariæ obligationi per naturam afferat, nulla attentioni dubitatio potest esse. Qvid enim manifestius est, qvàm per naturalis justitiæ congruentiam longè gravius offendere, eoqve arctius injuriâ illatâ stringi illum, qvi conjunctissimum aliqvem sibi, qvi honoratiorem, virtute, bonitate, potentiâ summè excellentem, qvi eum à qvô maximis affectus est beneficiis, eum cui fide officii est obstrictus, offenderit; qvàm qvi qvemvis extraneum, vilioris fortè, aut se multò minoris conditionis hominem, & à qvo nullô ipse officiô, imò fortè antè malô mactatus est, cuive nullô speciali officii vinculô præalligatus est, aliqvâ fortè iniqvitate affecit. ut proinde facilè appareat, vel horum intuitu, qvasi ex semine primæ justitiæ exsurgere illas qvasdam Juris civilis dispositiones, qvibus crimen blasphemiæ, hæreseos, Majestatis, parricidii, & reli-

(a) l. 1. d. bon. damn. (b) l. 3. d. tit. (c) l. 1. & ult. de vi privat. §. 4. Inst. de publ. judic. (d) l. 7. C. unde vi. (e) auth. bona damnatorum C. de bon. proscript.

reliqva ejusmodi, tam severæ subjiciuntur animadversioni (a); qvibus *aliter*, ut JCtus differit (b), *puniuntur ex iisdem facinoribus servi qvàm liberi*; & aliter, qvi qvid in dominum parentemve ausus est, qvàm qvi in extraneum; in Magistratum qvâm qvi in privatum; & ut ex Ulpiano Justinianus (c): *aliter Magistratus, Senatoris, parentis, patroniq;, aliter extranei & humilis personæ injuria æstimatur.* ea qvæ sæpiùs per civilem prudentiam certis delictorum generibus, ut homicidio, stupro, falso, irreverenti in jus vocationi &c. applicata (d) repetuntur. Similiter & de *circumstantiis* reliqvis, qvod ab iis causæ variandarum obligationum ex delicto, per ipsam naturæ æqvitatem arripiantur, vel leviter attendentem, Jureperitorum nostrorum diligens observatio securum potest facere. succinctus atqve elegans ex his qvidam Claudius Saturninus est, in fragmento libri ejus singularis, de pœnis paganorum, l. 16. ff. de pœn. relatò; ubi observat ac pulchrè deducit: omnia isthæc, qvæ puniri solent, qvatuor delictorum genera; *facta* sc. *dicta, scripta, consiliaq;* injuriæ, *consideranda esse septem modis: causa, persona, loco, tempore, qvalitate, qvantitate, eventu.* Ita qvoqve *atrocem injuriam*, ex Labeone Ulpianus (e), & porrò Justinianus (f) *ex re, ex facto, ex persona, ex loco, ex tempore æstimat.* alii JCti affatim in medium producunt similia. Ubi constat, singula circumstantiarum delicti, facere hôc modô ad varietatem ac intensionem pœnæ, supervacaneum fortè est, monere, multò magis isthæc eò facere, ubi forte bina, trina, qvaterna, vel plura etiam horum ἐν τῇ ἀκμῇ σῦ posita junctim in uno delicto occurrunt. unde minùs mirum potest esse, si pro restauranda aliqvâ, per horum concursum odiosissimâ iniqvitate, ad multiplicem sæpius redafflictionem perveniatur, famæ v. g. civitatis, fortunarum, & cum his, ad vitæ deniqve ipsius ademptionem qvandoqve.

(a) auth. Gazaros C. d. hæret. l. 5 & t. t. C. & t. ff. ad L. Jul. maj. l. 9. & t. t. de L. Pomp. de Parric. §. 6. J. de publ. judic. (b) l. 16. § 3. de pœn. (c) l. 7. § f. de injur. §. 9. J. eod. (f) l. 3. §. 5. de sicar. §. 4. J. de publ. jud. l. 1. §. ult. l. 8. de fals. t. t. de in jus voc. l. 14. de pœn. & pass. (e) d. l. 7. § f. de injur. (f) d. §. 9. Inst. eod.

XIII. Circa extensionem hujus ex maleficiô obligationis, anteqvam hinc abeam, unum licebit pauculis disqvirere. *Qvas*

nimirum aliqvô fortè uno delicto personas obligari contingat, & *qvibus?* Ubi qvidem qvod primò *personas* attinet, *qvas* obligari hinc accidit, ut certum est, eo loco ipsum delinqventem esse, ita prima fronte etiam is solus eodem in loco videri potest esse; utpote qvod solus hic obligationem hanc malignitate suâ contraxit; ut proinde innocentia aliorum, extra omnem pœnam Jure meritoq; videatur ponenda esse; in tantum, ut etiam, ubi dubia res sit, utrum nocens qvis existat an non, qvoad ipsum hunc Principalem, Divus Trajanus *satiùs* autumaverit *impunitum relinqvi facinus nocentis, qvàm innocentem damnare* (a). & aliàs disertè edicant Impp. (b) *ibi pœnam esse debere ubi & noxia est: propinqvos, notos, familiares*, illi inqviunt, *procul à calumniâ submovemus, qvos reos sceleris societas non facit--peccata igitur suos teneant autores, nec ulteriùs progrediatur metus, qvàm reperiatur delictum.* & eò pertinet cautio illa, qvâ mulieris maleficæ prægnantis, & supplicium differtur, & qvæstio, ad tempus qvo peperit (c). imò qvâ providetur, *ut ne calamitas qvidem matris*, statu ejus, sive propriâ sive etiam alterius culpâ, mutatâ, aut dilatione libertatis interveniente, *ei qveat nocere, qvi in utero est* (d). Et omninò ex hoc surgit principio, illa, qvæ *certissima* dicitur *juris regula* (e): *Ex maleficio pœnales actiones in heredem rei non competere: veluti furti, vi bonorum raptorum, damni injuriæ &c.*

(a) l.5.de pœn. (b) l.22.C.de pœn. (c) l.18.de stat.hom.l.3.de pœn. (d) d.l.18. 22.26.de stat. hom.pr.J.de ingen.l.1.§.1.de suis & legit.l.53.de fideicommiss. libert.add.N.115.§.1.de exhered. lib. (e) §.1.de perpet.& temp.act. l.111.de R.J.l.1.de privat.delict.l.un.§.fin.si qvis jus dic.non obtemp.

XIV. Cæterum, utut hæc ita sint modo regulari; cautionem tamen qvandam hic, & natura svadere videtur, & observatio approbat; ne videl. temerè delicti, sive ab initio, sive eventu & ex post facto, aliqvo modo participes prorsus absolvantur. Ab initio enim, sive ad ipsam delicti progenerationem, qvia causali qvodam modo videntur concurrere, qvorum dolus, aut culpa, ut eò perveniretur, nec ut oportuerat, malignum factum impediretur, intercessit, utiq; pro magnitudine suæ malitiæ, meritò hi obligationis debitiqve exinde pœnalis videbuntur participes debere fieri. adeoq; rectâ ratione civili lege sanciri, uti, *qvi jussu* mandavitqve (f);

(f) l.169.pr.l. 152.§.1.d.R.J.

cujus-

cujus ope-consiliô maleficium sit perpetratum (*a*), æqvè atqve ipse committens, inde reus existat pœnæ, illi delicto competentis. uti præterea dominus familiæ teneatur de restituendo aliqvibus damno injuriâ dato à suis familiaribus, & animatis; itemqve inanimatis, ut placet loqvi Philosopho (*b*), œconomiæ, artisqve acqvirendi instrumentis: utpote qvod *culpa ejus interveniat hæc, qvod operâ malorum hominum fuerit usus* (*c*): qvod non, juxtà qvam ex observando semper humanitatis officio tenebatur, diligentius curarit, *ne qva* per sua suosqve *alteri iniqva conditio inferretur; ne qvid positum suspensumq; haberet, qvâ vulgò iter fieri solet*, qvod cadere ac prætereuntibus nocere possit (*d*). ne qvid ex domo, ex cœnaculo, à familiaribus nocivum effunderetur dejiceretur (*e*). ne qva ab iis, qvorum operâ navem, cauponam, stabulum, exercet, furto dolove damnum divertentibus obveniret (*f*). ne qvivis sibi servus qvalicunqve alios afficiat injuriâ; pecus qvadrupes, aut aliud qvodvis ad se pertinens animal pauperiem non conferret alteri (*g*). ut igitur, si contra egit obligatus proinde, meritò sit, determinatione à civili lege factâ, modò ad reparationem damni dati, modò ad decem, modò ad qvinqvaginta aureorum pœnam; jam ad duplum, jam alternativâ obligatione, aut pœnam pendere, aut noxium servum, animal, noxæ dedere (*h*): Porrò verò *ex eventu* participes videntur fieri obligationis ex delicto qvodam illi, ad qvos ex eo lucri qvid pervenit, tum ideò, qvod reapse qvid iniqvi penes eos resideat, dum alterius detrimento ac injuriâ locupletiores, contra qvam fieri debet (*i*) ipsi existunt; tum qvod ex post facto, ubi tale qvid penes sese residere rescifcunt, jam ipsi simul in malitiâ, cupidi talis alieni, incipiant esse positi. Unde hactenus prudenter Juris conditores, regulæ superius adductæ, de non competente, ex maleficio rei, in hæredem successoremve aliũ, actione, has consvevere addere limitationes: *nisi forte ex damnô locupletior heres sit factus* (*k*): *ut tamen lucrum ei extorqveatur* (*l*), adversus hæredem autẽ hactenus dandam actionem, *ut ex dolo defuncti is non lucretur* (*m*). itemq; hujus iniqvi lucri ergò actiones solent illi concedere; non qvidem ut promiscuè, tanqvam principales, famosâ, furti, vi bonorum raptorum, ac simili actione hi succedanei conveniantur; sed tamen, ut aliis rei perse-

(*a*) §. 11. *J. de obl. qvæ ex delict. l. 53. §. 1. d. V. S.* (*b*) *lib. 1. Eth.* (*c*) §. 3. *de obl. ex qs. delict.*

(*d*) §. 1. *d. t.* (*e*) *d. §. 1. t. de his qvi effud.* (*f*) § 3. *de obl. ex dol. et fur. advers. naut. caup. & stab.* (*g*) *t. t. de noxal. act. si famil. furt. fec. It. si qvadr. pauper.* (*h*) *d. textib.* (*i*) *l. 14 de cõdict. indeb. l. 206. de R. I.* (*k*) *l. 23. §. 8. ad L. Aqvil* (*l*) *l. 53. de O. & A.* (*m*) *l. 1. §. ul. de eo per q. fact. f. qvo min. qvis in jud. sist. l. 38. de R. J.*

cutoriis actionibus impetantur excutianturqve, putà ad exhibendum, si possident, aut dolô fecerint, qvò minus possiderent, reqve exhibitâ, rei vindicatione, & præterea condictione, sive extet planè aut citra confusionem res, sive non extet (a), modò in substantiam patrimonii auctoris, ea transiisse præsumenda sit. hæc enim hujus actionis natura est. qvomodo sanè in simili, ut naturale, ita omninò solenne legibus est, qvemvis injusti lucri ergò ex qvavis causâ etiam aliàs delictô vacuâ, rei incumbentem, obligare ac permittere excuti. concessis eô nomine, ejusqve finis ergò, vindicationibus, condictionibus, interdictis, remediisqve aliis. ubi tamen & humanitatis studiô, mitiùs ferè, tum obligationis, tum actionis schema poni videas, si, qvod propter malitiam ac dolum etiam alicujus alteri abest, ad modum debiti atqve obligationis ex contractu, aut aliâ simili causâ, possit pertrahi, ac inde, qvasi ab eo qvi criminis innocens sit, repeti (b). Qvo etiam referas, qvòd ex verò crimine debita, per litis contestationem, debita ex contractu fingi videas, eô qvadantenus fine, ut ab herede aut aliô successore, tanqvam ex contractu eadem petantur. (c)

(a) l.1. de priv. delict. l.2. in f. vi bō. rapt. l.7 §.2. de cōdict. furt. §. fin. de obl. ex delict.

(b) l.1. §.1. & 4 l.7. d. dol. mal l.2. C. eod. (c) §.1. de perpet. & temp. act. l.8. & seq. l.139 164. de R. I. l. un. C. Ex del. defunct. l.43. de injur. l.26. 28. de O. & A. (d) Exod. 20.

XV. In concurrente successorum maligno proposito, sine dubio, ex parte qvoqve sese fundat ipsius Dei justitia; *visitans iniqvitatem patrum in filiis, in tertiam & qvartam generationem* (d): imò propter solam protoplastorum defectionem à lege Majestatis suæ, posteros omnes ad mortem temporalem, vitæq; temporalis ærumnas, imò extra Christum, ad æternum exitium damnans: qvippe prævidebat, jam tum Deus clarô visu, ex simili stirpe similem propaginem. & qvamvis excessus fortè tertiæ aut qvartæ generationis non tantę futurus sit enormitatis, ac fuit ipsius primi, & hisce & sibi graviorem temporalem afflictionē commerentis; tantæ tamen semper erit, ut Justitia DEI, etiam severior ipsorum meritis sit congrua. Dubito, an pari prorsus modô, justitiæ veritatem habeat vindicta, qvâ ad imitationem qvasi divinæ hujus, ipsa humana qvoqve rerumpub. majestas sese ferè eô modô tueri solet, ut etiam ad liberos usqve delinqventes pœnam extendat, non solùm, ferè communi gentium more, publicatione paternorum bonorum, hos qvoqve gravando, sed etiam aliis qvandoqve incommodis sævissimè eosdem

dem plectendo; veluti cum romanâ lege (a), *filii à maternâ vel avitâ, omnium etiam proximorum hæreditate ac successione jubentur haberi alieni, ex testamentis extraneorum nihil capere, perpetuò egentes ac pauperes, & qvos infamia paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta admittantur. postremò tales esse jubeantur, ut his perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatium & vita supplicium*: Similiter, qvandò *liberi ex complexu nefario orti*, in tantum omnis paternæ substantiæ indigni judicantur, ut *ne alendi sint* (b). in hisce, dico, ac hujusmodi, fortasse non æqvè de naturali justitiâ liqvet. Tametsi fortassis hoc dixerit qvis, ea hactenus non prorsus ab omni æqvitate abludere, siqvidem non planè indifferenter in nimiam illam sævitiam, res evadat; & donec adducta illa, aut similis qvædam lex majestatis, ratione qvidem suâ nitatur, puta qvod *paterni* h. e. *hæreditarii criminis exempla in liberis metuantur*; maximè cum & ipsorum, qvatenus civium, videtur esse, civitatem sui securem reddere; sive id, per voluntariam abitionem, sive per alia legum remedia tutissima, cogantur admittere: Namqve vel experientia facile docet, respublicas nulli majori periculo solere exponi, qvam ubi genere, authoritate, opibus, pollentes cives, vel in ipsa civitate, inimico animo erga præsentem statum affecti, foveantur, vel etiam opulenti exulent, ut adeò, pro subigendis hujusmodi, si non præsentibus, saltem futuris, si qvid possent, reipub. hostibus, summa, & civilis, & civitati applicata naturalis ratio, talem severitatem, ob Majestatis crimen imprimis, exercitam, aliqvo modo propugnare videatur. Præcipuè, si illud moderamen isthæc admittat, ut, ubi prorsus metus ille fortè cesset, suum qvoqve non desit ei laxamentum aliqvod, prout ob eandem rationem, vel ipsa illa paulò ante producta Romanorum sæva Majestatis lex (c), tale qvid pro filiabus Rei inducit, aliqvid magis qvam filiis facultatum ipsis indulgens, utpote pro infirmitate sexus minus ausuris, nec infreqvens vulgò rerumpubl. moribus est, (utcunq; statutis gaudeant hoc in casu rigidissimis,) restituere in integrum, imò ad summa sæpè munia admovere, perduellium hæredes, ubi & metui ab iis desitum est, & utilem posse ab ipsis reipub. operâ navatū iri, spectari incipit. Sed utut hæc sint, rigor ille civilis, in filios aliosve extensæ vindictæ, ob crimen

(a) *l. 5. C. ad L. Jul. majest.*

(b) *auth. ex complexu C. de incest. & inut. nupt.*

(c) *§. 3.*

men Majestatis à Majoribus commissum, tolerabilior, & si non prorsus æqvus, saltem minùs ab æqvitate videbitur digredi, atqve illa ante qvoqve notata, natis ex nefario complexu alimoniæ denegatio, eòqve & posteriori usu correcta (*a*): aut etiam, qvàm promiscua ista, romanisqve legibus, olim solennis, omnibus capitalibus criminibus pœnisqve (h. e. ubi aut vita alicui adimebatur, aut libertas, aut civitas) annexa *publicatio bonorum* (*b*); itidem proinde mitiori seculo postea meritò abrogata (*c*). Tantum de extensione obligationis, qvoad Personas ex delicto aliqvo obligandas.

(*a*) c. 4. X. de eo qvi dux. uxor. qvã poll. adult. (*b*) l. 3. de interd. & relegat. (*c*) d. auth. bona damnatorũ.

XVI. Qvod attinet eandem, hujus ex delicto, obligationis extensionẽ, ejusq; terminos, qvo ad *personas, qvibus* inde aliqvis obligetur; ut rectiùs illa concipiatur, primum omnium, ut opinor, tanqvam confessum erit ponendum: Obligari qvenqvam ex aliqvo delicto, ei qvi per id læsus est, non autem obligari, qvi eo non est læsus: scilicet, qvomodò qvis ex maleficio possit obligatus esse, ei, qvi nulla à sese læsione tangatur, haud conceptu facile est. Obligari autem læsis lædentem, opinor, per se patet omninò. Qvibus igitur positis, qværenti personas, qvibus ex aliqvo maleficio suo, qvis obligetur, inter cætera, opinor liqvebit porrò hoc: qvod si contingat, unum esse, qvem delicti tangit læsio, unum qvoqve fore, cui acqviratur exinde, ut loqvimur, obligatio, sive jus petendi, ut iniqvitas illa sibi à malefico sarciatur; sin plures, plures: & qvidem ad modum, qvo læsi sunt singuli. Qvod qvidem videtur apprimè, circa judicium, de obligatione ex qvodam delicto, faciendum, attendendum esse, qvo intelligatur, qvæ, atqve qvotuplicia sint, qvæ ex eo maleficus debet, & qvotuplex inde is sortiatur (qvod ajunt) forum. Ut uno tantum atqve altero rem declaratam reddam exemplo: In medium proponere liceat, primitus *homicidium*: hoc læditur primò, homo *peremptus* indignissimè; tollitur enim id bonum ei, qvod carissimum ipsi, ac irreparabile est: deinde læduntur *amici* cæsi, sæpius plurimi, inprimis qvi ei sunt conjunctissimi, parentes, liberi, fratres, conjux, & reliqvi, qvorum maximè intererat, ut is superesset: injuria afficitur *respub.* eâdemqve gravissimâ, tum, qvod cive, fortè etiam, si e. g. magistratus sit, multùm utilissimô, privetur; tum, qvod exemplum scandulosæ crudelitatis in medium fuerit

pro-

productum, qvod, si impunè aufferretur, multorum malitiam ad imitationem posset provocare, & per hoc tranqvillitatem publicam perniciosè labefactare. offenditur præterea *Ecclesia*, itidem scandalô datô infirmis, reputantibus facilè, non esse tantæ indignationis, qvod commisisse norunt, qvem postea florere conspiciunt. Deniqve *Deus ter opt. maximus* gravissimè offenditur, non tantum qvatenus rebelle contra legem Majestatéq; ejus cōmittitur factum, à sibi servo ac beneficiario deditissimo; sed & qvatenus id, qvod ipsius est, in qvo imaginem cœlestis pulchritudinis ipsi libuit ponere, ipsi tanto domino, qvantum in malefico est, è medio tollatur. Non obstabit igitur hic dicere: qvemlibet horum, pro facta sibi injuria vindictam, pro iniqva perpessione pensationem, juxta modum læsionis atqve commissi in sese, jure reposcere, ipsumqve delinqventem reumve teneri, primò qvidem *cæso*; qvia vitam non potest, ut saltem honorem compassione sive repassione suâ subitâq; vindictâ ei reponat, ne isthâc neglectâ, canis instar is alter perimi potuisse superstitibus videatur; deinde *propinqvis*, ut in solatium tam subversi commodi, tam mœroris animiqve molestiæ, ob amicissimi hominis necem, refundat, sive aliqvid pecuniarii emolumenti, ut qvidem fieri etiam consvevit (a); sive justæ vindictæ solatium, sive utrumqve etiam. Porrò *Ecclesiæ*, ut pro scandalo averruncando, Reus abeat ex communicatus: Postea *reipub.* ac societati civili, imò humanæ, ut exemplum sangvinolentæ crudelitatis, huic hujusqve securitati illatum, sangvinis pœnâ is eluat: *Deo* deniqve ipsi, ut pro enormi æternæ tantęqve justitiæ offensa, æviternam pœnam homicida luat, nisi media ex immensa DEI clementia ac benignitate, pro extremô hoc avertendô, indulta arripiat, iisdemqve evadat. Post hæc, exempli locô notari potest, illa juris civilis observatio, qvâ omnis generis *actiones* (hæc autem ut sæpius dictum, obligationes supponunt), ad hæredes habentur transitoriæ, non ex conventionalib. tantum negotiis, *reiperseqvutoriæ*, qvæ dicuntur, qvo qvidem nihil notatu est freqventius (b) per civilis juris corpus; sed ex delictis etiam *pœnales* (c). Utpote, cum videri possit, ex conseqventi, eâdem

(a) l.18. C. de transact. l.1. ff. de bon. cor.

(b) vid. §.1 I. de perpet. & temp. act. & pass. add. l. un. C. ut ab here. incip.

(c) d. §.1. l.1. §.1. de privat. delict. l.38 de R. J. l.1. §. ult. de cô, per qvem fact. l. 16. & seq. qvod met. caus. & pass.

eâdem hic, qvâ antecessor, injuriâ, ac damnô pecuniariò imprimis, per delictum auctus: namqve de hoc etiam casu potissimum tales transitiones actionum tantum admittuntur. unde & de cætero, ubi mera vindicta personalis magis, qvam in re familiari offensio, nec tamen & illa grandis nimis, intendi, ac prætendi solet, heredibus ferè executio denegari consvevit; veluti, ubi crimen injuriarum (*a*), sepulchri violati (*b*), personæ, sine veniâ vetitæ, in jus vocatæ (*c*), ingratitudinis (*d*), ac simile qvid personalis læsionis in cōmisso solùmodò est. Videri posset alteri, qvod modò dicebatur, nimirum; no læso neminem ex maleficio obligari, obstare: qvod qvandoqve etiam tanqvam justas ad pœnas trahantur, aut saltem iis digni aliqvi habeantur, ubi nulla intercessisse videri possit ab iis facta alterius læsio, veluti ubi vel consultavit qvis, vel etiam modò conscius fortè fuit consiliorum ad eversionem reip. tendentium, qvæ tamen nec ipsa fortè in executionem fuere perducta (*e*). sed dicendum videtur, in hujusmodi momentosis, non tantùm approbandam esse regulam, ut *voluntas pro facto habeatur*; sed utiqve ipsa talia, veluti consultationem, de pernicie reip. aut etiam conticentiam, si qvid tale fieri sciatur, in speciem qvendam facti lædentis jam videri abiisse, qvô contra officium in periculum induxit, aut inducere passus qvis est, statum atqve tranqvillitatem publicam: qvæ si non læsa, saltem in propinqvô stetit, ut læderetur, imò in corruptis illis malignè consultantibus membris, reapse læsa, ac ipsa qvidem consultatione illâ, attentata est. Sufficiant etiam modò dicta hæc, de delicto tamqvam causa obligationis.

(a) d. §.1. J. de perpet. & temp. act. l. 13. 28. de injur. l. 1. §. 1. in f. de privat. delict. (b) l. 6, & ult. de sepulchr. viol. (c) l pen. de in jus voc. (d) l. 7. C. de satisdat. (e) l. 5 pr. §. 6. C. ad L. Jul. Majest.

CAP.

CAPUT V.

De Conventione,

Tamqvam causâ obligationis.

I. Conventio; qva in humanis typus videri potest constitutus divina consensionis;

II. Res est, ut compingendo humano generi ad officia competentiasq; mutuas convenientissima, ita usu freqventissima:

III. Perq; civilem Jurisprudentiam, qvà essentiam, qvà vim obligationis gignendi nexum, decantatissima.

IV. Hac, (variè aliàs denominata) generaliter accepta,

V. Est duorum pluriumve

VI. In idem placitum

VII. Consensus. Hic

VIII. Qvatenus formatus existit, in singulis, idem est, qvod cujusq; animi destinatio, sive proaeresis.

IX. Eòq; non est propriè, nisi possibilium:

X. Nec merus, suaq; competentis efficacia, nisi sit spontanea libertatis h. e. nec erroneus,

XI. Nec coactus;

XII. Nec jure impeditus; aut etiam imperfectus ad aliqva declaratus, fortè donec conspirante eidem consensu aliorum non compleatur.

XIII. Cui accessorio consensui & ipsi accidit, personam illam alterum, cujus est, obligare.

XIV. Hinc porrò, qvatenus consideratur consensus, ut in qvid rei directus, observatur, reddi eum vitiosum, nec adeò gignendæ obligationis efficacem, siqvidem sit erroneus facti, hujusdemq; circumstantiarum.

XV. Imò & juris ipsius, probabili minusq; vincibili, (non autem supinâ prorsus ac contra commune officium hominum) ignorantiâ:

XVI. Facti veluti alieni; proprii verò non item.

XVII. Et si qvidem majoris sit frustrationis ille error, veluti

XVIII. In corpore ipso, rei aut personæ:

XIX. In materia tota, si modò errore suô gravatus ipse teneri non vult; secus si aut hic, licet in re error sit, negotium contractum servari vult, aut idem error tantum in materiæ parte intercesserit.

XX. Simili observandâ distinctione, ob errorem in qvalitate, qvatenus hæc vel maximi vel minoris momenti in re est.

XXI. Nec obest pariter valori negotii, error in reliqvis rei accidentibus, minus circa eandem ponderis habentibus; veluti qui est in nomine.

XXII. Erronea opinio de causâ debiti, qvæ nulla est; negotium solutionis præstat irritum, & solutum condicibile.

XXIII. Traditionem rei intercedens discrepans opinio causæ, siqvidem utrinq; hæc aliqva dominii translativa rei irrevocabilis menti obversatur, negotii confectionem non infringet; sin autem à parte tradentis irrevocabilis, à parte verò accipientis revocabilis; casus est, qvi exagitat prudentes.

XXIV. Ubi utrinq; opinio causæ dominii translativæ rei revocabilis est, negotium irritum est, & locum habet traditi repetitio, modò non intempestivè nimis exercita. Id qvod magis obtinebit ubi ab una parte dominii qvidem translativa causa, sed rei revocabilis in opinione est, ab altera possessoria. Item si utrinq; possessoria, sed dispar est.

XXV. Hæc qvæ relata, corpus videl. materia, causa, ac reliqva, sunt illud idem facti objectivè, in qvod utrinq; conspirans consensus in conventionem abit, obligationemq; parit.

XXVI. Estq; idem in obligaturo Fiducia, in bonitatem,

XXVII. Justitiamq; alterius, fore, ut suo bono aliqvid faciat.

XXVIII. In persona vero obligandâ idem consensus propositum est, utrinq; autem ut seqvi possit effectus,

XXIX. Ma-

XXIX. *Is manifestandus est,*

XXX. *Sermone, gestu corporis, actisq; aliis.*

XXXI. *Distinctio contractuum in eos, qvi re, verbis, literis, consensu fiunt, non excludit à consensualibus verba, literas, resq;.*

XXXII. *Nec à realibus, consensum sermonemq;:*

XXXIII. *Nec à verborum literarumq; contractibus, consensum verbaq;.*

XXXIV. *Qvin duo hæc: stipulatio, & per literas contractus, modò tantum sermonis, & inter se, & à cæteris contractibus differunt: Imò modus ac media contrahendi sunt, reliqvis conventiones firmantia.*

XXXV. *Potiùs, qvàm qvod ipsa propriè species conventionum aut contractus sint. unde etiam est, qvod non tantum omnis generis negotia obligatoria per hæc compingantur; sed & qvod non valeant, si citra alterius alicujus negotii causam sint.*

XXXVI. *Actus consensum utrinq; in nexum obligationis perducens:*

XXXVII. *A parte personæ obligandi promissio*

XXXVIII. *Est.*

XXXIX. *Qvæ qvidem est propositi nostri asseveratio à nobis*

XL. *Alicui facta, de aliqvò faciendò (præstandò) ei; non alteri; nisi vel nostra interest, vel arctius persona illa altera nobis conjuncta est.*

XLI. *Et erit propositum in nexu constitutum, post promissi acceptationem.*

XLII. *Cui pro sustentaculo fides est, saltem, si non firmissima, aliqva.*

XLIII. *Et est qvidem hôc modô per fiducialem acceptationem propositi pro-missi, nexus hic obligationis constitutus irrevocabilis,*

XLIV. *Etiam si intra spacium, qvô à terminô ad terminum propositum transmittitur insciò acceptante, in fonte id ipsum mutetur.*

XLV. *Promissio hæc atq; acceptatio, si utrinq; partium sunt, obligationem atq; actionem pariunt mutuas.*

I.

SI qvidqvam sapientissimus mundi Conditor in natura rerum usqvam posuit singulari modô pulchrum, atqve mi-

mirandum; id illa utiqve humano consortio inducta ratio est, qvâ per CONVENTIONEM, mutuamqve mentium conspirationem sese obligatos ad invicem homines reddunt; potestatesq; alii aliis concedunt). Forsan paulò penitiùs huc cogitationibus immersus, mirari haud desistes, unde, aut qvî ex mutuâ hâc animorum conspiratione, hominibus isthic aliqvis possit ad invicem ingenerari nexus, isthuc officii aliqvod debitum; nisi vel iterum hic in archetypum æternitatis conscendere, & porrò hinc per finem, cujus gratiâ mortalibus medium hocce sese alios aliis peculiari hôc aliqvô modô devinciendi, divinitùs datum sit, emergere nitaris. Per sacrum divinitùs revelatum verbum, plures conspicimus in divinâ æternitate, distinctè persistentes personas: hasce & secum solitas consultasse, & porrò potestates, (liceat, cum aliter non licet, humanô modô loqvi) mittendi sese, spirandi; officia ab alteris exeundi, redimendi, consolandi, alias præ aliis suscepta gerere. Novimus autem ulterius easdem hasce tres divinitatis personas, unitissima unione unum existere Deum, cujus simplicissima entitas, ac pacatissima unitas, nullam admittat discordiam, aut digressionem intentionis ab invicem. Unde adeò primùm, minimè omnium licet dubitare, qvin ipsæ illæ distinctæ unius divinitatis personæ, unitissimè consentiant, inqve eadem placita, sive consultatione interveniente, sive qvocunqve aliô nobis incognitô modô, arctissimè conspirent. porrò autem & conjectare est, isthæc aliis præ aliis competentia divina officia, potestatesqve ad invicem, per sanctissimam isthanc harum personarum conspirationem, singulis immotô æternô placito constare suscepta. Qvandò verò porrò nos nostraqve, ad imaginem divinitatis novimus condita, si ei, qvam ibi novimus simile qvid spectamus accidere consensioni nostræ, si effectus hujus, competentia nempe officia potestatesqve in nobis deprehendimus, qvid vetat dicere, qvod huc qvoqve divinorum debuerimus referre simulachrum. Accipe, si vis, pro fine hæc uno, qvare nostro animorum conspiratio, conventionem qvam dicimus, isthanc debuit, etiam in nostrâ mortalitate habere virtutem. sed sunto hæc τὰ ἐητὰ ἄῤῥητα.

II. Ponamus autem nunc, colligentes ab effectu, & iis qvæ apud

apud nos apparent, in fine conditoris, qvando hanc vim animis hominum addebat, fuiſſe utilitatem, bonum, felicitatemqve humani generis: certè nil huic congruentius, aut neceſſarium magis productum reperies. Etſi enim prudentisſimus rerum editor, genus noſtrum per ipſam ſui ipſius plurimam ſimilitudinem, ex communi usqve cognationis propagine productam ſibi mutuò conjunxiſſet; idemqve ſub univerſali qvodam imperiò conſociaſſet; beneficiò, ſi non mutuô, ſaltem communis domini devinxiſſet; differentias etiam prudentiæ, roboris, aliasqve, & naturâ eidem induxiſſet, & ulterius arte ampliandas indulſisſit, qvibus adeò & apti eſſent alii aliorum indigentiæ opitulari, & tenerentur ſeſe mutuò ſuſpicere homines ac venerari; deniqve de ligamine providiſſet reparandi iniqvi, ſi qvid contigiſſet; atqve ſic qvidem de cæteris ante memoratis, poteſtatis officiiqve obligationisve mutuò gignendæ, cauſis omnibus, humanitati proſpexiſſet; vix tamen erat, uti omni ad vitæ felicitatem faciendo nexui hæc ſufficerent, niſi ſuperadderetur, talis colligandi hominum ratio, qvæ omnigenæ in vita occurrenti varietati, necesſitati, utilitatiqve parandæ, ſigillatim accommodari poſſet, cujusmodi tandem *conventio* futura erat, reliqvis ligandi cauſis aut laxis nimis, aut cognitis minùs, aut concurrentibus rarius, aut deniqve ne exoptandis qvidem, ut obvenirent, putà, eâ qvæ ex commiſsâ iniqvitate eſt. Etenim conventione hac demum videmus coire, atqve conſtare potisſimum, atqve roborari, omnes humanæ vitæ neceſſarias atqve commodas, humanitùs ineundas initasqve ſocietates: civiles domeſticasqve, omnisqve generis commerciales, populorum ac gentium, namqve & conventiones ſunt fœdera, qvibus pax mutuumq; auxilium populis ac gentibus conciliatur. medium itidem illæ ſunt qvibus ſinguli hominum, cujuscunqve conditionis atqve ordinis, ſe ſibi mutuò, prout uſus poſtulat, valent obſtringere. Eleganter hanc hujus generalitatem uſus obſervat JCtus (*a*); qvandò *Conventionis verbum, prædicat generale eſſe, ad omnia pertinens, de qvibus negotii contrahendi, tranſigendiq; cauſa conſentiunt, qvi inter ſe agunt*, item ex alio idem; *Nullum eſſe contractum, nullā obligationē* (not. autem cum hic generalem nimis) *qvæ non habeat in ſe conventionem*; Et alibi idē (*b*).

(*a*) *l.1.§.3.ff. de pact.*

(*b*) *l.5.d.pact.*

Con-

Conventionum tres sunt species, aut enim ex publicâ causâ fiunt, aut ex privatâ: Privatâ aut legitimâ aut juris gentium. Publica conventio est, qvæ fit per pacem, qvoties inter se duces belli qvædam paciscuntur, & qvæ seqvuntur. qvin notare est, ipsam civilis cujusqve societatis qvasi animam, qvæ lex est civilis, vel conventionem esse ipsam, vel certè conventionem pro firmamentô habere. Legem, inter cætera Papinianus, *communem reipub. sponsionem* definit (*a*). Similiter & tacitæ & expressæ legis fundamentum in consensu, suffragioqve populi, ponit Julianus JCtus (*b*). Ne dicam nunc, Deum ter Opt. Max. ipsum hoc peculiariter delegisse vinculum, qvo se qvasi deligaret, hominibus, tot cum genere humanô, tum universô, tum parte, tum cum singulis qvibusdam ex eô, initis pactis, factisqve iisdem promissionibus. cum *Illo*, qvando in primô homine omnibus primùm sub conditione perfectæ obedientiæ; & post eâ delapsis sub conditione fidei, in meritum servatoris, sui mittendi filii in carnem, æternam salutem promisit: qvando promissa acceptantibus protoplastis, Noachô itemqve Noachidis, fœdus nobiscum iniit, de concessione in usum nostrum, creaturarum nobis utilium de non perimendo denuo universo humano genere per diluvium aqvarum. cum parte hominum pactus est Deus, cum terram Canaan, inqve ea affatim mundanæ felicitatis posteris Israel, acceptantibus Patriarchis promittebat: cùm Salvator omnibus fidelibus suam usqve ad finem seculi præsentiam, corporis atqve sangvinis sui participationem, ablutionem ab omni spirituali immunditie, resuscitationem ad vitam æternam, pollicetur. Cum particularibus qvoqve hominum, multas planè divinas licet observare conventiones factas, veluti cum ipsis protoplastis, Noachidis, cum Patriarchis, Moise, Gedione, Davide, Hiskia; Christi cum discipulis de mittendo ipsis Spiritu sancto singulari modo &c. ut concludam breviter, sancta est, amplissima est, utilissima atqve necessaria est, illa (per conventionem ac conspirationem animorum) ligandi ratio, qvâ etiam libuit Deo hominibus sese obstringere, qvæqve vestigia æternæ divinissimæ conjunctionis refert, qva toti humano generi, in omnem usum est prospectum, prospiciqve debuit, ut societatibus variis, commerciisqve ac præstationibus mutuis

(*a*) *l.1. de ll.*

(*b*) *l.32. de ll.*

tuis

tuis utcunqve felicitatem hanc ærumnosam posset transigere vitam.

III. Et est hac qvidem conventionalis obligandi ratio, qvæ magnam in omni jurisprudentia occupat partem, utpote tam latè extensa, qvam latè patet, ratio contractuum, spontaneorum, qvæ propriè dicuntur, civilium, jurisqve gentium, nominatorum, innominatorum, publicarum privatarumqve, conventionum. commendata etiam alias plurimùm à JCtis in universo genere, tam ab æqvitate, qvam à firmitate nexus. *Hujus edicti æqvitas*, ait Ulpianus (*a*) qvando edictum aliqvod prætorium de servandis pactis interpretabatur, *naturalis est: qvid enim tam congruum fidei humanæ, qvã ea qvæ inter eos placuerunt, servare.* Idem assertivè repetunt Impp. alibi (*b*). Qvintiliano (*c*), *Fides supremum humanarum rerum vinculum est.* Et iterum Ulpiniano (*d*) prætor dicitur *favere naturali æqvitati: qvi constituta ex consensu facta custodit: qvoniam grave est fidem fallere.* qvam fidei frustrationem & ipse & alii alias JCti perseqvuntur sæpius (*e*). *Conventionis æqvitatem* etiam particulatim prædicat Papinianus (*f*); & *ex pacto naturale debitum* Ulpianus (*g*). De nexus firmitate vero Impp. disserunt ita (*h*): *Sicut initio libera potestas unicuiq; est, habendi vel non habendi contractus: ita renunciare semel constitutæ obligationi, adversatio non consentiente, nemo potest &c.* qvibus adstipulatur hoc: *qvæ ab initio sunt voluntatis, ex post facto fiunt necessitatis.* & illud Pontificis (*i*): *Qvod semel placuit, amplius displicere non potest.* Item istud JCti (*k*): *Nemo potest mutare consilium suum in alterius detrimentum, sive injuriam.* Pertinet hoc sapientis (*l*): *Fili mi si spoponderis pro altero; & manum tuam alii devinxeris, nexus es sermone oris tui, & captus sermonibus oris tui.* cui respondet illud commune: *sponde, noxa præstò est.* Pertinent præterea qvam plurima juris civilis loca alia, qvibus contractus, pacta, consensus, causæ obligationis feruntur, & qvidem ejus obligationis, qvæ pœnitentiâ partis alterutrius rescindi aut perimi non possit, necessitatemq; præstandi habeat (*m*). Ut adeò extra omnem ambiguitatis rationem id nunc supponere liceat, conventionem, siqvidem essentiâ atqve constitutione suâ benè se habeat, causam esse per vitam humanam latè cursitantis, utilis, æqvæ, firmæqve obligationis. Et qvo-

(a) l.1 pr. de pact. (b) l.20. C. de transact (c) Declã. 343. (d) l.1. de constit. pecun. (e) l.25. de cõstit. l.1. §.4 depos. (f) l.95. §. 4. de solut. (g) l. 5. §. 2. eod. (h) l.5. C. de obl. (i) c. 21. de R. I. in 6. (k) l.75. de R I. c.33. de R. I. in 6. (l) Prov. 6. (m) § 2. I. de obl. t. I. d. obl. ex consens. l. 12. in f. C. de contrah. empt. l.39. de transact pr. I. de emp. l.3 & 7. C. de rescin. vend. l.35. §. pen. C. de donat. §. 2. I. eod &c. alleg. à Gothofr. ad l.5. C. de obl. ad lit. n.

qvoniam igitur hæc obligatio, qvatenus ex hac causa est, utiqve ex ipsa hac causâ, hujusdemqve conditione ac natura penitus venit æstimanda, utpote in qvam incidens, cujusqve intuitu, jus eandem hanc obligationem nectit, facta dispositione; ut ex tali conventione nascatur aut non nascatur talis aut talis obligatio; fortassis ex re nostri propositi est, naturam atqve conditionem conventionis, qvatenus productiva vinculi hujus sit, paucis perlustrare: qvod nescio an commodius qveat fieri, qvàm, si præmissâ meliori, qvam in hanc rem nobilior jurisprudentia edidit, definitione, per hanc, ipsum modum & reqvisita hujus nexus consideremus.

IV. Pactio duorum pluriumve in idem placitum consensus est. Item: *Pactum est duorum consensus atq; conventio:* definitivæ sunt positiones prudentissimi Ulpiani (a) qvibus nescio an meliores temerè jurisprudentia qvædam suggerat. Ubi qvidem de *subjectô* ipso *definitô* primum observare est: Voces, *pactio, pactum, conventio*; itemqve placitum, consensusqve, ac similes, utut si accuratè singulas scrutari velis non parum differant inter sese, usu tamen plurimum univoca esse: Differunt autem dum v. g. pactio ipsum pangendæ obligationis actum, qvatenus in fieri est, pactum verò rem qvatenus jam in perfectione contracti ligamenti constituta est, denotare videatur. unde etiam ipse Ulpianus, in d. l. 1. §. 1. *Pactum à pactione* deducit. itemqve *nomen pacis inde appellatum* autumat. qvæ fortassis omnia, si derivationes scrutari libet, cum Hotomanno ab antiqvô verbô *pago* deduxeris. Deinde verò & *consensus*, omninò qvid generalius videri potest denotare, atqve pactum aut pactio, cum etiam extra speciem pangendæ obligationis homines consentiant, in verum scil. ac opinabile. unde etiam utriqve definitioni præmissæ, loco generis ab autore hactenus rectè videatur poni vox consensus. Qvod autem de consensu est, idem etiam de *placito*, idem & magis adhuc de *conventione* erit dicendum; de *placito* etiam cum adjectione *communis*, aut *in idem*: qvoniam multis simul ejusdem potest esse placitum, aut multis idem simul potest placere, ita tamen, ut nullum nexum inter sese ejus rei causa constituant, veluti si splendor solis, aut qvicqvam aliud pulchri ali-

(a) l. 1. §. 2. de pact. l. 3. pr. de pollicitat. add. l. 31. de V. O.

aliqvibus complaceat. De *conventione:* cum hæc non modò similiter, ut consensus placitumq;, in vero, in comprobatione pulchri, etiam consiat; qvin ab autore in posteriori pacti definitione loco generis videatur poni; sed & insuper, cum hoc ipsum agitur, ut ad significandam animorum conjunctionē, & hanc vinculi hujus connexivam, pertrahatur, hujusmodi sensus generalitas ei soleat relinqvi; veluti ubi Ulpiano teste (*a*) *sicuti convenire dicuntur, qvi ex diversis locis in unum locum colliguntur & veniunt: ita & qvi ex diversis animi motibus in unum consentiunt, i. e. in unam sententiam decurrunt.* Utut inqvam accuratius, originariam vocum proprietatem scrutanti, facile appareat, hæc ita habere sese; consensus nimirum, placiti, conventionis vocabula latius patere qvam pacti aut pactionis, & hæc qvidem inter sese differre, imò fortasſis ipsa hæc primâ suâ origine, rebus corporeis pangendis, pactis, compactisq; magis congruere; succumbendum tamen obseqvendumqve dixeris sermonis domino, usui, & maximè qvidē, ubi etiam violentia disciplinæ artisqve accedit, cui pro placitô artificum communia vocabula, ut familiaria adiguntur inservire. Nimirum hoc etiam & usu communi & in arte juris, dictis modò vocibus accidit: ut primò omnes, ad effectum obligationis per conspirationem connexionemve animorum progignendæ, applicentur: deinde verò, modo in hac universalitate relinqvantur, modo etiam qvædam magis particulariter usurpentur. ita *generaliter*, omnino videntur sumi in adductis definitionibus *pactio* itemqve *pactum:* *consensus* hoc modo accipitur, toties qvoties in contractibus aliisqve negotiis consensu valituris de consensu ejusqve valore ac modo disputatur, utcunqve in specie, consensualia aut consensu constantia negotia non dicantur. Disertè aliàs Modestinus JCtus *consentientes* ait (*b*), *in aliqvam rem, ex consensu obligari necessario ex voluntate nostra videmur.* & ubi nullus est infirmusqve consensus, (ut ferè semper arguunt periti) ibi nulla, invalidaqve, ex pacto, conventione, aut contractu obligatio. prout patebit in seqq. (*c*). *placitum*, vel hic qvoqve universalis descriptionis partem fecit, estqve tralatitia eô effectu regula, *displicere amplius non posse, qvod semel placuit.* *Conventionis verbum* jam ante ex Ulpiano, & Paulo, & Pedio, JCtis audivimus *generale esse* (*d*) ad

(*a*) *d. l. 1. §. 3. de pact.*

(*b*) *l. 52. §. 4. de O. & A.*

(*c*) *vid. e. g. l. 1. de pact. l. 1. & 18. de reb. cred. & l. 2. & t. t. d. jur. & fact. ignor. l. 2. de rit. nupt. &c.*

(*d*) *l. 1. 4. 5. 6. 7 de pact.*

ad omnia pertinens, de qvibus negotii contrahendi transigendiq; causâ consentiunt qvi inter se agunt. *Nullum esse contractum, nullam obligationem, qvæ non habeat in se conventionem sive re, sive verbis &c. conventiones esse tacitas expressas, publicas privatas, juris civilis, juris gentium, transeuntes in aliud nomen & non transeuntes*; & qvæ possent addi reliqva hujus generalitati vocis hic alibi per jurisprudentiam, tum in specie posita, tum in conjugatis, substrata. Deinde verò plurimam etiam liceret particulariorem horum plerorumqve ex romanâ jurisprudentiâ depromere usum, siqvidem ex usu foret. Id saltem qvasi commune *de pacto, conventione, consensuq;* notari potest; ferè accidere iis, sicut & aliis negotiis in jure civili sæpius evenit: ubi commune horum suppositum ob speciales aliundè assumptas differentias, speciales denominationes sortitur, ibi, si qvid ab illis accessionibus purum manet, id sub nomine generali tanqvam specificô solere persistere; qvomodo e.g. obligationibus ex cõtractu accidit, in qvibus omnibus etsi consensus utrumq; compleat foliũ, primò faciens ut contractus contractus sit, cũ reliqvæ ob accessionẽ aliorum, negotium perficientium, ob res videl. verba, literas, intervenientes, rerum, verborum, literarum obligationes appellentur, qvod qvædam illarum, obligationes *ex consensu* dicantur, qvę nimirum istis accessionibus liberæ, purô magis consensu perfectionem sortiuntur (*a*). Ita *stipulationes*, cum aliæ, ex jussu Prætoris judicisve necessariò sint instituendæ, aliæ, non item; sed è liberâ voluntate conventioneqve prodeant: hinc illæ, utcunq; citra conventionem non sint, est enim stipulatio omnis conventio, prætoriæ tamen & judiciales, hæ *conventionales*, nomine specificô, &c. illis qvasi oppositô, dicuntur (*b*). Ita igitur & ipsum conventionis nomen non temerè in formâ exprimi audies, ubi in speciebus contractuum versaris: diserte hoc prodente Ulpianô (*c*), qvando asserit *conventionum plerasq; in aliud nomen transire, veluti in emptionem, in locationem &c.* & deinde *eas jurisgentium conventiones, qvæ actiones pariunt, in suô nomine non stare; sed transire in proprium contractus nomen*; ubi facile subintelliges, si qvæ conventiones sunt, non istorum generum, illas sub nomen generis universalissimô specificè qvasi consistere, similis ratio est nominis *pactionis, pactiq;*: qvod ipsum

(*a*) §. ult. de obl. t. de obl. ex consens.

(*b*) t. t. J. d. divis stip. l. 5. ff. de V. O.

(*c*) d. l. 1. in f. & l. 7. §. 1. de pact.

ipsum in ea ferè conventionis specie specifice demum hæret; qvæ contractus nomen non meruit, idqve modò simpliciter, modo pro diversitate respectus, cum adjectione *conventi*, *nudi*, *legitimi*, *adjecti* (a). Unde etiam, qvia vocem pacti huic specificæ significationi, qvasi cum solennitate qvadam dicavit jurisprudentia nostra, adhuc qvidem magis qvam conventionis; magis placuit conventionem hic in capite, tanqvam causam qvandam generaliorem obligationis ponere; & si temerè liceret agere, definitionibus Ulpiani ante in medium productis, loco definiti pactionis, pactiqve, *Conventionem* substituerem, transponeremqve. sed qvia, ut ex allatis apparet, peccatum non in re est, abstineo mihi manum, usurus prout commodum fuerit, dictis vocibus citra religionem indifferenter. hoc de definito.

(a) l. 7. §. 4. & seqq. l. 17. 21. 27. & pass. de pact.

V. *Definitio* ipsa tribus constat; qvibus scil. conventio describitur esse: *1. duorum pluriumve; 2. in placitum idem; 3. consensus.* *Duorum pluriumve* esse oportere hunc conventionalem consensum, obligationis exinde nasciturae causam, atqve matricem, manifestius est, qvam qvod declaratione indigeat. neqve enim unus aliqvis qvomodo secum ipse consentire possit, vel etiam hunc in effectum consentire, facile intelligitur. Nisi fortè eô locô accipias, vel conspirationem diversarum facultatum in homine, vel sententiæ voluntatisve congeminatum ejusdem conceptus propositive delectum. namqve vel utrôqve intuitu, dictu qvidem vulgare est, consentire simul atqve etiam dissentire hominem secum, dum scil. intellectus atqve voluntas, sive appetitio ac ratio, conspirant, discordantve; vel etiam dum aliis atqve aliis temporibus, locis, objectis moventibus, idem aut diversum vult qvisqvam aut opinatur. At verò, licet analogiam consensus hic qvandam habeamus; non tamen consensum ipsum, qvô nobis in nobis ipsis obligatio, justaqve nobis in nos potestas, enascatur. qvam qvidem ad speciem potissimum pertinere dixerim vulgare istud, *qvod nemo sibi ipsi possit obligari*. Etiamsi enim conspirare inter sese cernas in unum objectum finemqve, & judicium mentis & appetitionem voluntatis, & modò hanc seqvi illud, modo etiam vicissim illud trahi ab hac; id tamen illó casu fieri dixeris, non adeò vigore qvodam obligatio-

 nis,

nis, qvæ ex hoc qvasi consensu sit; sed potius, si qva obligatio hic fingenda est, talis alicujus, qvo ex virtute imperii, naturaliter menti in appetitionem deputati est; ut vice versa tyrannidi cuidam ac violentiæ justitiæ naturali illatæ imputaveris, si melius mentis judicium ab appetitu, sibi aliâs naturæ destinatione servo, subigatur ac trahatur. Qvomodo autem ex eô, qvod diversô tempore, locô, objecti motu, in diversis propositionibus generali fortè ac speciali, aut aliis etiam verbis eandem rem inducentibus, idem sentimus, aut ut ita dicam nobis consentimus, nobismet ipsis nos obligemur, fateorme modò non concipere; ut adeò hactenus isthæc personarū pluralitas definitioni nostræ, consensum conventionemve obligatoriam describere intentantibus rectè sit addata, imo, ut excluderentur hujusmodi modo adductæ qvalescunqve singulares consensiones, addi debuisse videatur.

VI. Qvod 2. de eodem placito, sive *in idem placitum*, conventione seu consensu descriptioni nostræ interponitur, per hoc auctor, voluisse videtur, qvalitercunqve potuit, edere nervum qvendam, qvô universalitatem generis, *consensus*, ad speciem ejus ligantem constringeret, & ut dicimus, differentiam, esse, aut formale specificum pactionis exprimeret. idqve sic satis feliciter, tametsi primô aut qvodam qvasi magis vagô intuitu habitô, videri possit, ac si vox placiti æqve laxum penè occupet campum, atqve loco generis hic positum verbum consensus; utpote, qvod, sicuti consensus, ita etiam complacitum opinionis ac voluntatis veri factiqve, videatur esse: Nec qvicqvam sit manifestius qvam qvod duo pluresve in una re complacitum habere qveant, citra tamen destinationem qvandam, nedum intentionem aut effectum, obligandi sese, veluti si qvi pulchritudinem astrorum aut rei cujusqve alterius unà admirentur, eáqve mirificè afficiuntur ac delectentur. Cæterum distingvenda hic fortassis est complacentia à complacitatione, complacitum sive in idem placitum, qvod nudi delectamenti est, ab eo, qvod est comprobationis, & hoc rursum in id, qvod est comprobationis meræ, ut si eadem complacet atqve comprobatur opinio, veritas &c. & id qvod simul est *destinationis facti*, puta uti aliqvibus complaceat, fieri qvid aut non fieri alteri aut ab altero, licere

licere aut debere. De posteriore hâc specie prorsus intelligi hic vult JCtus, conventionem, ut causam obligationis actionisve, propositum habens definire (*a*). Nec fortassis adeò culpandus: qvod non ulterius qvicqvam adjecerit, qvô latitudinem illam complaciti restringeret, addendo fortè, *faciendi qvidqvam*; aut etiam, qvod omissâ voce alterutrâ placiti scil. vel consensus, non posuerit potiùs: *pactionem esse duorum pluriumve ut qvid fiat (complacitum,) consensus.* qvippe per *consensum* definire, non mutatâ voce, usus hujus vocis in hâc materiâ, amplitudo item ac freqventia imperavit. nil etenim qvicqvam magis in prophasi versatur, qvam qværere & asserere, an, qvodve, in qvid, pacifcentes, contrahentes, aut reliqvi qvorum interest, consenserint aut non consenserint. at qvia tamen generalius videbatur dictum: pactum est duorum consensus; (utcunq; alibi, ubi aliò intendens, huic definitionali cautioni non studet, idem consultissimus autor, in hoc acqviescit;) verbum inveniendum erat, qvod generalitati isti, ad effectum obligandi, constringendæ, & *usus* habebat præ aliis accommodatissimum, & *naturâ* qvasi videbatur huc præparasse; id qvod erat dicere: *in idem placitum* consensus. namqve *naturâ* non præsentia modò vera bonaq; placent, ac placere nobis dicuntur, sed & qvæ hæc aut illa talia cui futura sunt, vel à nobis etiam profectura. neqve vero hoc tantum, sed & notabiliter, per omne licitum placitum, ligamentum intendit natura; ponas enim mirifice cui qvid placere, sive ut modô qvôdam usurpet aliô, sive ut contempletur solummodò voluptatemqve sensualem licitam inde capiat; qvilibet alius mediante hôcce placitô, etiam citra suum placitum consensumqve additum, naturaliter huic admiranti, aut delectanti, videtur obligatus reperiri, si non affirmative, puta ut juvet, saltem negativè, scil. ne injuriâ eum impediat, aut in suo gaudiô turbet. qvid igitur erit dicendum, ubi alter aliqvis complacentiam suam, ut tale fieret, manifestavit, & qvasi securitatem ejus boni fruendi, sua contestatione illi fecit? *Usus* vero qvomodo dictionem hanc in vim obligatoriā erexerit, ad eum attendenti facile fit manifestum, qvando v. g. *placita* dicuntur *legum* (*b*); *ea qvæ placuerunt servare oportere* (*c*) *nec displicere amplius posse &c.* Ut adeò parum referre existimes, siqvidem

(*a*) *per l.1.7.d. pact. & d. l.3. de pollic.*

(*b*) *l.1.de const. princip.*

(*c*) *l.1.pr. de pact. & pass.*

dem definitor noster non addiderit positioni illi suæ, verbum : *ut fiat, ut qvid fiat, faciendi* aut simile, utpote cum natura placiti, maximè in schemate propositô, qvod in *idem* placitum consensus est, hoc ipsum videatur per se satis inferre. Qvod autem particulatim *in idem* hoc placitum dicatur consensus esse, id suô egregiô qvoqve non caret nervô, qvod nimirum nisi tale supponas, qvomodò conventio, aut complacitum, aut consensus plurium sit, non *facile concipias:* id autem qvid sit ac intelligatur esse, paulò post declarandum erit plenius, ubi de natura ac reqvisitis consensus cæperimus edoceri limatius.

VII. *Consensus* vocem translatam esse, à sensibus ad animum animiq; facultates, ipse vocis indicat sonus, imò ostendit usus, ita esse translatam, ut fere à nativâ radice penitus abstractâ in solô tralatitio solo, (itidem tamen sensus, putà interni nomen usu præferenti) qvasi propriô suffixa hæreat, inde rursus metaphoras in naturam animatam reliqvam inanimatamqve ipsosqve sensus, si qva accidit dicendi commoditas, transmittens rejiciensqve. scil. non audies temerè, qvasi proprie dici consensum sensuum, visus, auditus; aut consentire dici eos, qvi idem audiunt, vident, tangunt, qvatenus ita faciunt; At benè, dici consentire eos, qvi animis conveniunt, atqve in unum conspirant. Ut tamen interea hoc qvidem ita in proprietate sermonis sit; ut translativè, ad hujus consensus similitudinem, de reliqvis etiam rebus mente rationali carentibus idem qvandoqve audiatur, veluti de paribus animantium, de diversis orationibus &c. sed nobis hìc, qvatenus propriè sumitur, sub incude consensus est. Non libet autem repetere pluribus: sumi consensum hic eâ specie, qvâ non nudæ opinionis aut approbativus veri est; sed qvatenus ad constituendū debitum, itemq; acqvirendam indulgendamqve potestatem conspirat: verbô, qvatenus in idem placitum, seu obligatorius est. scil. id cursim jam sæpius repetitum est ante. Cæterum expediet fortè, cô sub hâc figurâ acceptô, porrò videre, qvæ ejus pro isto effectu natura, qvæve sint reqvisita: prænotatô primum modò obiter: qvod videatur dici consensus, ut etiam facile vis compositorum atqve compositionis innuit, qvasi conjunctus seu conspirans sensus, sententia, aut sensio, cum

cùm aliô sensu aut consensu. qvalis etiā propriè,& potius qvidem videtur accipi debere, qvam pro ipsô cōpositô, sive corpore pluriū qvasi sensionum sententiarumve conspirantium, qvippe consensum, ut singulorum accipimus, consensisse dicimus hunc atqve illum; & ubi de plurali pluriumve consensione loqvimur, semper particulâ aliâ cumulativâ; v.g. *illorum, utriusq;, omnium &c.* id qvod per se particulare singulorum existit, connectimus.

VIII. Consensus igitur is obligatorius, de qvo nunc agimus videtur triplici potissimum respectu, modóqve considerari debere: primò qvatenus in singulis efformetur, formatusqve existat, intentus ad aliqvid: deinde qvatenus utrinqve conspirans sit ad idem: & deniqve qvatenus à parte utràqve in ipsum coëat nexum, ita, ut obligatio exinde vel mutua vel à parte alterâ oboriatur, simulqve potestas libertasve aliqva, qvæ antea non competebat, alterutri vel utriqve competere incipiat. Qvatenus consideratur *ut in singulis hominum ad aliqvid certi intentus primam qvasi* reqvisitam *formam sortiatur*; accipiendus videtur hic conventionalis consensus paris naturæ, cum destinatione animi, qvibuslibet etiam reliqvis, tum obligatoriis tum liberatoriis negotiis, veluti, delictis, dispositioni testamentariæ, abdicationi personarum, rerum alienationi &c. ad perfectionem suam reqvisitâ; idemqve, ut opinor, esse, qvod Philosopho (a) nomine τοῦ ἑκουσίου sive spontanei, (barbare spontaneitatem dixeris) itēq; perfectiori figurâ προαίρεσις dicitur; declaraturq; illud qvidem per negationem cōtrarii qvod sit τὸ οὐκ ἀκούσιον sive non invitum; i.e. non coactum aut ex ignorantiâ factum; hæc, illo simul complexò, qvod sit βουλευτικὴ ὄρεξις, *consultata, consultò, sive cum consiliò appetitio*: itemqve esse dixeris eundem consensum qvod JCtis à subjecto inhæsivo eodemqve causâ progignente, *animo* videl. ejusqve partibus sive potentiis, *animus, mens, affectus, voluntas, sententia, consilium, judicium animi, animi destinatio &c.* dicitur (b). nec dubitarem asserere vocem *placiti* in definitione nostrâ superius positam, separatim sumptam, negotio tamen obligatorio relictam, idem denotare. Nolim nunc pluribus hic repetere, qvæ Aristoteles de natura spontanei & inviti, deqve ratione proæreseos d. loc. multis eleganter colligit, atqve recenset: paucis

(a) *lib. 3. Eth. ab init.*

(b) *l. 3. §. 6. l. 8 l. 16. l. 1. §. 22. de acqv. poss. l. 1. C. de sicar. l. 55. de O. & A l. 40. 48. 189. 96. 75. 76. de R. J. l. 1 de testam. &c.*

solummodò perlustratum cupiens, qvomodo JCtissimi nostri, ex iisdem naturæ, (veræ atq; genuinæ Philosophiæ,) principiis ac fundamentis, ut cætera, ita valorem ac requisita hujus qvoq; conventionalis consensus. pro effectu obligationis, peritissimè observare sciunt atqve arguere.

IX. Ita nimirum, qvod Philosopho, pro effectu, qvem is hujus intendit, comparatione virtutis scil. in essentialibus proæreseos ac proinde in definitione ejusdem ponere necassarium visum fuit, (a) ut sit illa *τῶν ἐφ ἡμῖν, eorum qvæ in nostrâ potestate aut nobis possibilia sint*: idipsum negatione oppositi hi qvoqve pro effectu pariendæ obligationis, pluribus asseverant, statuentes: *Impossibilium nullam esse obligationem* (b): inqve censum vocantes, non modò *impossibilitatem facti*, qvam dixeris, putà, si qvid per rerum naturam extra potestatem humanam positum est, ut detur aut fiat v. g. res qvæ non est præstetur, aut persona mortua judicio sistatur (c): qvæ aliàs Ulpianus hâc complectitur regula (d): *Ea, qvæ dari impossibilia sunt, vel qvæ in rerum naturâ non sunt, pro non adjectis habentur*; sed pro suâ religione etiam impossibilitatem *juris* advocantes multoties. *Qvod nullius esse potest*, Pauli est (e), *id ut alicujus fieret nulla obligatio valet efficere*. Ejusdem est (f): *Rem sacram, religiosam, vel usibus publicis in perpetuum relictam, ut forum aut basilicam, aut hominem liberum, inutiliter, stipulor &c.* It. ejusdem (g); *Pacta qvæ turpem causam continent, non sunt observanda*, qvod Ulpianus exprimit (h): *Si ob maleficiũ ne fiat, promissum sit, nulla est obligatio ex hac conventione*, & juxtà (i): *generaliter, qvotiens pactum à jure cõmuni remotum est, servari hoc non oportet*: Item (k): *Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti*. Seqvitur Justinianus noster (l): *Qvod turpi ex causa, inqviens, promissum est. veluti si qvis homicidium, vel sacrilegium se facturum promittat, non valet*. Item Theodos. & Valentin. Impp. (m) *Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qvi contrahunt lege contrahere probibente: secundum itaqve prædictam regulam, qvâ ubicunq; non servari factum, lege probibente, censuimus, certum est, nec stipulationem hujusmodi tenere, nec mandatum ullius esse momenti nec sacramentum admitti.* Qvam annullationem ex turpi causa contractæ obligationis, etiam disertè

(a) d. lib. 3. c. 3.
(b) l. 185. de R. J.
(c) l. 69. de VS.
(d) l. 136. de R. J.
(e) l. 182. de R. J. (f) l. 83. §. 5. de VO. (g) l. 27. §. 4. de pact. (h) l. 7. § 3. eod. (i) §. 16. ib. (k) l. 26. de V.O. (l) §. 23. de inutil. stip. (m) l. 5. C. d. ll.

eò JCti & Impp. (a) interpretantur, uti si turpis causa accipientis solius fuerit, etiam si res secuta sit, repeti possit.

(a) l. 1. § 2. & t. t ff. l. 3. 4. & t. t. C. de condict. ob turp. vel injust. causam.

X. Qvandò deinde Aristoteles suam ad civiles moralesqve effectus efficacem proæresin, in consultatâ, sive cum consiliô captâ appetitione ponit „ τὸ deliberatum spontaneum cum scientiâ & haud coactum esse inibi reqvirens, τὸ invitè h. e. ignoranter sive per errorem & coactè fieri, procul inde amovens, ita sanè omnia hæc in sedulâ nostrorum Juris Autorum attentione sunt, tùm aliorum intuitu effectuum, qvos locus perseqvi non patitur, tùm qvatenus hunc conventionis obligatorium valorem respiciunt. De reqvisita scientia generalis est Papinianus (a): *In totum omnia qvæ animi destinatione* (ita deliberatam appetitionem videtur ille hic appellare) *agenda sunt, non nisi verâ & certa scientia perfici possunt.* Pomponius (c). in simili assertô pro verbis Papiniani prioribus, ponit: *In omnibus negotiis contrahendis.* De spontanea deliberatave appetitione, unò verbô, de proæresi, in specie conventionibus ad valorem ipsarum necessariâ, ejusdem acutissimi Papiniani est hoc (d): *In conventionibus contrahentium voluntatem potius qvam verba spectari placuit*, ut de prælectione universâ, illud à Gothofredô nostrô ex Baldo notatum (e): *tolle voluntatem ex mediô & omnis actus est indifferens.* Multi iidem sunt in definiendâ, tum nullitate, tum infirmitate consensus, conventionisve, ob inde sublatum spontaneum, ob errorem & coactionem intervenientem: *Non videntur*, inqvit Ulpianus (f), *qvi errant consentire.* Et iterum idipsum, ut Juliani, allegans, *qvid enim* addit (g) *tam contrarium consensui est, qvàm error, qvi imperitiam detegit?* Disertè Impp. *nullus est, errantis consensus* (h): ait Papinianus (i): *In omnibus negotiis contrahendis, si error aliqvis intervenit: sive bona fide sint, sive non sint: ut aliud sentiat, (puta) qvi emit, aut qvi conducit* (k). *aliud qvi cum his contrahit, nihil valet, qvod actum. & idem in societate qvoq; coëunda respondendum est. ut si dissentiant, aliud aliô existimante, nihil valeat ea societas, qvæ in consensu consistit.* Ad propositum ab eodem (l) ex Labeone casum: qvô vicinus, qvi me patiatur opus facere, ex qvô ei aqva pluvia noceat, non possit me posteà adigere, ut aqvam illam arceam, subjungunt ex ipsiusmet scriptô aliô compilatores *Sed hoc ita, si non per errorem*

(b) l. 76. de R. J.
(c) l. 57. de O. & A.
(d) l. 219. de V. S.
(e) ad l. 20. C. de adult.
(f) l. 116. § 2. de R. J. (g) l. 15. de Jdict.
(h) l. 9. C de jur. & fact. ignor. (i) l. 57. d. O. & A. (k) add. l 9. de cōtrab. empt. l. 52. locati.
(l) l. 19. & seq. de aq. pluv.

aut imperitiam deceptus fuerit, nulla enim voluntas errantis est. exemplum hoc erat consensus taciti. aliis in casibus idem adseverant alii (*a*). Hinc porrò est, qvod, qvi usu mentis recto carent, putà infans, furiosus, nullum negotium, qvô vel se vel alios obligent, gerere posse statuantur (*b*). Hinc est, qvod qvi intellectu utuntur minus perfectô, eô, jure civili, privilegiô ferè gaudeant, qvod, qvæ in eorum fiunt præjudicium, etiam ipsis præsentibus, aut aliàs agi scientibus, invitis tamen ipsis fieri putentur (*c*): qvod iidem ex consensu suô, nisi alia insuper causa, qvod illi deest, fortè impleat, minus perfectè, imò prorsus civiliter non obligentur. veluti impubes, cui hoc datum, *ut nec velle nec nolle qvicqvam* in suum præjudicium *credatur* (*d*); ut ad necessitatem præstandi consensu suô sese non obliget (*e*). imò qvia defectus is naturalis illi est, ne naturaliter qvidem hoc effectu obligatus censeatur (*f*): ut tamen, qvia non prorsus omni destituitur consensu aliô eventu qvòdam, & ubi ejus non adeò vertitur præjudicium, ex causâ conventionis, & obliget (*g*) & obligetur, tum naturaliter (*h*), tum civiliter, maximè si causa qvædam alia obligationem nectere juvet; fortè qvod locupletior fuerit ex alienô factus (*i*) aut actio ex re, qvod ajunt, perveniat (*k*). Fundat sese in eâdem judicii imbecillitate, justæqve proæreseos defectu, privilegium fœminarum, ne conventione suâ intercessoriâ, pro aliis obligentur (*l*). Item minorum, qvo restitutionẽ in integrum habent, si qvid incautius peragentes, in damnum sese incidisse postea deprehendant (*m*). Inde præterea est, qvod prodigis meritò bonis interdicatur, eorumqve contractus ac dispositiones post interdictum editum (*n*) infirmæ habeantur: qvod retrahatur contractus ille, cui dolus causam dedit (*o*): Et si qvi sunt casus ejusmodi alii, qvibus ob inopiam judicii, notitiæqve defectum civilia jura favent (*p*).

(a) d. l. 15. de Jdict. l. 2. de judic. l. 8. 9 & tt. C. de jur. & fact. ignor. (b) §. 8. & 9. de inutil. stip. l. 5. 40. 124. §. 1 de R. J l. 2. §. 2. pro empt. (c) per l. 5. de serv. urb (d, l. 189. d. R. I. (e) d. §. 9. d. inut. stip. pr. & t. t. de autor. tut. (f) l. 41. d. cõdict. indeb. l. 59 d. O. & A. jũct. §. 10. eod. l. 6. de cõpens. (g) t. t. d. aut tut. (h) l. 1. §. 1 de novat. (i) l 5. pr. & §. 1. de aut. & cõsens. tut.

(k) l. 46. de O. & A. l. 47. de solut. (l) l. 2. & t. t. ff. ad SC. Vellej. & t. C eod. (m) l 1. & t. t. de minorib. (n) l. 1. de jurat. fur. l 40. de R. I. §. 2. I. qvib. est permiss. fac. testam. (o) t. t. de dol. mal. It. de dol. mal & met. causa except. (p) t ex qvib. caus. maj. 25. ann. in integr. rest & alib.

XI, Porrò verò & intuitu inviti, qvà coactionem, cum Philosopho (*q*) consensum statuunt infirmum Juris cultores, & in specie

(q) d. lib. 3. Eth. c. 1.

cie qvidem etiam ad obligationem per conventionem inducendam, insectantes imprimis casum mixti cum spontaneo coacti. (de purâ enim violentia, res disqvisitionem non meretur) ubi nimirum vi metuve magni forte mali in consensum qvis fuerit adactus; Ait Ulpianus (a): *Nihil consensui tam contrarium est, qvam vis atq; metus: qvem comprobare contra bonos mores est.* Prætor Romanus, censor ille adjutor atqve corrector juris civilis; custosqve æqvitatis, *decretum* ediderat. *Qvod metus causa gestum foret, ratum se non habiturum* (b). Incubuit, imò dubio procul & occasionem dederat, illi decreto, juris justitiæqve studiosorum industria, explicuitqve hoc ipsum, & multis declaravit, qvæ vis hic, qvæ infirmitas consensus, ex qvô metu dato, hic intelligi debeat aut non debeat, forte eo fine, ne vel malitiæ fenestra aperiretur, rectè placita retractandi, vel justus etiam metus temerè transmitteretur in detrimentum innocentis. Hinc igitur illorum observatio est (c): *Non qvemlibet hic attendi oportere timorem: non vani hominis:* non eum *qvi ex re nulla, qvalem qvis meticulosus frustra solet timere: ne infamiæ qvidem, nedum alicujus vexationis timorem*; intelligo autem infamiam levioris injuriæ, qvæ facilè elui qveat: non deniqve *eum qvi ex vi oboritur, qvam magistratus rectè intulit, jure licitò scil. & jure honoris, qvō sustinet;* Sed eum metum, *qvi est majoris malitalis: in hominem constantissimum cadens:* injuriâ illatus *per vim atrocem, & eam qvæ contra bonos mores fit; qvæ est majoris rei impetus, qvi repelli nō potest; morte* fortassis *servitute, stuprô*, aut simili malô magnô imminente. Atqve sic qvidem descriptô hoc violentiæ modô, porrò ubicunqve justus metus causa consensus & in conventionem adactionis fuit, iidem Consulti multi procedunt in medium, adseverantes nullitatem infirmitatemve talis ex tali consensu obligationis: prodentes etiam ac declarantes contra eam auxilia: *Exceptionem actionemq;: qvod metus causa*, qvas appellant (e); facultates nimirum qvibus qvis & adversus petentem ex tali coactâ conventione sese tueri, & insuper, si qvid jam præstitit, illud possit repetere; itemqve omnis inde perpessi incommodi in integrum restitutionem, unâ cum pœnâ etiam, pro modô concurrentis delicti, à violentô exigere.

XII. Præter hæc in censum nullæ aut infirmæ, sive obligatio-

(a) l. 116. de R. J.

(b) l. 1. pr. qvod met. caus.

(c) l. 5. 6. 7. 3. qvod met.

(d) per d. ll. & l. 1. 2. 4. 8. &c.

(e) l. 9. §. 3. & seqq. & 1 1. ff. & C. qvod met. causa It. d. dol. mal. & met. caus. except.

(a) l.4.d.R.I. (b) l.14. de O. & A. l.22. de R.I. §.6. I. de inutil. stip. l. 107. de R.J. (c) t. de pecul. (d) t. qvod jussu. (e) t. de in rem verso. (f) d. tit. (g) l.2. C. de castr. pecul. (h) l.133 de R.I. l.28. §.2. de pact. l.7. pr. §.4. & fin. de donat. l.1. §.7. qvæ res pign. obl. non poss. pr. I qvib nõ est permis. facer. testam. & passim. (i) per §.6. I. de inutil stip. l.39 de O. & A. l. ult. §.2. de V. O. l.9. de his qvi sunt sui vel al. jur. l.2. de muner. & hon. l.6. C de bon. qvæ lib. l. fin. C. d. inoff. testam.

tionis sive conventionis, ex defectu liberi sufficientisqve consensus ipsis qvoqve licuit referre, si aliqvibus *vi juris positivi*, libertas illa obligandi sese hactenus supprimatur infirmeturqve, prout accidit servis, filiisfamilias, aliisqve. dum *ne velle qvidem credantur, qvi obseqvuntur imperio patris vel domini* (a). Unde adeò *servo* evenit, ut planè ex contractu, suô sibi arbitratu initô, nec obligari civiliter, nec ejus nomine exigi ab eo qvicqvam possit (b); nisi qvatenus consensu, domini voluntas servi adintegrata fuerit, sive ab initiô, idq; vel tacitô seu universali, per concessum peculium ejusq; commercium (c), vel expressô aut particulari, per jussum (d); sive etiam ex post factô; ubi fortè alienum ex tali contractu acqvisitum in rem suam versum, iniqve retinet, negatqve (e). qvibus casibus etiam ipsum qvidem dominum, sui consensus ratione, in qvantum, inde obligatum, jura aliàs volunt (f). Erat & similis qvoqve ratio *filiifamilias*, qvô ad res familiares peculiaresqve, ut in placitis suis deteriorem posset facere conditionem parentis: scil. sicuti in omni peculiô servus, ita in profectitiô itemqve adventiô, filiusfamilias qvicqvam agere aut pacisci prohibebatur, ex qvô alienatio, aut peremptio rei seqveretur (g); donare v. g. pignori obligare, testari &c. citra voluntatem, ut ille domini, ita hic patris (h). Tametsi in aliis qvibusdam, hinc multò liberiùs erat arbitrium, puta ut publicis causis præesset, peculium castrense administraret, horumq; nomine etiam, ubicunqve usus exigebat, liberô consensu sese obligaret (i). ut tamen interea ad priorem consensus infirmationem etiam pertineret, dispositio Scti Macedoniani (k) de non obligando sese civili plenâ efficaciâ ex mutuô: & si qvæ aliæ extant ordinationes, de aliis negotiis in præjudicium patris non peragendis (l). Item illa, qva constricta ipsis potestas est, contrahendi nuptias suô, citra parentis consensum, arbitratu (m). pertinet infirmatio voti filiæ, uxoris, servi, jure, tum divinô, tum civili romanô cognita (n). trahes huc qvoqve casus, ubi pupilli, minores, prodigi declarati, utcunqve iis contingat naturâ satis judicio valere, sub tutela tamen &

(k) l.1. & t.t. ad SC. Maced. (l) l.22. de solut. l.30. de pact. l.25. C. eod. l.3. §.4. qvod qvisq; jur. (m) pr. I. de nupt. l.11. de stat. hom. l.2. 9.16. §.1. de rit. nupt. (n) Num. cap.3. l.2. §.1. de pollicit.

& cura constitui, aut aliàs, ad negotia tractanda contrahendaqve citra tutorum, curatorumve consensum, suâ voluntate non polleant (a). Item referres, ubi ipsi tutores vel curatores in alienandis prædiis minorum, pro voluntate sua procedere non possunt, citra authoritatem ac decretum magistratus (b). Et si qvi sunt casus similes, jure positivo passim notati: ubi citra aliorum authoritatis aut consensus accessionem, etiam aliàs sibi sufficientes personæ, certum qvendam obligationis nexum, suâ solius voluntate sibi parare vetantur.

(a) tit. de consensu & aut. tut. de curat. fur. dand. de minorib. &c. (b) t. de præd. min. nõ alien.

XIII. De accessorio autem sive completivo isthoc consensu, non est, qvod nunc opus sit multa addere; modò in conspectu versentur, & *species* ejusdem & *vis*. *Species*, (in qvas penè, juncto modo, *à tempore*, qvo collatus cum negotio, *ante*, *cum*, vel *post* illud prodit, distingvitur) sunt *jussus* seu mandatum, permissio itemqve *authoritas*, & *ratihabitio* (c). *Vis* tamen ejus potissimum duplex, videtur esse aut duplici considerari debere respectu; primo, qvatenus est, *negotium*, à parte principalis destinantis ob defectum potestatis alias infirmum, *consolidans*; & ita qvidem modò nunc consideratus is fuit. ubi adde, ejusdem virtutis, qvoad effectum hunc, esse species ejus omnes. nam qvod de ratihabitione in aliqvibus negotiis in dubium id vocari visum est (d), posteà, ubi *ratihabitio retrotrahi & confirmari ea qvæ ab initio subseqvuta sunt* (e) jussa est, bonâ ratione correctum existimes. Deinde verò & considerabitur hæc hujus adstipulatorii consensus vis, qvatenus *ipsum adstipulatorem* pro naturâ atqve modo negotii aut *obligat*, aut beat etiam. sive *contractus* illud negotium sit, sive *delictum*, sive etiam *dissolvendæ* cujusdam *obligationis* negotium: Pater qvi consensit in filii nuptias, non magis qvam filius illas retractabit. qvod jussu patris aut domini gestum contractumqve est, ejus nomine jura hos teneri volunt (f). qvi ratum habuit qvod pro se gestum est, obstringitur actione mandati, negotiorum gestorum (g). qvi actori jubet credi, æqvè ipse, ac alter obstringitur (h). Similiter in *maleficiis*: *Is damnum dare putatur, qvi jubet dare* (i); *dejicere & qvi mandat* (k); *vi dejecisse etiam is videtur, qvi mandavit vel jussit, ut aliqvis dejiceretur, parvi enim referre visum est, suis manibus qvis dejiciat, an verò per alium.*

(c) l. 60. 169. 162. §. 1. & 2. 189. 158. de R. J. (d) pr. I. de nupt. l. 11. de stat. hom. (e) l fin. C. ad SCt. Maced. c. 10. X. de R. I in 6. (f) l. 1. & 1. s. qvod juss. (g) l. 60. de R. I. l. 6. § 9. de neg. gest. (h) tit. de fidej. & mandat. (i) l. 169. de R. I. (k) l. 152. § 1. de R. I.

Qva-

(a) l.1. §.12. de vi & de vi armat. add. l.12. qvæ in fraud. cred. (b) l.52. §.23. l.36. pr. de furt. (c) per l.1. & 3. qvādo ex facto tutor. (d) per tit. qvod jussu. (e) l.14. de O & A. (f) l.169. de R.I. (g) l.4 de R.I. (h) per d. l. & l.20. de O. & A. (i) l.47. de R.I (k) §.6 I. mandat. l.2 & fin. ff. eod.

Qvare & si familia mea ex voluntate meâ dejecerit, ego videor dejecisse. (a). qvi furtum persvasit aut persvasione procuravit furti tenetur. (b). Ubi porrò notabile est, fieri posse, uti tam in contractus qvam in delicti genere, liberâ relicta personâ qvæ ipsa rem ore manuqve gerit, in ipsâ consentiente alterâ obligatio figatur, firmaqve hæreat. e.g. si tutor forte dolosè consensisset contrahenti pupillo, nec pupillus locupletior sit factus inde, tutor solus obligatus erit (c). ex contractu servi, ob jussum domini civilis actio in dominum poterit tantum institui (d), qvippe ipsi *servi ex contractibus civiliter non obligantur* (e). *Ita nulla ejus habetur culpa, cui parere necesse est* (f) *nec velle qvidem is creditur qvi obseqvitur imperio patris vel domini* (g). neqve verò adeò ex delictô qvovis leviori, jussu horum perpetratô, qvi id exeqvutus est, sed qvi hunc id exeqvi jussit, civiliter obligabitur conveniturqve (h). Præterea circa consensum, qvi qvasi mediatorius iis potissimum, qvibus alias consentire integrum, puta qvi in contractibus sponsorius, in delictis collaudans atqve hortatorius est, notare licet: eum, usqve dum verè sponsio aut persvasio est, simili modô ut principalis, obligatorium manere; ultrà verò non item; si nempe in speciem fortè puri consilii tantum incidat: unde regula in contractibus obtinet: *Consilii non fraudulenti nulla obligatio est* (i). Item (k): *Nemo ex consilio mandati obligatur, etiamsi non expediat ei cui dabatur*: additur ratio: *qvia liberum est cuiq; apud se explorare, an expediat sibi consilium.* In delictis autem & si qvod est dolosum consilium aliud, qvo fraudemur, id non qvidem planè obligatione eximitur, qvia enim in doli rationem incidit, pro modô, ut de dolô consvevit fieri, auctor ejus nomine obligabitur. *si dolus & calliditas intercessit, de dolô actio competit*, regula habet modo adducta; Attamen vel id qvoqve indulti, consilium dolosum pro perpetrando delicto datum obtinet, ut ordinaria ipsius delicti obligatione regulariter non perstringatur. *Certè* a t Imp.

(l) §.11. in f. I. de furt. (m) l. 180. de R.I.

(l) *qvi nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantum consilium dedit, atq; hortatus est ad furtum faciendum, non tenetur furti.* Postremò valorem accessorii consensus, in *negotio obligationis solutoriô* qvoqve comparere, pluribus à Consultis attendit r: Regulam res peperit: à parte consensus ejus cui solutio facienda (m), *qvod jussu alterius*

alterius solvitur, pro eo est, qvasi ipsi solutum esset. applicat hanc Paulus (*a*) *: Cum jussu meo, id qvod mihi debes, solvis creditori meo : & tu à me, & ego à creditore meo liberor.* Et contra à parte ejus, qvem decet solvere (*b*) : *Qvi mandat solvi, ipse videtur solvere.* Ex his fere, cum additione suâ, à nostris descripta pt. observari cõsentiens illa proæresis, proæreticusq; consensꝰ, qvoad formã in fonte ipsô suscipiendam, seu, prout Philosophus in descriptione spontanei loqvitur, qvatenus ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ *principium in ipso* consentiente est. Videndum nunc paulo distinctius, consensus ille talis *in qvid*, sive etiam qvatenus *ad rem* est directus. (*a*) l. 64. d. de solut. add. l. 19. eod. (*b*) l. 56. d. solut.

XIV. Qvælibet proæresis, sive spontanea deliberataqve appetitio, sive, ut nostri loqvuntur, consilium, animive destinatio, & cum hâc, qvi species hujus est, conventionalis consensus, ne in naturam impingat, inanis nesciã, necessariò porrecta est *in aliqvid rei*. Idq; in hoc, putà consensu, iusuper & particulari eà obtinet ratione qvod effectus, qvem is intendit, obligatio scil. non potest non esse producique *alicujus;* qvippe de definitione, h. e. essentiâ ejusdem est, esse *alicujus rei* solvendæ præstandæve. Hoc autem rei, si qvisqvam qvid sit disqvirat, reperiet, ipsum esse, ex conventionali obligatione *debitum decensq;*, sive id, qvod ex eâ fieri intendatur, debeat, possitqve; ut genere dicam, *factum circumstantiatum*, seu factum cum circumstantiis suis; prout id ut objectum juris obligationisqve ac potestatis supra (*c*) induximus atqve descripsimus. Sed videamus, qvæso, qvomodò hic iterum cum philosophô conspirent jureconsulti nostri. Ille, (*d*) suam, ad morales effectus, etiam in specie versatus constituendi obligatorii ligaminis, efficacem descripturus proæresin, ad *rem*, circa qvam illa occupata est, oculos reflectens, ipsam dictam proæresin sive illius essentiale genericum, *spontaneum* scil. in parte seu specie, sermocinationi huic magis aptâ, *scientia* videl. (plures enim circumlocutionis forte res visa fuit in specie *non coacti* describenda) describit, qvod sit cernentis τὰ καθ' ἕκαστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις *singula facti*, sive singularia in qvibus est seu consistit factum seu actio. negans juxtà, eandem verè plene atqve perfectè proæresin esse, si qvidem eorundem singularium aliqva intercedat ignorantia. τὰ ἕκαστα vero porro ab (*b*) lib. 1. c. 4. n. 3. (*d*) c. 1. lib. 3. Eth.

 eo de-

eo describuntur: τίς τε, καὶ τί, καὶ περὶ τί, ἢ ἐν τίνι πράττει. ἐνίοτε δὲ καὶ τίνι οἷον ὀργάνῳ. καὶ ἕνεκα τίνος. καὶ πῶς &c. h. e. *qvis, qvid, circa qvid, seu qva in re, qvò, puta instrumento, cujus rei causâ, qvomodò &c. agat.* Tum præterea, ab attendenda ignorantiâ facti, &, qvæ hujus sunt, singularium, distingvit; nec, ut invita dicantur, aut veniâ; ne obligent autorem, digna habeantur; mereri vult, qvæ sunt *καθ' ὅλου seu universalia;* Itemqve τὸ συμφέρον sive id qvod communiter est *utile*: ita Philosophus. JCtis vero nostris similiter nil familiarius est, qvam pro debitô effectu negotiis asserendo, *facti certiorem notitiam reqvirere, ignorantiam vero facti excludere:* qvò qvidem pertinent plurima ista paulò ante hôc capite longô ordine adducta eorum effata, partim expresse, partim virtute intentionis factum includentia. Et faciunt præterea loca complura alia Jurisprudentiæ romanæ, qvibus diserte, imò ex professo (a) hoc instituti. Periti habent, ut ostendant, qvid *facti scientia*, ad valorem negotiorum, tum aliorum, tum hujus, in qvô nunc potissimum occupati sumus, conventionalis scil. obligatorii, præstet; qvid *facti ignorantia* impediat. Et hoc qvidem faciunt, tum in genere, rem nomine facti diserte efferendo, tum per varias species τῶν ἐκάστων h. e. singularum facti circumstantiarum eandē adnotando, sermocinatione ita plurimùm directâ, ut ubi facti, ejusve circumstantiarum, pro effectu obligationis, (ex delicto, ex dispositione testamentaria, ex conventione nascituræ) scientiam, per naturæ justitiam cernunt reqviri; ignorantiam sive errorem facti, hujusve aut illius ejusdem circumstantiæ, impedire declarent, qvo minus id negotium eô effectu valeat, h. e. talem ac talem obligandi facultatisve concedendæ vim habeat. Dicunt id de facto in universum toties variâ figurâ repetitâ juris regulâ (b): *Ignorantiam facti non nocere: ignorantiam facti prodesse: errorem facti excusare: &c. non nocere:* intellige, ut præjudicium aliqvod, damnum, onus, obligationem ex re qvapiam peractâ qvis sentiat, aut expectare habeat: *prodesse, excusare*, ut à talibus liber persistat. Ubi qvidem, si obiter in memoriam revocentur, qvæ supra (c), de obligatione, qvà faciendi & non faciendive, patiendi ea est, dicta sunt, facile apparebit, hæc & hujusmodi omnia, in capite eò spectare, ut dicant, ob justum in facto

(a) t. c. tit. ff. & C. de jur. & fact. ignor. & pass.

(b) l. 8. 9. & t. t. ff. l. 6. 7. & t. t. C. de jur. & fact. ignor. c. 13. de R. I. in 6. & passim. (c) lib. 2. c. 1. n. 6.

factô ejusqve notabili aliqvâ parte sive circumstantiâ errorem, ab obligatione, qvam, si ejusdem rei notitia adfuisset, actus intulisset, liberum qvem manere, nec alteri proinde jus aut potestatem aliqvam contra agentem tribui; & per conseqvens omne, qvod prius alicui fuerat, jus, qvantum ad hoc factû, tanqvam firmamento suô destitutum, integrum servari. rationem autem qvâ hæc erroris facti indulgentia, convenientiæ naturalis sit, promit JCtus Neratius: qvod *facti interpretatio plerumq; etiam prudentissimos fallat*: puta qvod hæc humanæ naturæ impotentia, hic terminus sit, posse perqvam multa in rebus rerumqve singularibus ignorari. (a) l. 2. d. t. & Fign.

XV. In ipsis autem facti *singularibus* seu circumstantiis, cum varii sunt generis, & differentiæ multiplicis, multum desudant juris interpretes, qvid error in his valeat, cuinam indulgendum, cui non, qvinam committentem immunem ab onere obligationis præstet, qvi id non faciat. Ut reliqva omittam, eorum industria vel ex duobus his, qvæ & imprimis illi attendunt, capitibus, spectabilis est, dum sedulò distingvunt observantqve, primò: num qvis *error* intercedat, qvi *cum humano pugnet officiô, qvive humanâ & industriâ & potentiâ facilè potuerit, superari*, an vero non ita fuerit is comparatus: Deinde, *cujasnam conditionis sint singula circumstantiarum*, majusne an minus momentum in re faciant, ut dicam breviter, æstimant hunc errorem ex *neglectu officii*, & ipsa *circumstantiarum conditione.* Prioris intuitu, sedulò volunt animadverti, utrum *supina & crassa*, ut vocant, *ignorantia* intercesserit, an verò qvæ non talis mereatur dici, & in hoc peculiariter, utrum *nostri an alieni facti* ignorantia sit &c. *Nec supina ignorantia ferenda est, factum ignorantis*, fatur Ulpianus (*b*), *ut nec scrupulosa inqvisitio exigenda. Scientia enim hoc modo æstimanda est, ut neq; negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, neq; delatoria curiositas exigatur.* & Paulus (*c*) *Sed facti ignorantia ita demum cuiq; non nocet, si non ei summa negligentiæ objiciatur. qvid enim si omnes in civitate sciant, qvod ille solus ignorat? & rectè Labeo definit, scientiam neq; negligentissimi neq; curiosissimi hominis accipiendam: verùm ejus qvi eam rem diligenter inqvirendo notam habere possit.* Pomponius, Cassium retulisse refert (*d*); Sabinum existimasse: *ignorantiam accipiendam non deperditi & nimi-*

(b) l. 6. de jur. & fact. ignor.
(c) l. 9. §. 2. d. t.
(d) l. 3. §. 1. eod

um securi hominis. Si qvia (a) fortè publicè & solenniter denunciatum, publicè proscriptum est. De hac præter officium ignorantiâ elegans exemplare effatum est Pontificis illud (b): *Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit.* Et pertinet ad hanc inexcusabilis ac noxiæ ignorantiæ speciem, omninò illa toties legibus nostris hoc fine decantata *ignorantia juris* (c): qvippe qvod jus naturale, publicum, ignorare & præter officium hominis sit, & talis ignorantia sit qvæ potētiæ nostræ sit superabilis, maximè in iis, qvæ tum naturalia tum civilia non nimis in abstruso sunt sita; eoqve vel propriâ vel saltem alienâ ope, veluti datâ copiâ sapientum expiscari possint (d). Namqve alioqvin, ob similem, qvæ in facto inintercedere potest, impotentiam, etiam hic qvandoqve indulgendum esse, sapientes agnoscunt (e). Aristoteles hoc caput inexcusabilis, ignorantiæ, ob culpabilem negligentiam, tum juris tum facti, comprehendit, ut dictum est, sub nomine τῶν συμφέρων. Itemqve *universalium:* ita qvidem, ut ipse etiam ignorantiæ juris seu justi, tanqvam cujus scientia qvandoqve hominum facultati in difficillimis, sit nonnihil indulgendum non neget, arguens (f) vel ipsum omne naturale justum nosse, ob plurimas attendendas circumstantias non adeò sapientibus, nedum vulgò hominum facilè esse. Et de civili, qvô hodiè utimur jure, idem fatetur Bachovius (g), id non æqve nunc, ut olim ex publicis tabulis, sed ex prudentum disputationibus, adde ex peregrina lingvâ, cognitum esse, nec adeò tam rigidè ejus posse exigi scientiam. qvibus certè etiam Jurisprudentia vetus fuit adstipulata, qvando & moderatam solummodò industriam pro utenda hujus scientia reqvirebat, & media ad eam suggerebat; de cætero, ubi vel illa fuisset adhibita, vel hæc non suppetiissent, excusationem ignorantiæ etiam juris admissura, per ante adducta; insuper multum eidem indulgens, ubi vel ipsa personæ inculpata conditio facultatem sciendi, ei minuebat, v.g. impuberibus, minoribus, fœminis, rusticis, militibus (h).

XVI. Porrò verò, in hac excusabilis vel inexcusabilis ignorantiæ figura, Philosophus (i) notat, non omnia circūstantiarū esse æqve ignorabilia, dum e.c. qvi agit, ut se ipsum, nisi insaniat, ignoret, impossibile sit. Jurisperiti nostri, hoc plurimum declarant

(a) per c. 1. X. de postul. prælat. c. 1. X. qvi matrim. acc. poss. l. 11. §. 2. & 3. de instit. act. (b) c. 10. X. de R. I add. c. 20. de elect. (c) l. 1. 2. 3. 4. 7. 9. & t. t. ff. l. 2. 3. 10. pen. & t. t. C. de jur. & fact. ign. & pass. (d) l. 2. l. 9. § 3. d. jur. & fact. (e) l. 9. § 3. de ju. & fact. ig. (f) lib. 5. Eth. c. 9. (g) not. ad W. t. d. jur. & fact. ignor. in fin. (h) l. f. d. jur. & fact. ignor. l. 9. pr. eod. l. 11. & ult C. eod. l. pē. C. de minorib. l. pen. pr. ff. de jur. & fact. ignor. l. 9. § 1. ff. eod. l. 1. C. eod. l. 7. § 4. de interd. l. 2. § 1. si qvis in jus voc.

(i) d. c. 1. lib. 3. Eth.

igno-

ignorantiâ proprii facti, qvâ appellant, cui ferè opponunt facti alieni: Hanc tolerabilē ac veniâ dignam, putantes, illam non item: *Plurimum interest* ait Pomponius (*a*) *utrum qvis de alterius causa & factô non sciet. an de jure suo ignorat.* ubi qvidem, qvod de juro suō dicit facile intelligitur, ita accipiendum esse, ut simul proprium factum includat: idqve per oppositionem facti alieni & hic & alibi sæpius usurpatam, & per plurima pro hoc demonstrandô, adducta exempla, facile colligitur; disertus est JCtus Neratius (*b*): *In alieni facti ignorantia errorem esse tolerabilem:* arguens ibidem ex hoc principiô, bonæ fidei possessorem usucapionis effectu non privari, ob ignorantiam facti servi aut antecessoris, qvô forte hi rem non emerint. Unde porrò qvasi communiter recepta regula (*c*) juris: *Qvi in alterius locum succedunt, justam habent, causam ignorantiæ. v. g. an id qvod peteretur, deberetur:* qvam paululum mutatis verbis Canonista repetens (*d*) ita effert: *Cum qvis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.* Inde, heres, si rem apud testatorem depositam vel commodatam distraxit, ignarus depositam vel commodatam fuisse, de re non tenetur (*e*); sed modò, ne ex alterius detrimento lucrum sentiat, vel pretium acceptum, vel actionem ad id domino rei refundit, ceditqve. Si prædii hereditarii venditor tributum ignorans, id non indicavit, ejus nomine actione ex emptô non convenitur (*f*). Hinc fidejussores qvoqve, non minus qvam hæredes, justam ignorantiæ causam dicuntur posse allegare (*g*); puta retinebunt integram mandati actionem adversus debitorem, si fortè pecuniam pro eô solverunt, qvam is jam tum solverit, aut si pacto de non petendo debitum extinxerit, nec hoc factum à sese fidejussoribus indicaverit (*h*). verum satis hic exemplorum. Notari potest obiter, recenseri hic, à JCtis casus, qvibus etiam connexionem aliqvam persona, de cujus excusandâ alieni facti ignorantiâ qværitur, cum persona qvæ fecit habeat; unde adeò idem magis dicendum, si ne isthæc qvidem, cæteris paribus, connexio interveniat.

(*a*) *l. 3. pr. de jur. & fact. ignor.*

(*b*) *l. fin. in f. pro socio.*

(*c*) *l. 42. d. R. I.*

(*d*) *c. 14. de R. I. in 6.*

(*e*) *l. 1. §. fin. cum l. seq. de posit.*

(*f*) *l. 21. § 1. de act. empt.* (*g*) *d. l. 42. de R. I.*

(*h*) *l. 29. pr. mandati.*

XVII. In conditionem porrò singularum facti circumstantiarum, qvid momenti error circa easdem, toti alicui negotio imprimis, conferat, labefactetne illud, an validum relinqvat, plurimum

mûm qvoqve Jurisperiti animadvertunt, Principes Philosophorū etiam hac in re præeuntes. Idqve vel præcipuè tum qvidem agunt, ubi disqvirere instituunt, an ex consensuali aliâve cum consiliô dispositione obligatio enascatur vel non enascatur. Et qvoniam igitur maximum momentum in contractu, similibusqve ex animi destinatione pendentibus negotiis, habere deprehendunt, scire atqve intelligere, qvodnam sit rei, *individuale corpus* qvæ *materia*, qvæ ejusdem, qvam forte destinans præcipuè intendit, signalata conditio seu *qvalitas*, qvæ *persona cui* se obstringere qvisqvam properat: in hisce atqve hujusmodi ferè illi concludunt, errorem vitiare negotium, nec pati ut obligatio inde adeò gignatur. Uti è contra in speciebus aliis, in qvibus minus præjudicii aut minor intentionis, opinionis destinationisqve frustratio occurrit, errori id ita promiscuè non indulgent; puta ubi is fortè est in *causa traditionis*, in *conditione persona à qva* qvid accipitur, in *parte materia*, in rei qvadam *accidentali qvalitate*, in nudô rei *nomine*, ac similibus.

XVIII. Atqve ita qvidem, ut paucis ex ipsis JCtis rem ostendam, in priori genere, illi ponunt primùm omnium ipsum *corpus*, *seu errorem in re vel corpore*, ita enim illi penè appellant, qvod logicis subjectum individuale sive individuum aliqvod corporeum est. idqve tum qvoad obligationem ex destinatione μονοπλεύρη, e.c. testamentariâ; tum ex eâ, qvæ ab initio mutua reqviritur esse, putà conspirans hac aliqva cum destinatione, qvæ in idem à parte altera qvoq; intenditur, aut si mavis, qvæ est duorum pluriumve consensus seu placitum in idem aliqvid. In illo casu inter alios, disertus Ulpianus (*a*), dum negatâ isthac vi errori vocabuli, qvo fundus Sempronius dictus fuerit, pro Gornêlianô, subjungit: *Sed si in corpore erravit* (testator) *non debebitur* (ab herede qvisqvam fundus.) Item (*b*): *& si in re qvis erraverit; (utputa dum vult lancem relinqvere, vestem relinqvit) neutrum debebit. sed si non in corpore erravit sed in parte &c.* In hoc casu: ducente iterum chorô Ulpianô (*c*), ita illi habent: *In venditionibus & emptionibus consensum debere intercedere, palàm est. caterum sive in ipsâ emptione dissentient, sive in pretiô, sive in qvô aliô: emptio imperfecta est:* Seqvitur casus noster: *Si igitur ego me fundum emere putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronia-*

(*a*) l. 4. de legat. 1.
(*b*) l. 9. §. 1. de heredib. inst.
(*c*) l. 9. de contrah. emp.

num

num putasti: qvia in corpore dissensimus, emptio nulla est. Idem est, si ego me Stichum, tu Pamphilum absentem vendere putasti. nam cum corpore dissentiatur, apparet nullam esse emptionem. In casu complacitandæ missionis in possessionem, ejusdem est (a): *Si me in vacuam possessionem fundi Corneliani miseris, ego putarem me in fundum Sempronianum missum; & in Cornelianum iero: non acqviram possessionem: nisi fortè in nomine tantum erraverimus, in corpore consenserimus.* qvod qvidem ibidem eousqve extendit, ut ne, occupatâ qvidem re ab alterô, hoc errore interveniente, alter *possessionem* amittat: Et Paulus (b) eò, ut aliô corpore emptô, aliô per ignorantiam traditô, usucapio non procedat. Clarè rem docet in contractu stipulationis Imp. in Institutis (c) verbis his: *si de aliâ re stipulator senserit, de aliâ promissor: perinde nulla contrahitur obligatio: -- veluti, si hominem Stichum à te qvis stipulatus fuerit, tu de Pamphilo senseris, qvem Stichum vocari credideris.* Conspirant in eodem contractus genere, JCti (d), validum eundem pronunciantes, *ubi in corpus consensum est*, etsi in materiâ aut nomine error intervenerit. Ita illi de errore in *corpore rei*: planè sui similes in errore circa corpus seu individuum *personæ*; Ita *si judex alius pro aliô per errorem fuerit aditus*, si Ulpiano credimus (e), *nihil valebit, qvod actum est, nec ferendus est, qvi dicat, consensisse eos in præsidem* [alii legunt *præsentem*] *cum, ut Julianus scribit, non consentiant, qvi errant &c.* ac iterum si eidem (f); *Qvoties volens alium heredem scribere, alium scripserit, in corpore hominis errans --, placet --: neqꝫ eum heredem esse, qvi scriptus est, qvoniam voluntate deficitur: neqꝫ eum qvem voluit, qvoniam scriptus non est*, id qvod Gordianus Imp. (g) ad eam protendit qvalitatem personæ, cujus solius qvasi intuitu qvis qvid ei destinet. *Si pater tuus*, cuidam Ulpio is respondet; *eum qvasi filium suum, heredem instituit, qvem falsâ opinione suum esse credebat, non instituturus, si alienum nosset: isqꝫ postea subditus esse ostensus est: auferendam ei successionem divorum Severi & Antonini placitis continetur.* de filiô supposititiô interpretatur Hermogenianus (h). Huc pertinet & statutum illud v. g. & ratio, qvod incertis personis nihil potuerit relinqvi in testamento, qvoniam certum esse debet testantis consilium (i). Qvod autem non accidit dispositioni testamentariæ, eve, qvæ ex destinatione unius pen-

(a) l. 34. de acqvir. vel amit. possess.

(b) l. 2. §. 6. pro emptor.

(c) §. 22. de inutil. stip.

(d) l. 22. & 32. de VO.

(e) l. 15. de Jurisdict. add. l. 1. de judic.

(f) l. 9 pr. de hered. instit.

(g) l. 4. C. eod.

(h) l. 46. d. jur fisci.

(i) §. 25. & seq. I. de legat. Ulp. frag. t. 2. Paul. lib. 3 sentent.

pendet ob errorem ac incertitudinem personæ, id multò min9 eveniet, ubi utrinqve debet fieri animorum, eaq; mutuo cognita conspiratio prout in contractibus sive conventionibus usu venit.

XIX. Circa errorem in *in specie materia* JCti ita pene se explicant, ut, siqvidem in totum erratum sit, is a. in cujus præjudicium is error vergit; rem istam etiā materiā aliam qvā putaverat, retinere aut exigere velit, & hactenus contractum & obligationem eam dandi valere cupiat, dummodo consensus in corpore nexui substratus sit, ille id effectum dare possit. *Si id qvod aurum putabam, cum æs esset, stipulatus de te fuero: teneberis mihi hujus æris nomine, qvoniam in corpore consenserimus.* Pauli est responsum (*a*). qvod verò & eò protelat Marcianus (*b*) in contractu emptionis, ut emptor etiam ad ipsam speciem à venditore dictam præstandam, agere possit; & venditor, non obstante vel suô vel emptoris hoc errore, hujus nomine teneatur: *Si vas aurichalcum* ait ille, *pro aurò vendidisset ignorans: tenetur ut aurum qvod vendidit præstet.* imò *promissorem* istius rei, veluti *venditorem; teneri debere* volunt etiam ad id *qvanti* alterius *interest* (*c*). *non esse deceptum; etsi venditor qvoq; nesciet; veluti si mensas qvasi citreas emat, qvæ non sunt. & si dolum* venditor *commiserit, de dolo* (*d*) *conveniri eum qvoq; posse* Paulus autumat. Sin autem eâdem specie erroris in tota materia, idem gravatus teneri contractum nolit, eô casu pronunciare, videtur putandus esse, Ulpianus (*e*): *nullam esse venditionem, qvoties in materia erratum est, puta si æs pro auro, plumbum pro argento, vinum pro aceto* qvod nō vinū fuit, *venditum sit.* qvam qvidem interpretationem juvat Julianus (*f*) qvi qvando proposuerat: *Mensam argentô coöpertam mihi ignoranti pro solida vendidisti imprudens, nulla est emptio.* addit: *pecuniaq; eô nomine data condicetur*; ubi qvidem apparet non obscurè, eum hanc nullitatem eò declarare, qvod frustratus lubens facultatem condicendi ejus, qvod contractus nomine dedit, habeat, ipsumqve adeo contractum, qvâ effectum, qvô is se possit constringere, ut nullum relinqvendi. Qvin confirmant JCti cæteri eandem opinionē, dum in casu, qvo hic contractum nullum pronunciat, (erroris materiæ, sc.) excipiunt casum, ubi non in solidum, erratum est, & eô, qvod eundem errantem contractum validum pronunciant. veluti cum Ul-

(*a*) l 22. d. VS.
(*b*) l. 45. de cōtrahen. empt.
(*c*) l. 21. §. 2. de act. empt.
(*d*) d. l. 22. de V. S.
(*e*) l. 9. §. 2. l. 14 de contrah. empt.
(*f*) l. 41. in fin. de contrah. empt.

Ulpianus (*a*) *venditionem* dicit *constare esse: si coheredes viriolam, qvæ aurea dicebatur, pretiô exqvisitô uni heredum vendidissent, eaq; inventa esset magnâ ex parte ænea:* venditionem, inqvam dicit constare, esse, *qvia auri aliqvid habuit, nam* pergit ille, *si inauratum aliqvid sit, licet ego aureum putem, valet venditio.* ut adeò textus, qvi ob errorem in materiâ solidâ, nullum dicunt contractum, cum illis, qvi frustrato rei exigendi facultatem relinqvunt, etiam hanc videantur posse conciliationem admittere, qvâ & valor & nullitas gravati arbitrio committatur, eoqve respectu & hæc dicatur; & ille, si is ita eligat non negetur: qvorsum etiam faciunt disputationes JCtorum aliæ (*b*). relictum aliis sensu suum interea hîc velim liberum. Qvod autem ipsum dissensum attinet Ulpiani & Juliani (*c*), qvò ad errorem in materia partialem, cui ille contractus annullationem non tribuit, hic contra fecit. difficultati, dubiæqve subtilitati materiæ, potius imputarem, qvam ut aliæ conciliationi hic cum interpretibus multum desudare cuperem. Et ferè in toto genere partialis in materia erroris, si de æqvo rogarer, suppositô, qvod utrinq; malitia abfuerit, acqviescerem decisioni Neratii, adductæ à Paulo (*d*), in casu domus, ex parte insciis contrahentibus combustæ, venditæ; volentis: *Ut siqvidem amplior domus pars exusta sit, non compellatur emptor perficere emptionem: sed etiam qvod forte solutum ab eo sit repetat, sin verò vel dimidia pars, vel minor qvam dimidia exusta fuerit: tum coarctandus sit emptor, venditionem adimplere, æstimatione viri boni arbitratu habitâ, ut qvod ex pretiô, propter incendium decrescere fuerit inventum, ab hujus præstatione liberetur.*

(*a*) *l. 14. de contrah. empt.*

(*a*) *l. 50. de solut. l. 1. §. 2. de pignor act.*

(*c*) *in l. 14. & 41. de contrah. empt.*

(*d*) *l. 57. eod.*

XX. Ut in casu opinionis erroneæ, circa speciem solidæ partisqve materiæ, sese expediunt nostri, eôdem modô id penè qvoqve præstant, in *qvalitate rei,* sub destinationem obligatoriam cadentis. scil. & ipsam ex materia specificam rei diversitatem, qvalitatis nomine indigitare consvevere, aut utrumqve, materiæ scil. & qvalitatis nomen qvasi componere (*e*). Namqve vero qvalitatem rei observant esse, vel qvæ variata multò maximam in re diversitatem affert, & qvæ, tanqvam potissimum, in intentione versatur ejus, qvi illam rem accepturus, & ejus nomine ad aliud præstandum obligandus est; vel qvæ non ita sive in re sive in ejusdem intentione

(*e*) *d. l. 21. §. 2. de act. empt. l. 14. de contrah. empt.*

est. Propter errorem in illo genere, infirmam, & obligationis stringentisqve effectus vacantem, pronunciant dictam animi destinationem, in hoc non item. Elegans est utriusqve generis qvædam collatio ab Ulpiano instituta (*a*), per conditiones mancipii empti, qvâ vel in sexu, vel tantum in qvalitate virginali erratum est; ubi hanc, ut levioris momenti, emptionem non infirmare: illam vero ut graviorem infirmare eam autumat: *Qvod si* inqvit, *ego me virginem emere putarem. cum esset jam mulier, emptio valebit: in sexu enim non est erratum. cæterum si ego mulierem venderem, tu puerum emere existimasti: qvia in sexu error est: nulla emptio, nulla venditio est.* Nec sibi idem JCtus obloqvitur (*b*) qvando in illa specie, emptori asserit, *ex empto actionem competere ad resolvendam emptionem: & pretio restituto, ut mulier reddatur.* scil. ita arguit, ex circumstantia alia, qvâ nempe *sciens, errare emptorem venditor passus est:* alioqvin confirmans prius, dum *redhibitionem qvidem ex hac causa*, puta, *si qvis virginem se emere putasset, cum mulier venisset, non esse* existimat. Neqve pro adversante haberi debet, si qvis in casu matrimonii, ob vitii hujus ignorantiam, diversum statuat, ad imitationem & argumentó legis divinæ Mosaicæ & Christi (*c*) etiam disruptionẽ matrimonii, ob vitium tum ante tum post matrimoniale vinculum illatum, indulgens; utpote in hac vitiositate, etiam insuper ratio delicti alterius contrahentis urget, & error prætcrea alterius in re capitalis est, & frustrationis inæstimabilis. ut adeò nõ imeritò canones (*d*) & canonistas eorumq; sectatores diversum statuentes, hujus nomine redargui existimes ab aliis (*e*). alia exempla, rei accidentalis corruptelæ ignoratæ, nec contractus negotium adeò perimentis, sunt, ubi vinum venit, qvod ignaratur acuisse (*f*); ubi aurum deterius fuerit qvam emptor existimavit (*g*). Similis autem modò propositæ compositionis ratio est in conditione rei, qvâ donationem ejus intendenti illa *sua vel aliena* est; intellige specie donationis, qvâ alienum etiam donari potest, legatô scil. ubi, qvia magis per qvalitatem, qvâ sua, qvam qva aliena est, res inclinationi liberali disponentis submittitur, *si qvis rem suam qvasi alienam legaverit, valet legatum* (*h*); sin vero alienam, ignorans alienam esse, non item (*i*). nisi forte intensio affectionis erga personam donatariam errorem eluat:

(*a*) l. 11 de cõtrah. empt.
(*b*) l. 11. §. 5. de act. empt.
(*c*) Deut. 22, 20. Matth. 19. 9.
(*d*) c. 1. c. 29. q. 1 in fin. c. qvẽadmodũ X. de jurejur.
(*e*) veluti Bachov. ad W. n. ult. de nupt. ad Treutl. th. 6. lit. c. ibid.
(*f*) l 9. §. 2. de cõtrah. empt.
(*g*) l. 10. d. t.
(*h*) §. 11. I. de legat.
(*i*) §. 4. eod.

reluat (a). Par est qvæ instituitur collatio, in casu, ubi qvis contrahit, emptum accipiens à domino, ignorans eum dominum esse; & negotium sive obligatio eò magis valebit (b). Nec vero etiam, si qvisqvam pecuniam ab aliqvo tanqvam debitore alterius, qvam cujus putaverat, accepit, error hic sive personæ sive pecuniæ qvalitatis, qvicqvam facit, qvo minus principali accipiens de pecunia restituenda teneatur, etsi tanqvam ex contractu crediti non adeò qveat conveniri (c). Cæterum qvod de totali materiæ errore observatum est, per eum, pro arbitriô illam recepturi aut recipientis, stare aut cadere contractum; idem etiam in momentoso qvalitatis errore teneri accipiendum erit (d). Item utrobiqve, de præstatione rei, ejus nomine obligatum teneri, si qvidē & ipse obligatus in errore fuit; sin in dolo, etiam de damno, qvod ex eo alteri contigit (e).

XXI. Præter hæc, aliæ porrò plures, ut ante monitum, à JCtis attenduntur circumstantiarum species in qvibus error, interveniens, reliqvis interea rectè se habentibus, negotii valorem non turbat adeò. veluti error qvi est *denominationis*, *causæ traditionis*, & similium. De errore *denominationis* notare est, eum ferè occurrere, vel in ipsô rei primariô nomine, vel in circumscriptivâ qvadam cognominatione. primarium nomen est, vel proprium, idqve tum individui, tum qvanti; vel specificum. De erronea rei descriptione, seu *falsa demonstratione*, ut ferè leges appellant, putà si dicatur Stichus servus emptus, qvi est donatus, dicatur frater, soror, nepos, qvi non sunt, cōmuniter placet (f), eam, actum regulariter non vitiare; non perimere legatum, non legatario, non fideicommissario, nec hæredi &c. nocere. qvo etiam referas *falsæ causæ*, qvam vocant, *adjectionem*, qvæ qvidem non ut finis, seu ut conditio, sed ut impulsiva facti præteriti existens, re ipsâ modum qvasi alicujus demonstrationis habet (g). De *nomine rei proprio* Ulpiani est (h) in specie contractus: *Si in nomine dissentiamus, verum de corpore constat: nulla dubitatio est, qvin valeat emptio & venditio, nihil enim facit error nominis cum de corpore constat.* Item illud (i): *Si in nomine servi, qvem stipularemur dari, erratum fuisset, cum de corpore constitisset, placet stipulationem valere.* Item ejusdē (k) in specie acqvirendæ possessionis: *Si me in vacuam possessionem fundi Corneliani miseris, ego putarem, me in fundum Sempronianum missum, & in Cornelia-*

(a) per l. 10. C. d. legat. l. 6. C. de fideicom. (b) l. 9. §. 4 de jur. & fact. ignor. (c) l. 32. de reb. cred.

(d) per d. l. 11. §. 5. d. cōtrah. empt. (e) per l. 45. de contr. empt. (f) §. 30. I. de legat. l. 17. 33. 34. 40. §. 1. de condit. & demonst. l. 75. §. 1. de leg. 1 l. 28 de reb. dub. l. 2. ult. & t. t. C. de fals. caus. adj. (g) vid. § 31. I. de leg. l. 17. §. 2. de cōdit. & demō. tit. C. de fals. caus. adj. (h) l. 9. §. 1. de cōtrah. empt. (i) l. 32. de V. O. (k) l. 34. de acqvir. vel amit poss.

num iero, non acqviram possessionem: nisi forte in nomine tantum erraverimus. In negotio testamentario Imp. Gordianus rescribit (*a*): *Si in nomine, vel pronomine, seu cognomine, seu agnomine testator erraverit, nec tamen, de qvo senserit incertum sit: error hujusmodi nihil officit veritati.* exempla, simili verborum tenore Justinianus in specie *personarum* subjungit, *heredis & legatarii* (*b*). & Ulp. est in specie *rerum*: (*c*) *si qvis in fundi vocabulo erravit, & Cornelianum pro Semproniano nominavit: debebitur Sempronianus.* Similem statuunt rationem erroris in *denominata qvantitate*; putà si qvadrans pro semisse, semissis pro qvadrante, centum pro ducentis &c. sint scripta, voluntatis potius, si de ea aliunde constet, rationem habendam putantes qvam verborum (*d*). Qvod tamen nomina generis seu universalia specifica attinet, utut reperti sint, qvi etiam hic, neglectô errore, qvovis modô ad voluntatem putarunt descendendum (*e*); eò tamen in jure civili res evasit, ut id non temerè admittatur; qvin dispositio eâ aberratione laborans, pro neglectâ potius habeatur; tanqvam cum usu populi depugnans. qvò pertinent hæc Ulpiani (*f*): *Si in re qvis erraverit: (utputa dum vult Lancem relinqvere, vestem leget) neutrum debebit.* & iterum (*g*): *Qvod si qvis, cum vellet vestem legare, supellectilem adscripsit, dum putat supellectilis appellatione vestem contineri: Pomponius scripsit, vestem non deberi. qvemadmodum si qvis putet, auri appellatione electrum vel aurichalcum contineri, vel (qvod est stultius) vestis appellatione etiam argentum contineri. Rerum enim vocabula immutabilia sunt, hominum mutabilia.* Elegantissima est dissertatio Celsi super hanc rem, in l. 7. ff. de suppellect. legata, contra Tuberonem, Servio tandem album calculum porrigentis, pro ea sententiâ, cui denominationes rerum extra genus aut speciem (verba enim hæc logica diserte hic occurrunt) factas, religio est recipere.

(*a*) *l. 4. C. de testam.*
(*b*) *§. 29. I. de legat. add. l. 8 §. 2. de bon. possess. contr. tab.* (*c*) *l. 4. de legat. 1.*
(*d*) *l. 9. §. 2. & seqq. de heredib. instit.* (*e*) *l. 7. de suppellect. legat.* (*f*) *l. 9. §. 1. de hered. inst.*
(*g*) *l. 4. de legat. 1.*

XXII. Porrò in *causâ* negotii erroneâ, putem distinctionem debere attendi: Utrum illa sit distrahendæ an constringendæ obligationis, seu, qvod idem est, solvendi aut contrahendi debiti: Si distrahendæ obligationis solvendiqve debiti est frustrata intentio, neqve verò re ipsâ vel obligatio vel debitum subest; manifesti utiqve juris & æqvitatis est, annulari id negotium debere, aut retrahi;

siqvis

siqvidem per naturam rei potest, puta si res aliqva qvasi in solutionem obligationis ac debiti est præstita, illa jure meritòqve repetitur, vel ipsa, si extat, vel tantundem: id qvod æqvitatis jurisqve naturalis & civilis esse pluribus justi periti agnoscunt. Effata sunt Pomponii: *Qvod indebitum per errorem solvitur at ipsum aut tantundem repetitur* (a). *Nam hoc natura æqvum est; neminem cum alterius detrimentô fieri locupletiorem* (b). It. *Hæc condictio* (sic enim appellari repetitionem hanc obtinuit) *ex bono & æqvo introducta* (c). Ulpiani (d): *si qvis indebitum ignorans solvit, per hanc actionē condicere potest*. Pauli (e) *Indebiti soluti condictio naturalis est*, & plura alia; qvibus etiam eò æqvitatem hanc agnoscunt intelligendam, ut si ad solvendum indebitum sese obligaverit aliqvis, obligatio hæc non teneat; aut etiam, in qvantum vel speciem habeat, qvasi teneret, ab altera parte acceptilatione aut aliô modô debeat perimi (f). Sed hæc ita qvidem si simpliciter in causâ debiti erratū sit, opinione, qvę putatum fuit, debitum qvid ex aliqva causâ esse, qvod plane vel naturæ vel civili jure, aut ex *nullâ* esset, aut ex *prorsus invalidâ*. qvod posterius etiam Papiniano exprimitur (g) dicenti: *Ex his omnibus causis qvæ jure non valuerunt, vel non habuerunt effectum, secuta per errorem solutione, condictioni locus erit*. v. g. pupilli ex suo contractu, mulieris ex intercessione suâ (h). Cæterum aliter res habet, ubi vel in valore, vel in specie tantum causæ error, aliqvô jure interim verè debiti, traditionem seu exsolutionem intercesserit. In *valore*, veluti si qvis putaret, civiliter exigi à se posse, qvod servo in servitute, qvod cuivis alteri nudô pactô promiserit, qvod pœnæ fortè homine se sentit meritum (i). ubi qvidem cessat repetitio: nec respicitur, qvicqvid erroris destinatio solventis, circa valorem causæ hujusmodi passa fuerit. Similis est ratio in errore circa *speciem* causæ obligatoriæ: *Cum in corpus qvidem qvod traditur consentiamus, in causis vero dissentiamus: non animadvertere* [se dicit Julianus (k)] *cur inefficax sit traditio. Veluti si ego credam me ex testamento tibi obligatum esse, ut fundum tradam, tu existimes ex stipulatu tibi eum deberi.* Qvod etiam eò interpretantur, ut si qvæ exsolutio fiat ex putativâ civili, retentio ex pura naturali qveat obtinere. referente Ulpiano (l): *Libertus cum se putaret operas patrono debere, solvit, condicere*

(a) l. 7. de cōdict. indeb. (b) l. 14. eod. (c) l. 6. C. eod. (d) l. 1. eod. (e) l. 15. eod.

(f) l. 7. de dol. mal. & met. caus. except.

(g) l. 54. d. cōdict. indeb. (h) l. 40. d. cōdict. indeb. & text. pass.

(i) per l. 7. §. 4. pact. l. 64. 42. de condict. indeb. (k) l. 36. de acqvi. rer. dom.

(l) l. 32. eod.

tur. hic, in verbis: *nec impedimento esse, qvod circa causam dandi atq; accipiendi dissenserimus &c.* ibi, in his: *cum aliâ opinione acceperit.* Ego, si integrum id esset, in re definitu difficili palpitationē peritorum agnoscerem, & si liceret, ut Julianum mente servarem integrum, ante verba ista: *magisq; nummos accipientis non fieri*; vel etiā ante iste superius: *sed an mutua sit &c.* ac ipsum crederem subsistere loqvi; seqventia vero esse Ulpiani, aliam forte opinionem hîc foventis, & ipsa tamen qvoq; manca relata: utpote cum ad verba, *nummos qvasi mutuò accipientis non fieri* minus congrua videri possit adjecta hæc ratio, *cum alia opinione acceperit*; qvippe qvi credit se mutuò qvid accipere, non poterit dici aliâ opinione accipere qvam ipsâ eâ, qvam opinatur; & deinde verò etiam mutuum eâ opinione maximè solemus accipere, ut nostra accipientium illa fiat; qvippe hæc natura prorsus mutui ac intentio mutuantium est, ut ex meo tuum, ut res dantis accipientis fiat *(a)*. dico igitur, non qvadrat dicta hæc ratio ad id, cui ratio ponitur, nisi vel *aliam illam opinionem* de opinione dare intendentis accipias; vel *τὸ accipientis non fieri*, de eô, qvod irrevocabiliter est, accipias: & utrobiq; tum sensus videri possit longius petitus. Cæterùm infelicem consarrinationem hujus loci, etiam seqventia arguunt. ut enim cætera taceam, non temerè perspexeris, qvomodo illud *qvare* ad omnia vel ad postrema præcedentium sese referat, aut exinde id qvod seqvitur arguat: Nisi fallor hallucinatio pellucebit ipsam relationem: Nempe fuerat præmissum, in specie negotii, qvô alter animò donandi pecuniam dederit, alter opinione mutui acceperit, nec donationem, nec mutuū esse, & magis nummos accipientis non fieri; cum aliâ opinione hic acceperit; additur: *Qvare si eos consumpserit; licet condictione teneatur, tamen doli exceptione uti poterit? qvia secundum voluntatem dantis nummi sunt consumpti*; qvæ verò verba manifestò ad opinionem utiqve Juliani redinclinare dixeris, qvam aliàs is clarè fovet *(b)*. Fortasfis in animò habuerunt vel Ulpianus vel Consulti cōpilatores, si qvidem nummi accepti extarent, & res citra novam animorum conspirationem maneret, repeti eos posse, nec hactenus pro iis habendos, qvi accipientis essent facti, sin vero consumpti essent, jam qvidem ad eum effectum demum rem, qvæ integra amplius nō sit,

(a) l. 1. de reb. cred.

(b) d. l. 36. de A.R.D.

sit, pervenisse existimandum, & opinioni Juliani etiam qvoad rationem deferendum esse, (subaudita prhterea ad verba non *fieri accipientis*, modô *irrevocabili*, in altera lege vel ad *proprietatē ad te trāsire*; hæc: *nummis consumptis*) Et sic forsitan, si ita luberet, adhuc aliqva ex istô duorum juris textuum conflictu elabendi daretur rima. Ita tamē ut pulchrè qvasi in his exagitat9, nondū sese qvis sentiat edoctum satis, ad cujus partis naturā, etiam in casu nummorū consumptorum, effectus negotii accedat; donationisne an mutui; perpetuone sese exceptione illa doli tueri posit accipiens, tamqvā adversus donantem, an vero ad tempus, dum commodè ad legem mutui rem acceptam restituere posit. Circa ipsam causæ justitiam, fluctuabis, nisi fallor & ipse hic, qvisqvis non præter humanum sapis, donec forte singas, ab alterutrâ parte in consensum cum alterô homogeneū, modô conveniente, fuisse abitum; puta, uti, vel qvi donare voluit, stante opinione accipientis de mutuô, voluntatam qvoq; suam in mutuum designet, vel etiam hic in non mutatam donātis voluntatem significanter conspiret. qvæso lector ignoscas, hæsitatum hic esse justò diutius.

XXIV. Ubi *utrinq;* in animo ac opinione est causa qvidem dominii translativa, at *rei revocabilis*; diversa tamen, veluti *mutuum* & in numerata pecunia *dos*: id qvidem speciei priori hic casus retinebit simili, qvod neutrius proprie generis negotium sit: at diversum habebit, qvod extra dubitationem pecunia sit revocabilis, qvia in hoc ipso utriusq; consensus, licet cætera diversus, conspirat. Et positô, qvod in præcedenti casu justum sit danti, ex tantes nummos repetere seu vindicare, magis id qvoq; hic erit. sin autem consumpti fuerint nummi; qvoniā & hic vera manet in priori specie adducta ratio: *qvia secundum voluntatem* dantis nummi sunt consumpti. dixeris exceptionem qvoq; intempestivè nimis repetenti, paratam objectu esse. Ubi vero *ab una parte causa proprietatis translocatoria, ab altera tantum possessionis est*, standum existimem placito JCti, qvod hoc modô atq; exemplô is effert (a): *Si ego qvasi deponens tibi dedero, tu qvasi mutuum accipies: nec depositum nec mutuum est. Idem est, & si tu qvasi mutuam pecūniam dederis, ego qvasi commodatam ostendendi gratiâ accepi. Sed in utroq; casu consumptis num-*

(a) l. 18. §. 1. de reb. cred.

summis condictioni sive doli exceptioni locus erit. Et totum hoc multò magis obtinere dixeris, ubi deniqve *utrinq; in opinione causa concessiva* tantum *possessionis* rei est: veluti] depositum & commodatum, commodatū & pignus, &c. intelligo, qvod negotium ex neutrô nomen sortiatur & speciem, & qvod revocationi rei sine exceptione locus futurus sit. Constare putem ex his de consensu, qvatenus ille in singulis consentientium ad aliqvid certum destinatio, spontanea itemqve ac sine coactione & ignorantia proæresis, cumq; consilio appetitio est.

XXV. Colligere autem similiter ex dictis facilè esse existimē, qvi ille consensus & sit & esse debeat, qvatenus conventionib9 perficiendis *utrinq; in idem* esse deposcitur. Resq; imprimis elucet ex proximè traditis, ubi qvidem recensitum fuit, qvid opinatio erronea circa singula circumstantiarum, in infirmando aut non informando negotio valeat. ubi qvidem pro valore negotii dijudicandô, per exempla contractuum in medium producta, mutuane & conspirās in idem, proæresis aut opinatio fiet, semper in consideratione versatur, disqviriturqve; veluti an contracturi *in idem factum*, in idem *corpus, in materiam, qvalitatem*, qvæ majoris est ponderis, in *causam* eandem consenserint; an vero opinione circa hæc discrepuerint; prout id exinde potest peti latius, nobis autem ne actum agere videamur, nunc qvidem repetere supersedendum. qvin properandum ad contemplationem ipsius *modi* factæ aut *faciendæ utrinq;* per conventionalem animorum consensionem *connexionis*, obligationisve.

XXVI. Atqve consideratus igitur hactenus qvidem est conventionalis consensus, ut in singulis contrahentium proæresis, h.e. cum scientiâ libera, cumve consilio appetitio, aut animi destinatio est, directa utrinqve (obligationis nectendæ causa gignendæq;) ad aliqvid, re, factove, & hujus circumstantiis, certum atqve idem: In qvibus omnibus hactenus communem utriusq;, ab utraqve convenientium parte, in obligationem conspirantis consensus naturam descriptam putes; superesse autem ostendere, qvæ hujus consensus in singulis partium peculiaris natura, qvalitas aut conditio, modusq; sit, qvò à suô qvisqve latere, nexū isthunc spiret, inqve obliga-

ligationem nectendam, prodeat, sesegve offerat. Sanè utut ante dicta communia utrobiqve [puta in animo obligaturi sibi alterum, & ejus qvi se alteri] hic habeat uterqve pro hoc effectu consensus; In aliqvo tamen præterea, diversæ qvalitatis alterutrinqve pro eodem eundem esse; haud difficilè collectu est, ex diversa intentione alterutriqve consentientium, contrahentium; dum alter intendit optatqve qvid fieri ab altero, alter seipsum id destinat effecturum. Animadvertendum est, ut puto ad alterutros singulos: qvanã à suæ cujusq; destinationis parte primus qvasi character obligatorius appareat. *Obligaturi* [ita appallatur, cui facultas acqvirẽda, cujus bono obligatio nectanda est] consensualis destinatio videri, potest duarũ esse partium, cupiditatis nimirum ac fidei. Cupiditatem qvod attinet nudã, qva videl. cupit, atqve optatqvis ut sibi qvis alter obstringatur, det aliqvid aut faciet. illa neutiqvam obligationẽ inferet. id qvod ratio nobis manifestò dictitat; neqve n. unqvam qvemqvam ratione rectè utentem audies, pro statuendô debitò aut obligatione in alterò, in sola *sua cupiditate* sese fundare. imò verò cujusqve debitum, (qvod obligationi conseqvens) ex cupiditate alterius æstimare, in naturæ absurdis est, utpote qvæ ipsum debitum supposuit cujusqve competentiæ, competentiam verò cujusq;, limitem cupiditatis effinxit. minimè vero cupiditatem aptam nasci fecit, ut pro suâ infinitudine in infinitum sibi competẽtas, debita, obligtiones, constituat. reliqvum igitur videtur esse, uti, (appetitionẽ licet tanqvam vehiculum fiduciæ ad objectum non penitus forsitan excludere liceat) fiduciæ hic plus tribuamus efficaciæ; ipsamqve alicujus bonam in aliqvem bona ex ratione procedentem *fiduciam* seu *fidem* loco positi characteris, ab hac qvidem parte potissimum acceptemus. Testatum pro ipsâ hâc prodeunt, ipsæ indignationis & qværelæ, de non impetratis aut præstitis, qvæ confisi qvasi in bonitate alterius, ab eo impetratum iri speraveramus, crediderámus; fundantibus sese hisce qverimoniis plurimum in hac ipsa bona fiducia habitâ, sive adsit, sive etiam absit alia insignis debendi causa. Imo testatur id bor a ratio eorum, qvi, aliqvem de se suaqve, pro re præstanda bonitate, bonam opinionem fovere recognoscentes, qvandam qvasi impressionẽ in animo persentiscũt,

com-

competentis ac congrui, ut pro possibili benignitas præstandi, fiduciæ adipiscendi respondeat. Atqve hinc pudor, animiqve angor, ubi, qvod boni rogamur, recusandum venit; nempe videmur nobis, qvasi stringi, alterius pulchrâ in nos confidentiâ, nosqve officiô h.e. debitô qvadantenus nostrô negando deficere. Planè beneficium ex causis obligandi esse, supra cap.3. pluribus demostratū est. Nec dubitabis fortè adserere, si bona de aliqvô habita fiducia beneficium non sit, saltem ad naturam beneficii eam accedere qvam proximè: qvod vel omninò benè secum quisqve putaverit agi, ubi benè de se suâqve virtute ac bonitate homines opinantur, maximè si etiam confidentiam in ejusdem certitudinem atq; exuperantiam ponant: re etiam ex contrariô elucente magis, qvando prorsus malè secum qvisqve existimet agi, si malè homines, fortassis contrà qvam est, de semet opinantur, suæque bonitati diffidunt. hoc certe fugimus illud appetimus homines Deusq;. Ex qvibus adeo haud videtur ambigere esse, fidem bonamq; fiduciam etiam sibi relictam, alteri qvasi nexum qvendam intentare. certe mirabile hic est, placuisse Deo, fide nostrâ in se suamq; potentiam, gratiam ac meritum, nobis qvasi obligari, ad largienda bona temporalia, ad juvandum in edendis miraculis, ad beatitudinem deniqve æternam conseqvendam. Pertinet usus Jctorum, (a) qvo *omnes contractus, qvos alienam fidem secuti instituimus, titulo crediti contineri: credendi apellationem esse generalem: cuicunq; adsentiamur alienam fidem secuti, credere nos dici* asserunt: qvando toties, circa materiam conventionis occupati, fidem commendant, *fundamentum* eam *justitiæ* appellantes (b): *congruum esse statuentes fidei humanæ ut placita serventur* (c): *grave esse eandem fallere* (d): agnoscentesqve proinde planissimè *τὸ credere, fidemq;*, pro eô, qvod ad conventionem concurrat, qvodqve obligationi ex eâ, subminiculo existat. Tametsi negari qvidem non debet, autoribus hisce, non adeò fidem meram, & qvatenus in solo animo confidentis latet; sed qvatenus insuper promissioni alterius innixa connexaqve est, intelligi. Imò vero & hoc notare est, pôdus fidei interim in hac re offecisse, qvod usu sermonis etiam fides parti promittenti aut obligatæ tribuatur, ubi *fidem* illa dicitur *dedidisse, fidem obtulisse*; ubi *fide nostra qvid esse fierive* ju-

(a) *l.1.de reb. cred.*
(b) *Cic.1.de offic.*
(c) *l.1.de pact*
(d) *l.1.pr.de pecun.constit*

(a) l. 1. de reb. cred. l. 24. §. 1. de R. J.

jubemus, ubi *fidem* dicimur *alienam seqvi*(a) &c. cum magis proprius utiqve foret sermo, siqvidem pro istis alter diceretur, fidem habuisse vel effecisse hunc, ut fides sibi haberetur, jubere nos qvem ut fidat; nos fide proseqvi alienam promissionem. verum qvisnam usum loqvendi non posset pati, ut cunqve videret, eam nonnihil à proprietate declinare, ne nunc dicam illas qvasdam locutiones, veluti *fidem dare* ac similes, etiam eô alterô respectu, ut minus improprias, tolerari posse, qvod hoc ipsô, qvô promissio fortè intervenit, ipsa plenior fides in animo alterius conficiatur deturqve. Sed nihil hic opus est subtilitate, id manebit, sive ipsa tota conventio, sive promissio, sive hinc obligatio, ejusqve æqvitas, fides appellitentur, denominationem derivari à conjuncto illo, qvod est in animo obligantis propriè τὸ *credere*, *fides, aut fiducia*.

XXVII. Fiducia autem hæc qvidem est in *bonitatem alterius*; (adde) fore, ut aliqvid *qvod nostra interest*, benigne is faciat, ex qvalicunqve suâ cum justitia proditura virtute. Namqve ita ferè videmus comparatum esse, qvod fiduciam homines concipiant de alterius liberalitate, munificentia, fortitudine, temperantia &c. fore, scil. ut per isthæc ab eô fortè, munere, officiô, defensione, conservatione rerum familiarium, adjuventur, vel ipsi, vel qvos juvari eorum interest aut jure interesse possit. Enimvero si nec prorsus confidentis interest aut interesse jure qveat, vel pauxillũ tandẽ, vel qvò minus; eò minꝰ, parùm vel etiã nihil videtur paritura confidentia materiæ ligaminis in alterò, veluti si confideret qvis Islandꝰ in Magnum Chamum, fore ut suppetias laturus sit Persarum Regi contra Turcam; aut si hominum aliqvis credat, operam daturos angelos, ut convertantur diaboli. scil. hoc ex ejusmodi est, qvod jure nostra interesse non potest nec debet, utpote qvod justo judicio Dei est adversum: Illud verò longissimè nostrum aliqvem tangit: unde hujusmodi fiduciæ ergò, nec angeli possunt huic alicui obligari, & Magnus Cham, si rescisceret, istum illi id affectus tribuisse, forsan rideret. Secus atqve continget, ubi angelorum bonitati confidimus, fore ut ad Dei voluntatem nos fideles, & pios, custodituri sint, in omnibus viis nostris, vix enim videtur futurum esse, qvin illi affectum talem nostrum persentiscentes, cum in sibi jucun-

di-

dès habituri sint, & hujus qvoqve nomine nos redamaturi, aut ut redament, obstrictos sese qvadantenus secum deprehensuri sint. similiter, ubi Magnus Cham forte resciscet, Persam aut Rempub. Venetam suæ bonitati ac justitiæ tantum confidere, ut hostis Turcæ injustitiam odio habeat, ni fallor animus ipsius, siqvidem temperatæ modò bonitatis est, reflexionem aliqvam patietur, teneri sese, ne horum fallat de sese confidens judicium. Fons hic conventionalis obligatorii consensus unus est, *fiducia* ejus cui obligatio, ut ajunt, acqviritur.

XXVIII. A parte *obligandi*, si ipsum similiter fontem indages, dubito nunqvid aliud reperies, qvod hinc in nexum conventionis proximè qvasi exsurgat, præterqvam, destinationem qvid cui præstandi: qvam, juxtà ac magis meliusqve huc definita directaqve potest esse, *Propositum* forte dixeris. scil. obligatio eorum est, qvæ alicui facienda, qvæve aliqvis, qvi obligatus est, est facturus; qvæ autem spontaneo ac liberò consensu, cujusmodi conventionalem esse oportere ante demonstravimus, sumus facturi, nobis proposuisse dicimur, & ipsa utiqve talis modò delecta intentio seu destinatio propositum est. Qvod autem ipsum hòc tale propositum, qvod dicimus, à parte obligandi ad pariendum nexum obligatorium, naturâ suâ aptum atqve proclive sit, indicio est ipsa tractio sive vis trahens qvam etiam nudè sibi proponens, donec qvidem non mutat, inde patitur sentitqve. Tametsi enim fini id ferè tribuimus, qvod ab eo trahamur, isqve vim habeat, per speciem boni, qva indutus est, appetitionem nostram pertrahendi ad sese; certum tamen est, & qvisqve facile secum persentiscet, ad ipsum pertendendi modum, & ut actu pergamus ad finem, vim facti assumptiqve propositi, plurimùm facere: qvod qvidem toties nobis probatur, qvoties videmur nobis qvasi officium nostrum neglexisse, ubi à bonô propositô destitimus; qvoties nemine cogente, aut diversum licet fieret, exprobraturô, statos labores, stata tempora ex aliqvô semel fortè nobis factô delectu subimus, non admittentes temerè, ut ordo noster turbetur. id qvod maximè accidit, ubi illud in unô aliqvo cõtinuô peragendô versatur: veluti ubi iter absolvere aut aliud qvidqvam expedire in animo est. Verum inqvam

indicio hæc qvidem sunt, propositum naturâ suâ proclive esse ad obligationem pariendam, eidemqve proponentem subjiciendum: non autem evincunt, propositum qvodvis intùs in animô susceptum, etiamsi sit, qvod intendat præstationem qvandam alteri faciendam, nos statim alteri obligare, aut etiam alteri facultatem parere, hujus nomine qvicqvam exigendi à nobis. qvippe hæc vis est atqve natura, imò jus arbitrii nostri, uti si lege ex aliâ non stringatur causâ, liberum ei de jure qvoqve sit, propositum, qvod qvidem intus permanet, mutare infinities. imò, etsi in notitiam id fortè deferatur ejus, cui bono id fuit conceptum, parum abest, qvin potius, qvam concipientis, obligatorium sit hujus, utpote cum speciem benignitatis, & per hanc, intentati ei beneficii, præ se ferat: eâ qvidem per naturam rerum efficaciâ, ut ipsum illud amplissimum atqve laxum humanitatis vinculum sustineat, utpote qvod totô die videmus obliteratum iri adversus eos, qvos bonô propositô, aut etiam hujus saltem benevolentiâ ac favore, erga se vacare homines sentiunt; extinctum vero penitus, ubi appetitio contraria, malum scil. atqve inimicum propositum adversus sese habere aliqvos, animadvertunt: unde deinde furiæ illæ furibundæ & interneciva certamina. Neqve multum etiam refert, pro effectu obligatoriô, nudô illô atqve intimô propositô, proponenti ipsi introducendo, si, ubi post cognitū hoc fuit, laudē inde, is nanciscatur; imo fiducia nascatur, fore ut qvi qvid tale proposuerat, idē adhuc præstet: qvia qvod nunc exortâ fiduciâ forte non est in animo alterius propositū, id nec deprehendi ab hâc in locô illô potest, nec adeò, hujus nomine, qvicqvam obligationis personæ qvæ eô nunc caret configere; breviter, benignum erga alterum alicujus rei præstandi propositum sibi relictum, ei qvi proposuit, intentare qvidem videtur, non autem facere nexum, sive in notitiam postea incurrat confisuri sive non: Eaqve in re minus habere hoc valoris, qvam fides, qvæ à suâ parte, etiam per se sola, siqvidem cognita fiat ei cui est habita, si non firmum prorsus multumqve, saltem aliqvid ligaminis videatur injicere, ut liqvet ex aphorismo præcedente. Ut adeò, si *fidem & propositum*, ut velim qvidem, peculiares, huic & illi contrahentium, easdemqve proximas sive formas sive qvalitates in ani-

animis eorum, statuas, unde in nexum conventionalem utrinqve tendatur; separatim autem singulorum pro hoc effectu vim consideres; masculam, autumes, naturam *fidei*, *proposito* fœmineam attributurus sis. Sed paratam dixeris utrinqve materiam fili, stamen item atq; subtegmen, modò restare, ut proferantur illa ad officinã, aptentur & justô deniqve flexu plexentur. scilicet videndum restare, qvomodo consensus ille tum propositi tum fiduciæ, suis in latebris formatus, inde *prodeat*, procedens utrinqve *conformetur*, & deniqve in obligationis nexum *compingatur & coëat*.

XXIX. Primum omnium, ut ad effectum conventionalis nexus, consensus iste (propositi ac fiduciæ) utrinq; possit pervenire, prorsus necesse videtur esse, ut *in notitiam procedat* utrinqve ad utrumqve eorum, qvi contracturi per eum obligationem sunt. neqve enim id nunqvam satis poterit perspici, qvomodo fidens & proponens, conventione obligationem possint nectere, si fiducia simul atqve propositum, alteri atqve alteri, prorsus incognita sint atqve maneant, vel etiam donec maneant. *ignota* enim ut vulgò dicitur, *nulla est cupido; nec judicium de occultis.* Posito igitur, qvod fidenti propositum alterius sit ignotum, idipsum ejus cupidini simul, & indicio & fiduciæ non erit pertingibile, nisi dubiissimâ sorte, & multoperè per accidens: Eadem erit ratio, si proponentem latet confidentis fiducia: cum ad hanc propositum suum conspirare facere, ei impossibile sit, nedum ut id in nexum cum eo complicare possit. Neqve verò & qvicqvam ponderis hic videtur tribuendum contingentiæ, qvà fortè fortunâ idem qvod alter credat ab altero sibi destinatum esse, alter qvoq; tacite eidem dare sibi proposuit: namq; & hoc qvidem, citra omne signum, & ex signis causisq; rationem, erit contingens rarissimum: & qvæ hic consensus latentia est, non potest nisi fidem dubiam h.e. nullam, & per conseq. propositum ab ea incomprehensum qvoqve relinqvere. Ut adeò ex his, illa, qvibus Jcto (a) conventione *convenire dicuntur, qvi ex diversis animi motibus in unum consentiunt*, aut minus absoluta videri possint, aut cũ eâ efficacia sensus accipienda esse, qvà isti diversi animi motus *manifestati* conspirent. Sed qvid multis? hominum communis observantia, consensum, nisi patet, non agnoscit aut admittit

(a) l. 1. de pact.

tit

tit ullum; unde sanè tam anxia iis consensus, mentis, voluntatisq; cujusqve oboritur inqvisitio: unde toties repetita Jureconsulto-rum assaveratio; neqvicqvam debitum ex destinatione animi aut dispositione voluntatis prætendi, ubi ea non intelligitur (a). itemq; illud vulgatum: *propositum in mente retentũ nihil operatur* (b). necessarium itaqve, nisi multum fallor, ac primum erit consensui conventionali, qvò aptus fiat ad gignendum nexum, ut manifestetur.

(a) l.7. §.3. d. R. l. l.2. de his qvæ pro non script. hab. l. 62. § 1. de hered. instit. & pass. (b) Pacig ad §.6. I. de hered. qval. et differ. per l.7. C. de condict. ob caus. dat.

XXX. Manifestatio autem hæc hujusdem conventionalis consensus, ut qvælibet occultæ mentis intentio, debet omninò fieri per externa qvædam signa hujus sive indicia: eaq; tantò distinctius proposita, qvò, ob modum obligationi determinandum, distincta magis cognitio ipsius hujus consensus reqviritur. Sanè qvæ huc imprimis facere possunt, non tam qvælibet hominem extrinsecùs adjacentia erunt, licet ex horum aliqvibus sæpius affectus aliaqve mentis secreta scrutari contingat, e.g. tristitiam hominis qvem nõ vides, ex morte amici, cupidinem libertatis in carcere constituti: sed ipsius hominis qvidem mentẽ ipsiusmet significans actus: cùm nisi aliqvis scrutator cordium Deus occulta mentis extrahat, certè talis, qvalis hic desideratur determinatior consensus, utpote qvi utrinqve in paria omnia debet conspirare, à nemine aliò ab omni parte probè exprimi, nec ex ullo aliò distinctius colligi possit, qvam si ipse consentiens, propriò qvôdam suô actu eum expromet, significetqve. Cujusmodi autem actus significantes forsan in triplic. qvis collocaret genere; dicens *sermonem* sive orationem seu verba hos esse, *gestus* corporis, *factaq;* qvandoqve alia;. Atqve in his qvidem præcipuum omnium *sermonem*; tanqvam qvi etiam præcipuè homini ad hunc usum à natura concessus sit, ut animi sui sensa per eum aliis exprimat; res dudũ observata sapientibus (c): imò cuilibet ad naturam attendenti observatu facilima. Ubi qvidem notare est æmulatio artis cum naturâ, in producendis mediis orationi prodendæ aptis, dum hæc fini huic paratam habet vocem, & qvæ hanc formant instrumenta; illa scripturam adinvenit. ambô media paris effectus, etiam in casu, qvem nunc perseqvimur, gignendæ per orationem obligationis: qvam rem eleganter observat nostrum aliqvis (d), *oratione*, inqviens, *qvam exprimunt literæ, obligamur*

(c) Arist. 1. polit. c. 1.

(d) l. 38. de O. & A.

mur. qvatenus placuit, non minus valere, qvod scripturâ, qvam qvod vocibus lingva figuratis significaretur. Estqve hæc res, qvoad hunc effectũ, ut de sermone oris prorsus indubitatissima, ita de oratione per literas prodità, observationis freqventissimæ; estq; & vulgo hominum & prudentibus commendatissima, tum in universum significatio mentis, tũ in specie contractio obligationis (*a*) per easdem. In *gestibus corporis*, qvi, secundariò licet membrorum usu, mentis consignationi qvoqve inserviunt, plurimum, pro hoc effectu, prodendæ nimirum voluntatis intentionisqve obligationem parientis, à nostris penè celebratur *nutus*. Ita Modestinus consultus (*b*) postqvam plurima enarrasset, qvæ ut media facerent ad obligationem contrahendam, istis subnectit; *Sed & nutu solo pleraq; consistũt.* Ita alibi passim JCti hunc, in hunc usum effectumq; commendant (*c*). Ad qvæ insolens apparere potest dictum Ulpiani hoc (*d*): -- *Si qvis* (stipulatò interroganti *dabis?*) *sine verbis adnuisset, non tantum autem civiliter, sed nec naturaliter obligatur, qvi ita adnuit.* verba hæc JCti ultima angunt interpretes, qvæ ut salvent, nonnulli de eô nutu dicere, accipiunt, qvi est præter communem morem caput male ex consvetudine inclinantium; adducentes probando huic mori Galenum & Hippocratem (*e*). Certè interpretationem, ut qvæ universalem prorsꝰ acceptionẽ non admittunt, verba isthæc vidētur desiderare, qva adhibitâ non adeò difficulter has tricas videri possunt expedire, qvi observant JCtum hic versari in specie contractus, per solennem, civili more introductam stipulationem, hoc est, interrogationem & ad verba congruam verbalem responsionem, peragendi; ubi qvidem, si præsupponitur, ut decet, partes contracturos, hunc modum contrahendi utrinqve delegisse ac intendere, facile patet, nutum, tanqvam, qvi per propositum istô certó modò contrahendi qvasi extraneus hic actus pro hoc effectu est, ad obligationem, qvæ hic verbis contrahenda, nullam vim habere, vel certè nullam certiorem collectionem inde fieri posse: in obligationem, qvæ ab altera parte intendebatur, fuisse consensum aut descensum. qvin videri posse hunc qvalemcunq; intervenientem nutum, tamqvam extra intentionem nutatũ, potius casu aut qvavis aliâ ex causa editũ; sive qvod more suo nueret, sive etiam, qvod

(*a*) §. 2. I. de obl. t. de obl. ex lit. t. C. de non num. pec. & pass. (*b*) l. 52 in f. de O. & A.

(*c*) l. 48. d. O. & A. l. 17. de novat. l. 93. §. 1. de acqvir. hered. l. 21. pr. de leg. 3. Ulp. t. 25. §. 2. l. 6. § 1. ad SC. Trebell. &c.

(*d*) l. 1. §. 2. de V. O (*e*) vid. Goth. in not. ad d. l.

qvædam fortè propositorum sibi placere indicaret annuens, in qvæ si rectè se habitura sint & reliqva, consentire post velit, destinatoq; modo obligationem contrahere. Nisi fallor hæc vera mens JCti fuit, qvando contractui stipulatò celebrando intercedente nutu adnuentem *ne naturaliter qvidem obligari* censebat. de cætero sibi ipsi nullô modô contrarius futurus, aliàs vim explicandi consensus, contrahendiqve, nutui liberaliter idem ipse tribuens *(a)*. In *actibus* aliis, qvibus præterea consensus, in obligationem traducens proditur, numerabitur forte: pro herede gestio hereditatisve aditio, ipsô factô peracta, veluti *si qvis rebus hereditariis tanqvam heres utatur, vendat fortè aut colat res prædiaq; hereditaria* (*b*): Item pertinet ultronea negotiorum alterius gestio. scil. vel hic obligationes ex qvasi conventione seu contractu ac propterea qvasi ex consensu agnoscunt periti juris (*c*). imò præter cætera, ipsam ad præjudicialem actum conticentiam non semel observant hujus naturæ qvãdoqve esse (*d*). Sed de his, qvia incidunt in tractationem, de indagine latentis voluntatis, per signa interpretationi inservientia, forsan alibi non nihil laxius erit dicendi locus. Sufficiat, hic breviter ostendisse, qvid potissimum attendi signorum soleat, qvibus mens, consensusqve conventionalis, obligatorius futurus inqve nexum deducendus, suis ex latibulis promatur.

XXXI. Anteqvam hinc in ulteriora deproperemus, unum videtur locus poscere, ut præexpeditum habeamus. Cùm ex superius hoc capite adductis constet: *Consensum* utrinqve conspirantem basin esse omnium ex conventione obligationum; porrò vero & ex paulò ante dictis liqveat; sermonem sive verba primarium hujus consensus in apricum producendi medium esse; Juris verò authoribus nihil magis usu veniat, qvam ut conventiones, eas imprimis, qvæ civiliter efficaciterqve tenent, contractusqve fere nominantur, vel potius ipsas *obligationes* ex iis, distingvant in eas, qvæ *re*, eas qvæ *verbis*, eas qvæ *literis*, & eas deniqve qvæ *consensu* contrahuntur (*c*). dubium aliqvem, inqvam, primus verborum intuitus posset reddere; Utrum ergò consensu non contrahantur, aut verbis ad expeditionem non indigeant omnes contractus? utrum aliqvi re, verbis aut literis, sine consensu; aliqvi re, consensu, sine

(*a*) d. l. 17. de novat. t. I. 25. §. 2.

(*c*) §. 6. I. de hered. qval.

(*b*) §. 1. 5. de obl. qvæ qs. ex contr. arg. l. 3. inf. & l. seq. qvib. ex caus. in poss. eatur.

(*d*) l. 43. de R. I. in 6. l. 60. pr. de R. I. l. 6. §. 2 mandat. l. 4. §. f. d. fidejus. tut. l. 2. ad municipal. &c.

(*c*) §. fin. I. de obl. & tt. seqq l. 1. §. 1. l. 52. l. 38. de O. & A.

sine verbis, commodissimè vel etiam communiter expediantur? sed ut qvantocyus expediamur: Qvæcunqve est pactio aut conventionalis contractus, basin utiqve figet, in ipsô *consensu*; etenim hic, de definitione, hoc est, de essentiâ universi generis est; Conventio enim est plurium in idem placitum consensus: deinde, verum qvoqve manebit, *verba* medium esse expeditissimum promendi consensus, & per hoc omni conficiendo contractui, nexuiqve ex eo, convenientissimum: Distinctionem autem istam, si rem spectes, fieri factamve esse, abs qvibusdam accidentibus, è qvibus, præter consensum, ac sermonem, certa conventionum genera, singularem qvandam speciem sortiantur, qvâ firmam atqve perfectam obligationem, si modò nec aliorum, qvæ communia generi sunt, qvidqvam in iis desideratur, jure pariant, aut etiam, ut pariant, præcisè ad substantiam suum exigant. Ut paucis per ipsas species rem ostendam: *Consensu fiunt obligationes*, (verba sunt Gay JCti (*a*) traducta à Justinianô in Instituta (*b*), *in emptionibus venditionibus, locationibus conductionibus, societatibus, mandatis.* Nec verò *ideo istis modis obligatio dicitur consensu contrahi*, præ aliis; qvia vel in aliis non sit consensus vel in his nullus aut rarior verborum usus, aut rerum interventio; qvippe freqventissimè, & modò non semper], etiam illa ad compingendos, hæ ad consummandos', qvod ajunt, tales contractus accedunt; Sed *qvia neq; scriptura neq; præsentiâ omnimodò opus est: ac nec dari qvicqvam necesse est, ut substantiam capiat obligatio; sed sufficit eos, qvi negotia gerunt, consentire. unde inter absentes qvoq; talia negotia contrahuntur, veluti per epistolam, vel per nuncium.*

(*a*) *l. 2. de O. & A.*
(*b*) *t. de oblig. ex consens.*

XXXII. Realium, (ut appellantur) contractuum v. g. mutui, commodati, depositi, pignoris; seu potius obligationum, per mutuum, commodatum &c. contractarum, forma qvidem atqve perfectio specifica in eo est, ut res illa sit tradita; qvippe ipsa natura horum negotiorum id aliter non admittit: neqve enim qvisqvam intelligetur commodasse, deposuisse, mutuum, aut pignus dedisse, anteqvam rem actu exhibuit atqve tradidit; nec qvisqvam pro restituendo (qvod hic primum in obligatione est) mutuô, commodatô, depositô &c. obligatus esse, anteqvam actu rem acceperit. Unde adeò, si qvid antè traditionem aut acceptionem ipsius rei, in-

ter contracturos hic actum fuit de commodatô, mutuô, & reliqvis, mentio potius, seu pactio facta de futuro aut circa futurum contractum erit dicenda, qvam ipse talis in suo genere perfectus contractus. Interim verò non seqvitur: obligationem ex mutuô, commodatô, pignore, depositô, vel etiam ipsum contractum mutui, commodati &c. citra consensum mutuum, verborũq; aut literarum usum posse vel simpliciter, vel commodè confici; nimirum hæc de necessitate atq; commoditate, si non specifica, omninò tamen communis generis contractuũ sunt. Et planè, qvod aliàs de traditione rei, dominii translatoriâ JCtis observatur: *nunqvam* scil. *nudam traditionem transferre dominium* (a), sed præterea & convenientiam naturalis æqvitatis in eo esse positam, *ut voluntas domini, volentis rem suum in alium transferre, rata habeatur* (b); Id hic, qvoad *consensum* traditioni atqve acceptioni rerum ex hisce contractibus, qvam maximè qvoq; videtur obtinere. Etenim, unda rei traditio, nuda acceptio, citra accedentem animi destinationem, & ab hâc definitam causam, qvò ad speciem contractus determinandam, æqvè erit inepta, ut qvodvis communissimum: qvippe rerum traditiones, nullum non genus contractuum, aut conventionum, admittit, permutatio vidsl. do, facio, ut des aut facias, donatio, venditio, locatio, stipulatio, & reliqva, partim eâdem rei traditione perfecta, partim consummata. interim vero vel ipsi contractus, qvæ in specie dicuntur reales, citra causæ, per voluntatem aut consensum factam definitionem, ab invicem distingvi non poterunt. qvis enim v. g. eqvi, depositi, commodati, pignoris loco positi, in permutationem dati, differentem rationem, differens jus dignoscet, nisi eô traditô, horum unum mente, signisqve in specie determinetur. Rem eleganter commonstrant in summâ JCti (c), qvando etiam negant, certum contractum realem extitisse, etiamsi ab unâ parte v. g. mutuum in opinione fuerit, modò non idem fuerit qvoqve ab alterâ; imò etiamsi utrinqve fuerit realis, modò non causa eadem, alterò v. c. mutuum, alterò commodatum, aut depositum, concipiente. ut adeò illi præcisè etiam consensum reqvirant in idem; nedum ut consensum reali contractui abesse putent. Qvòd autem & *sermone*, tum ore, tum literis prolatô, consensus hic,

(a) l. 31. de acqvir. rer. dõ.
(b) l. 9. §. 3. ff. eod. § 41, I. eod.
(c) l. 18. de reb. cred.

hic, & ipsi omninò contractus reales, commodissimè ac communissimè explicentur, tum ratio, tum experientia qvotidiana monstrat clarissimè. nolo enim vel hoc unum urgere, circumstantias personæ, loci, temporis, ac similium, cui, ubi, qvando, solutio aut restitutio facienda, citra compendium sermonis, non posse nisi multâ operositate determinari. *consensum* igitur ac *sermonem*, æqvè reales, qvi dicuntur, atqve alios contractus reqvirere, delirare esset ambigere.

XXXIII. *Verborum* deniqve & *literarum* contractus aut obligatio, qvę appellantur, tantum abest, ut *consensu* atqve *sermone* possint esse destituti; qvin tota eorum qvasi substantia in his consistat, generalis ac specialis, sive ut logici gaudent loqvi, genus & differentia specifica. scil. *consensum* itidem habent qvatenus de genere conventionum sunt. De verbali contractu, qvi stipulatio in specie est, disertus est Venulejus JCtus: (*a*) *si hominem stipulatus sim, & ego de alio sensero, tu de alio: nihil acti erit. nam stipulatio ex utriusq; consensu perficitur.* It. (*b*) Ulp. *nam & stipulatio, qvæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est:* Consensus necessitatem, in specie contractus literarum, arguit, error numerationis futuræ, infirmans eundem, si hæc subseqvuta non fuit; (*c*) & imprimis ejusdem ad omnes literarum apices ultima applicatio reqvisita; dum infirmo persistere debet contractus in scripturam redigendus, donec scriptura scriptione ac subscriptione (arguit hæc completionem consensus) ad ultimum fuerit perfecta (*d*) *sermone* autem hosce contractus confici negabit, qvi verba voce ac literis conserta, sermonem non esse, insipiet.

(*a*) *l. 137. §. 1. de V. O.*
(*b*) *l. 1. §. 3. de pact.*
(*c*) *t. J. de lit. oblig. t. C. de non numer. pecun.*
(*d*) *pr. J. de empt. l. contractus 17. C. de fide instrum. & A.*

XXXIV. Cæterùm sunt qvæ notanda hic videntur circa duo hæcce, qvæ putantur, contractus distincta genera; *verborum & literarum scilicet:* non tam materiâ ipsâ aut vi qvadam suâ, quàm modò *sermonis ea* distingvi: namq; utrobiq; oratio est, est & vis obligandi eadem. oratio enim uti vel inde dicta est, qvod ore formetur; ita orationem etiā literis exprimi, tralatitium JCtô (*e*) est, afferenti porrò, *non minus valere, qvod scripturâ, qvam qvod vocibus lingva figuratis significetur.* Qvò fortasis etiam respiciunt qvidam jurisprudentiæ auctores, qvando *obligationes ex contractū, aut re contrahi, aut verbis,*

(*e*) *l. 38. de O. ?.*

(a) l.1. §.1. l. 52 de O. & A.
(a) §. fin. I. de oblig. t. de lit. obl. l. 38. de O. & A.

bis, aut consensu, asserunt; (a) omissâ specie, *ex literis*; utpote, sub eâ, qvæ ex verbis est, contentâ. Attendentibus autem contrà modi istiq diversitatem aliis, ac proinde qvartum istud qvasi genus adjicientibus, obligationis *ex literis* (b). Namqve modum utriusqve generis, qvod attinet, Romani, culta gens, & domi æqva, cum facilè animadverteret, vim placitorum cujusqve, de rebus potestatis suæ disponentium, & in specie summâ servandarum pactionum æqvitatem; simulqve firmamentum earundem in plenâ perfectâ ac deliberatâ animi destinatione, & pro re nata, mutuô consensu, positû esse, deprehenderet; vehiculum verò hujus usurpatissimum, atqve aptissimum sermonem esse: E contra verò & usu edoceretur, multa hic posse intervenire chasmata, qvibus appareret, tum conventionem, tū placita aliá vera voluntate atq; consensu esse celebrata, qvæ tamen non essent; imprimis, etiam cæteris rectè habentibus, consensus sphalmata, sæpè sub typo verborum multum fallacium latere, ac, nisi caveatur, in vulgus prodire posse facilè: Non cessarunt illi qvidem, remedia excogitare, qvibus servatô vigore pactionum, simul huic incongruitati subvenirent: *attentionem* placitentium, ut consultò satis, itemqve justè hi in statam sententiam descēderent, pariter & *probationem* verè placiti, intendentes. Repertæ igitur sunt commodæ isti rei solennitates, naturâ aliàs suâ ad momenta negotiorum designanda animumqve attentiorem reddendum, plurimum facientes, qvippe fieri neqvit, qvin attentior sit animus, reiqve pondus magis pensitet, ubi per celebritates, & cum tractu insuper temporis, qvalem hæ fere reqvirunt, ad actum placitumqve defigendum procedere est, qvàm ubi modô qvasi perfunctoriô in id irruatur: Et qvoniam prætereà cum celebritate agere, ferè naturâ suâ inferat coràm, testatô, & cum notitiâ aliorum agere; Ad probationem igitur & veri, momentum videbuntur conferre posse maximum, solemnia. Hinc illæ qvam plurimæ manumissionum, emancipationum, adoptionum, nuptiarum, testamentariæ, prænsandarum possessionum, judiciorum, aliorumqve actuum celebritates, veteribus romanis ad superstitionem usqve congestæ, atqve usurpatæ; eas qvas rerum facie mutatâ, posteri satagerunt, ut corrigerent, qvandoqve etiam mutarent, prout id de celebrati-

bus

bus testamentariis, emancipatoriis, judiciariis & reliqvis, vel ex pluribus juris civilis locis, si id ageretur demonstrari posset (a): & similia ex nostris aliarumq; gentium moribus magnô numerô colligi: Nisi locum hunc, solus firmandarum conventionum ritus, romanis usitatus sibi vindicaret. Qvi igitur in eo penè fuit absolutus, ut, si qvidem vivâ voce contractus aut conventio, qvæ aliunde, legum ratione suffulta, satis firmamenti non haberet, erat celebranda, illa *stipulatò* fieret, h.e. congruô conceptu verborum, interrogatione, qva qvid dari fierive sibi qvis stipularetur, & ad interrogata responsione promissoria, seriò & continuò coràm facta, congruâ (b). scil. hæc ad excitandam intentionem, & veritatem consensus protrahendum, satis illi putarunt: negotium nomine contractus (c) eodemqve specifico stipulationis (d), indigitantes, civiliqve efficaciâ pro parienda judiciali exactione id donantes. reliqvis sui generis conventionibus, nomen pacti impertientes; & si nō aliô illæ fulcirentur statumine, fortè qvod hac negotio aliàs validò adjicerētur, nec peculiarem ob rei æqvitatem dispositionem legum fuerāt meritę dicta inde adjecta aut legitima pacta (e); citra necessitatem prę standi, aut potestatem promissum exigendi, easdem relinqventes (f). Similiter huc qvoqve putarunt conducere literarū compositionem: Cui proinde conventione in literis, suam qvandem peculiarem qvoq; formam donarunt, inqve paritatem valoris cum stipulatione erexerunt, nempe ut ex literis, conventionem cōtinentibus plene perfectis, perscriptis atq; à partibus subscriptis, cæteris rectè sese habentibus, obligatio qvoqve nascatur civiliter firma rataqve (g).

(a) § 1. & seqq I de testā. ord § 1. I. d. libert. l. fin. C. de adopt. l. 5. 6. C. d. emanc. lib. t. C. de formul. subl. &c.

(b) per pr. & § 1. I. de V. O. § 5. 11. I. de inutil. stip. l. 1. 3. § 2. 137. de V. O. & passim.

(c) § ult. I. de oblig. l. 1. § 1. & 7 de O. & A. l. 1. § 3 & 4. d. pact.

(d) passim.

(e) l. 7. § 5. l. 6. de pact.

(f) l. 7. § 4. et seq. de pact.

(g) per a § fi. I. de obl. t. de lit. obl. & t. C. de nō numer. pec. It. pr. I. de contra. empt. l. 17. C. de fide instrum. &c.

XXXV. Hinc porrò de utroqve hoc genere, stipulatione videl. & compositione literarum, pro contrahenda obligatione, hoc videtur non prætereundum, qvin moneatur: nempe propriè loqvendo, *neutram* earum, vel *contractum* vel de genere *conventionum esse*, sicuti sunt mutui, commodati, emptionis venditionis, locationis, atqve similes; sed potius *accidentia conventionum & media*, easdem vel *juvandi*, si jam anterius suo constant civili robore, vel etiam, si illò destituantur, in speciem contractus, cjusve pactionis, qvę obligationem civilem contrahat, devehendi. Unde qvidem id

primò

primò est, qvod semper aliam aliqvam conventionis speciem, sive ex æqvo debendi causam, utraqve præsupponat: nihil inferentes obligationis, aut necessitatis præstandi qvicqvam, siqvidem eâ destituantur. Generale illud Ulpiani est (a): *Cum nulla subest causa, propter* (alii legunt *præter*) *conventionem, hic constat, non posse constitui obligationem.* Et ejusdem de stipulatione: (b), *si qvis sine causâ ab aliqvo fuerit stipulatus, deinde ex eâ stipulatione experiatur, exceptio utiq; doli mali ei nocebit.* ubi, factâ extensione, competentiæ hujus exceptionis, etiam ad eum casum, ubi *cùm interponeretur* stipulatio, *justam causam habuit: tamen nunc nullam idoneam causam habere videtur;* qvid per *causam* hic intelligatur, seqventibus, innuit, qvæ habent ita: *Proinde & si crediturus pecuniam, stipulatus est, nec credidit: etsi certa fuit causa stipulationis: qva tamen aut non est secuta, aut finita est: dicendum erit nocere exceptionem.* Astipulantur hisce illa Juliani, (c) *si stipulatus esses à me* sine causâ, *& fidei jussorem dedissem, & nollem eum exceptione uti, sed potius solvere, ut mecum mandati judiciô ageret: fide jussori etiam invitô me exceptio dari debet*, &c. Similè planè judicium esto in casu intentæ obligationis *per literas.* facit illud Pauli (d). *Non figura literarũ, sed oratione qvem exprimunt literæ obligamur:* si addas: nec oratione, nisi subsit cõsensus in causam, v. g. mutui locati, minimum liberalitatis, donandi qvicqvam aut gratis expediendi, ut accidit mandato suscepto (e). Multam hic defectus causæ chyrographum invadens dispositionem sustinet, in specie, qvâ pecunia, qvam pollicitus qvis est, & alter restituendâ sibi scribi curavit, non fuit numerata; irrita proinde exiturâ scripturâ, propter illum defectum (f). Facit diligens observatio JCtorum, in casu venditi, legati, aut aliô modô alienati chirograhi, ubi ea alienatione aut denominatione chirographi, non adeò designari volunt ipsas literas, aut orationem literis comprehensam, sed ipsam qvam continet hæc, rei causam, ipsumve qvod complectitur debitum. *Eum* aliqvis habet, *qvi chirographum legat, debitum legare, non solùm tabulas, argumento est venditio. non cum chirographa vendent, nomẽ venisse videtur.* Et alius (g) *si ita cui legatũ esset, si tabulas chirographi heredi meo reddiderit, heres meus ei decem dato. hujusmodi conditio hanc vim habet, si heredem meum debito liberaverit.* alii alibi repetunt

(a) l. 7. §. 4. de pact. (b) l. 2. § 3. de dol. mal. & met. causa except.

(c) l. 15. de fidejuss.

(d) l. 38. de O. & A.

(e) §. 13. I. mandat.

(f) l. 1. C. de non num. pec.

(g) l. 44. §. 5. de legat. 1.

(h) l. 84. § 7. eod.

tant similia (a). qvæ argumento qvoqve sunt: non tam orationem literarum, qvam rem aut rei speciem solere principaliter in negotiô atqve intenione disponentium ac destinantium versari. id qvod adeo putamus etiam fieri, ubi literis conventio celebratur, nempe intendi rem & causam negotii potissimum, signis modo literarum consignandam. Et vero hinc deinde observare est, qvoniam supra dicta cautio, de attento ac deliberato consensu, simul atqve de conventionis probatione, comitabatur stipulationis solennitatem, & literarum seu chirographorum sedulam confectionem; usu obtinuisse, ut omnis generis negotia & contractus, etiam aliàs suis qvidem constituti tibiis, mutui videl. venditionis, donationis, & reliqvi hisce conficerentur. De stipulatione loqvitur ita Ulp. (b) *sciendum est, omnes stipulationes naturâ suâ cautionales esse. hoc enim agitur in stipulationibus, ut qvis cautior & securior sit interpositâ stipulatione.* & Pompon, (c) *: conventionalium stipulationum totidem genera sunt, qvot penè dixerim, rerum contrahendarum.* De contractibus venditionum, permutationum, donationum, transactionum *in scriptis* fieri solitarum, disertè memorat qvoqve Imperator (d). & in utraqve specie stipulationum ac literarum obligationis plurimis in locis juris auctores (e). Constat qvomodo communiter verba, gestus & actus; qvomodo item sermo solennior, declarendo consensui & contrahendæ conventionali obligationi inserviant, itemqve actus qvidam, e.c. traditio rei, qvomodo huic fini ad qvasdam talium negotiorum species formandas necessarii sint.

XXXVI. Videndum nunc porrô est pauló concisius de ipsô modô, consensum utrinqve complicandi, inqve ipsum nexum obligatorium cū perducendi. Ut enim duo, qvi ad invicem causâ continendi sese brachia manusq; extendunt, imò & mox mutuo sese contingunt, nondū tamen alterū alter attinet, nisi commodus articulorum flexus, contractio, atqve compactio intercedat; Ita qvoq; consensus, obligationem contracturorum, verbis aliisqve signis significatus, atqve protensus qvasi, necdum tamen vinculum obligationis continuò videbitur nexisse, aut consentientes alterum alteri aut etiam mutuò sibi adstrinxisse, nisi idem consensus per eadem isthæc media actu utrinqve in nexum commodè fuerit deductus.

(a) l. 59. de legat. 3. l. 5. §. 1. de liber. leg. l. 18. §. 2. l. 28. de mort. caus. donat.

(b) l. 1. §. 4. de prætor. stip.

(c) l. 5. pr. d. V. O. (d) *l. contractus 17. C. de fide instr.*

(e) l. 5. pr l. 126 §. 2. de V. O. l. 5. §. 1. de act. empt. l. 4. §. ult. de usur. l. 6. §. 1. de re jud. l. 45. de pact. l. 3. C. de rer. permut. l. 5. C. de cōtra. stip. d. l. 17. & t. t. C. de fide instrum. t. t. C de non num. pecun. &c.

Xxx Ita

Ita sanè omni contractuum generi accidere posse, facilè animadvertere licet, uti persona & hæc & illa probè de animô alterutrius, inq; idem consensu fuerint edocti, forte qvod verbis aliisqve signis is utrinqve utrisqve satis fuerit manifestatus, nec tamen contractus continuo habeatur celebratus. e. g si ad Titium mercatorem deferatur animus Mævii, de coëmendâ ab isthoc merce qvadã, qvâ plane is carere non possit, nec tamen aliunde habere qveat, idq; pro certâ mercedis qvantitate, & Titius secum constituat, imò nunciare Mævio faciat, pro tantâ mercede mercem illam ipsi apud sese paratã esse, imò ipsemet eidẽ id loqvatur: donec tamẽ Mævius nondũ obtulit, nec Titius oblatũ acceptavit, necdũ emptio hactenus videbitur celebrata; huc nondum juvante qvod de re & pretio, illi inter sese consenserint. Ita fieri potest, ut vel institor atqve emptor in re & pretio consentiant, dum forte ille pretium indicaverat, alter etiam idem daturus tandem sit; post indicium verò factum aliqvamdiu minoris rem licitatus fuerit; si qvidem post fortè, ubi & ipse hic licitator ad postulatũ prius pretiũ discendit hunc ludendi ergò alter simulet sibi rem nunc majoris venalem esse, qvã ante indicaverat: certè ex isthôc, qvi prius intercesserat consensu, nec huic nec illi actio dabitur pro complendo contractu. Observare hic aliqvid huc pertinens videntur JCti in specie faciendorũ contractuum per stipulationem, & literas; qvando ut contractus & obligatio hinc teneat, rectum judicant: *causas* sive species conventionum omnis generis, *qvas in scriptis fieri placuit, aut in instrumento recipi convenit. non aliter vires habere, nisi instrumenta in mundum sint recepta, subscriptionibusq; partium confirmata, -- ut nulli liceat prius qvam hæc ita præcesserint, vel à schedâ conscriptâ -- vel ab ipsô mundô, qvod nondum est impletum vel absolutum, aliqvod jus sibi ex eôdem contractu vel transactione vindicare* (a). Qvando deinde per stipulationem contractu celebratô, ut is teneat, æqvum censent, ut utrôqve præsente, loqvente & audiente, continuus actus stipulantis, & promittentis sit, idemqve ad invicem, congruus (b). Scilicet non consensu utcunqve utrinqve prolatô imò collatô, negotium, pro faciendo nexu, absolutum hic reputant; sed illô qvi & congrue compingitur, & ad ultimum sibi mutuo consistit. Ne autem hæc ver-

(a) l. 17. C. de fid. instrum.

(b) l. 1. pr. l. 139 pr. de VO. l. 12 de duob. reis. stip. §. 1. l. de VO. §. 5. 11. de inutil. stip.

verborum ac literarum obligationi penitùs singularia videantur esse, paulò distinctius nobis perqvirendum erit: num qvi sint actus, actuúve accidentia, qvibus (cæteris circa cujusqve negotii specialem naturam rectè sese habentibus) ut consensus in nexum tandem probe confiletur, universitas conventionum ex æqvo & communiter indigeat.

XXXVIII. Cum duæ sint minimùm personæ, pactionem sive conventionem, nituræ, perqve illam in nexum consensuræ; atqve hoc qvidem, diversa ab hac & ab illa parte intentione, qvâ hic nectere, alter necti destinat; utiqve illi diversi nectendi actus, ex diversitate intentionis hujusdemqve finis, diversæ qvalitatis atqve conditionis videntur futuri esse. Nescio an æqve significatu huc sufficiant, ut placidè sonant, illa Florentini JCti, (a) ubi in specie sponsaliorum definiendorum versatus, de iis tanqvam generale dicit, qvod sint, *mentio & repromissio* nuptiarum. nam etsi *mentionem* rei, aut latentis sententiæ hic fieri deceat; illa tamen aliqvid commune est, qvod verba universim comitatur, & insuper promiscuè ab uno æqve atqve ab altero pacta inituorum, prius posterius potest fieri; neqve vero & per se vox hæc adeò multam videtur habere speciem, qvâ appareat, significare rem actumve qvi ad nexum sit pronus: nisi ad multam specialitatem; ut ita dicã, ejus significatum descendere facias. *Repromissioni* nil qvicqvam nunc velim reponere. Deinde vero etiam dubito; An *interrogatio & responsio* rem concinnè satis elevent; utcumqve gemini hi actus, in specie conventionis ligantissimæ, pro isthoc effectu jure civili non parum celebrantur (b). Etenim & hæc utraqve hujus sermonis pars multum universalis est, metam conventionalem latè excedens; nec verò adeò qvicqvam ejus figuræ virtutis per se illæ dictiones inferunt, aut præ se ferunt; qvippe interrogamus ac respõdemus æqvè an & qvæ aliqva sint, aut qvæ facta sint, qvã qvæ futura aut facienda sint, cùm à nobis, tùm ab aliis. nisi fortè posteriori voci caput *re* demas, relictâ *sponsione*, cum suô significatu, aut in ipsa compositione similem naturam agnoscas, & jam autumes, hanc qvidem vocem ad scopum collimare propiùs. Et vero, nisi multum hallucinor, est, in qvod communiter & sapientes &

(a) *l. 1. de spõsalib.*

(b) *pr. §. 1. de VO. §. 5. I. de inutil.*

vulgus hominum consentiet; nimirum à parte personæ ligandæ, actum ligatorium esse illum, qvem *sponsionem, promissionem, promissum, pollicitationem, oblationem, votum* nonnunqvam, variâ appellatione insignimus. Non curo nunc, qvomodo videri possint hæ voces, aliæ universo magis generi, aliæ huic, aliæ alii conventionum speciei perfectiori, imperfectiori, usu magis accommodari. veluti si *Pollicitatio* JCto (a) *offerentis solius promissum*, etiam definitur qvidem, & toties ut species promissionis effertur: licet existimes, pollicitationem sub tit. *de pollicitationibus* ferè tantum in subjectis exemplis considerari, tanqvam promissionem extra casum stipulationis factam. nec enim temerè autumare licet, sive pollicitationes, sive promissiones, qvæ ibi memorantur reipub. aut personis qvibusdam, in usus privilegiatos alios fieri, haberi posse citra omnem acceptationem ratas firmasqve. Deinde hic non attinet curari, si qvod *Votum* dicitur, in specie ad divina soleat referri (b): similiter *oblatio* magis ad rem divinam, aut etiam ad liberalitatem: Si *sponsio* solenni per stipulationem contrahendi modo penè propria fuerit facta (c): Et deniqve, si *promissum sive promissio* (namqve etiam hæc indifferenter usurpantur) cum conjugatis suis fere præ reliqvis usui generaliori relicta est (d). Imò præterea nec pro hisce differentiis constabiliendis, multùm morari opus erit, singularum istarum vocum singulares ferè etymologias, qvatenus votum fortassis aliqvis putaret dici, tanqvam voluntatis decretum; pollicitationem ab antiqvo qvodam promittentium ritu ostendendi jungendiqve pollices; promissionem ab eô, qvod animi destinatio consensusqve per eam qvasi pro-mittatur &c. Dico de hisce aut similibus harum vocum, aut rerum hisce suppositarum differentiis nunc non interest esse sollicitum. Esto enim modo, qvod eundem spirent effectum, vimq; traducendi consensum contrahentium in nexum dicant; & licebit hactenus, hujus rei designandæ ergò, vel promiscuè iis uti, vel saltem *promissionem* imprimis, cum etiam usus communis hanc, ut dictum est, generaliori sensui relinqvere satagit, appellare.

XXXVIII. De *vi promissionis* ad obligandum, *Insigne*, cum Baldo (e) notat Hugo Grotius (f), *argumentum nobis præbere divina ora-*

(a) l. 3. & t. t. de pollicit.

(b) l. 2. de pollicit. l. 36. de liber. causa.

(c) per l. 2. & 3 de sponsal. §. 1 2. de V. O. l. 7. de VS & pass.

(d) per l. 7. § 3 de pact. §. 1. de V. O. l. 1. 3. 11. de pollic & loca innume.

(e) in l. 1. ff. de pact. (f) cap. 11. lib. 2. de jure bell. & pac. num. 4.

oracula, qvæ nos docent: Deum ipsum, qvi nullâ constitutâ lege obstringi potest, contra naturam suam facturum, nisi promissa præstaret ex Nehem. 9, 8. Hebr. 6, 18 & 10, 23. 1. Cor. 1, 19. 10, 13. 1. Thessal. 5, 24. 2. Thess. 3, 3, 2. Tim. 2, 13. *Unde seqvitur;* pergit Grotius; *ut promissa præstentur, venire ex natura immutabilis justitiæ, qvæ Deo & omnibus his qvi ratione utuntur, suô modô communis est.* qvibus accedit, ut idem in loco hoc fatur judicium Salomonis (a): *Fili mi, si qvid spopondisti alteri, defixisti externo volas tuas: illaqveatus es verbis oris tui: captus es enunciationibus oris tui.* Item præterea his connotat promissionem Hebræis אסרה *vinculum* vocari, & voto comparari Num. 30. v. 4. 5. 6. similemqve originem vocis ὑποσχέσεως, notari Eustathio ad secundum Iliados, ἁλίσκεται γὰρ πῶς καὶ κατέχεται τὸν ὑποσχόμενον ὁ τὴν ἐπαγγελίαν δεξάμενος: *capit ac vincit qvodammodo promissorem is cui fit promissio.* Eumqve sensum non male exprimi, secundo Metamorphoseon, Ovidio, ubi promissor ei cui promiserat ait: *Vox mea facta tua est.* Hæc inqvam ibi pro veritate virtutis obligatoriæ promissionis, rectè adfert atqve concinnat Grotius, insuper pulchrè disputans contra maleferiatam hoc locô opinionem Francisci Conani, statuentis: jure naturæ ac gentium ea promissa pactave, qvæ συνάλλαγμα non habent, nullam inducere obligationem, ostendit per modo adducta aliaqve, etiam nudam & sine synallagmate promissionem, jure naturæ, putâ cætera modò rectè sese habeant, obligationem gignere. Qvibus ut omnino assentiam, veritas exigit; nec incidit, qvod monere conveniat; nisi fortè qvis Conani prophasi, forsitan præter intentionem dicentis, indulgere velit, eâ intellecturus distingvere promissionem fide habitâ acceptatam, ab eâ qvæ non acceptata sit; & illam, tanqvam synallagmate non prorsus cassam, utpote fidem saltem habitam expleturam, per dicta ista in obligatoriis relinqvi; hanc non item. Et rursus: nisi autumare ac etiam notare liceat, adducta modò pro vi promissionis firmamenta, itidem de eâ loqvi promissione (maximè qvatenus merè humana spectat) qvæ fide contra habitâ acceptata, eôqve non nuda, sed ambitu conventionis factæ, comprehensa, parsqve adeò ipsius conventionis est. Qvæ qvidem circa promissionem reqvisita attentio nobis paulò inferius aliqvantò erit manifestior, ubi scil. pri-

(a) Prov. 5, 1.

 mitùs,

mitùs, operam dederimus exqvirere, qvid ipsa promissio sit,& qvatenus à sua parte in nexum decurrere, aut verò consensum huc insinuare apta parataqve sit.

XXXIX. Igitur *PROMISSIO* qvidem, ut à capite rem involem, nil aliud videtur esse, qvam *propositi nostri alicui à nobis facta asseveratio, de aliqvo ei faciendo.* Qvod *propositi* nostri, exsertio sive adsertio promissio sit, ac esse debeat, ex iis, qvæ aliqvantò superius (a), de animi destinatione sive consensu, à latere obligandi; deqve manifestando consensu per signa sua, diximus, manifestum est. *Asseverationem* autem propositi, eam malim definitam, qvam enunciationem, exsertionem, emissionem, adsertionem, oblationem, aut qvid simile. cùm *oblatio* propriè ac potius qvidem *rei factive* videatur dicenda, qvam *propositi;* qvod tamen descriptioni huic, ut primum in conventionis nexum provehendum, omninò videbatur inserendum. *emissio* sive *exsertio* propositi, non satis inculcaturę videbantur τὸ *serium* propositi; uti & mitius idipsum propositura vox *assertio*, qvam adseveratio. *Enunciatum* verò usu lingvæ propositum videbatur elaturum, per sola verba, *neglectis signis*, ejusdem indicantibus cæteris. *Asseverationis* vocabulô, intereà & hæc non excludente; qvid enim obstaret, etiam nutu signisqve aliis firmum aliqvod animi propositum posse prodi; & propositum ipsum in medium proponente; & idem deniq; hoc, sive consensum ab hac parte serium, fidei alterius offerente, imò obtrudente. Qvando verò asseverationem propositi, alicujꝰ faciendi aut *de aliqvo faciendo* promissio dicitur; eà id accipiendum erit latitudine, qvâ jure civili dicitur, *obligationum substantiam in eo consistere, ut qvem obstringat ad dandum vel faciendum : Obligationem contrahi, qvò qvid dari fierive, fieri vel non fieri : dare facere, facere non facere* qvis aliqvid, debeat (b). juxta qvam etiam hæc facti natura jam supra (c) obligationi accommodata est. Qvod autem deinde porrò eandem promissionem describam, propositi *nostri, à nobis* alicui factam, alicujus faciendi, eò pertinet: qvia, [suppositô, agi hic de promissione obligationis coinductiva,) *suum* qvisqve arbitrium in certum ac determinatum propositum, ut conformare, ita asseverare ex sese alteri potest, & proinde tanqvam tale in nexum pro-mittere : non verò itidem

(a) nū. 28. & seqq. hoc cap.

(b) l. 3. d. O. & A. pr. & §. fin. I. de V O §. 1. I de actionib. l. 121. de R. I.

(c) lib. 2. cap. 1. n. 1.

dem alterius cujusqvam; qvia cuiqve sua peculiaris arbitrii libertas est, plenariè, imò, citra propriæ facultatis aut astipulationis concursum, planè non ullius alterius (divinam potentiam excipio) facultati determinabilis. Et qvamvis persvasio, fraus, itemqve & coactio, huc qvidem multum possint conferre, ut certò modô alterius voluntas formetur, plurimùm tamē isthæc ita hisce formatur, ut interim ad æqvum nexum cui inest personæ injiciendum inidonea sit, prout pluribus ante edocti sumus. (a) Nec verò, utcunqve conformationem ejꝰ juvent, solæ tamen, ut modò dictum, eandem nō formant, aut per modum indubitati propositi profilare valent. Unde semper tandem eò reditur, qvod propositum, qvod tanqvam consultò ac sponte determinatum obligare qvenqvam debet, ab ipsô hoc scienter ac liberè pro-mitti debeat: sive, si aliis verbis idem dicamus, qvod propositum, qvod nos, tanqvam nostri animi determinata destinatio, obligare debet, tanqvam nostrum à nobis non ab alio pro-mitti, atqve exseri, itemqve adseverari debeat atqve possit. Ex qvo adeò principiô hæc exsurgunt juris axiomata: *De se qvemq; promittere oportet* (b). *certissimum est, ex alterius contractu neminem obligari.* (c). Qvæ tantæ sunt observationis, ut ne conjunctæ qvidem personæ, etiam qvæ singularis obseqvii atqve potestatis respectu sibi aliàs obstrictæ sunt, præfectęqve, altera alteram sine propriô consensu, tanqvam ex consensu ipsarum obligare valeant: veluti pater filium; dominus servum; patronus libertum; maritus uxorem: aut contra hi illos, uti pluribus, tùm alibi, tùm sub titulis Codicis Justinianei: *(d) Ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore, vel mater pro filiô conveniatur.* Item: *Ne filius pro patre, vel pater pro filio- vel libertus pro patronô, vel servus pro dominô conveniatur;* id declaratum videre est: plerisq; hisce titulis subjectis exemplis, ad genus contractuum mercimonialium pertinentibus. sicuti & illud huc pertinet, qvod de reqvisitò in nuptialem contractum consensu est, etiam in potestate constitutorum; tametsi aliàs in hoc negotio permultum æstimetur dispositio consensusqve parentum (e): qvando videl. *nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est, qvi coëunt, qvorumq; in potestate sunt.* (f) *In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, qvorum in nuptiis desideratur* (g). Qvibus nullô qvi-

(a) num. 10. et seqq. It. n. 14. & seqq.

(b) l. 83. pr. de VO. (c) l. 3 in f. C. ne uxor. pro marit.

(d) 12. & 13. lib. 4.

(e) pr. I. de nupt. l. 11. de stat. hom. N.

(f) l. 2. d nupt.

(g) l. 7. §. 1. de sponsalib.

qvidem modô in jure civili obverſatur, qvod Dominus, pater, aliusvè Magiſter ſuperior obligetur ex contractibus ſervorum, filiorum, aliorumqve, qvos certis negotiationibus certovè negotiandi generi, veluti navis exercendæ, tabernæ curandæ, peculio adminiſtrando, navi, cauponæ, ſtabulo, cuſtodiendis, exercendis, præfecerunt (*a*); qvandoqvidem conſtat, vel ſpeciali & expreſsô, vel generali ac tacitô ipſorum propriò conſenſu adhibitô, contractus ab his habitos coire: ejus inſuper naturæ exiſtentibus his negotiis, ut ſimul horum, tanqvam principalium cauſa propria in iis agitetur. ſimilisq; valebit ratio, ubi ad certum negotium certi extranei homines, à nobis, ut noſtrò nomine qvicqvam agant, gerant, contrahant, demandantur, aut, ſi illi noſtro nomine aut tanqvam ex noſtro conſenſu, qvid egerunt, contraxerunt, nos id ratum poſteà habemus (*b*); obtinènte ferè regulâ: *qvemvis per ſe feciſſe videri, qvod per alium fecerit.* itemqve vigente in re obſervatione: perſonas illas contrahentes, multâ parte, animatorum inſtrumentorum inſtar eſſe ſuorum principalium, qvi propriè illi ſunt, qvi per ipſos negotiantur aut contrahunt. Neqve ſimiliter hic pugnat: qvod in heredes obligatorum ex contractibus obligatio communiter tranſeat; imò in caſu pendentis virtutis ejus, etiam incipere qvaſi eadē his poſſit, ex cauſis crediti (*c*); prout hoc etiam aliàs ſemper ſit in cauſa legati & fideicommiſſi, ab herede aut legatario exſolvendo. Qvia nempe eô ipsô, qvod adit qvis, aut ſeſe immiſcet hereditati, tacitè conſentit, vel ſaltem non poteſt non conſentire in onera patrimonialia omnia, tum qvæ defuncto ipſi antea incubuerunt, tum ſi qvæ ex voluntate ac diſpoſitione ejusdem noviter ei ſunt ex permiſſu legum impoſita, legata, fideicommiſſa, & reliqva (*d*). unde etiam eſt, qvod qvi adiit hereditatem, qvivè ſe immiſcet contrahere videatur, aut dicatur qvaſi contrahere (*e*). Eſt verò & porrò notabilis juris interpretum juxta præmiſſum caſum, qvi eſt, qvod alius ſuâ promiſſione alium obligare neqveat, obſervatio, qvod ne ſeipſum qvidem, de alieno facto promittens, qvisqvam obliget. *ſi qvis alium daturum, facturumvè qvid promiſerit, non obligatur. veluti ſi ſpondeat Titium*

qvin-

(*a*) t. J. qvod cum eo, qvi in alien. poteſt. eſt negot. geſt. t. ff. & C. eod. It. de exercit. de inſtit. qvod juſſu. de pecul. de recept.

(*b*) J ff. & C. mandat. de negot geſt. de tutel. & alib.

(*c*) §. 1. J. de perpet. & temp. act. l. un. C. ut. actiones & ab heredibus & contra heredes incipiant & alibi.

(*d*) l. 8. de acqvir. hered l. 1. ſi qvis omiſſ. cauſa teſtam. & alibi locis innumris.

(*e*) l. 3. in f. um l. ſeq. qv. ex cauſis in poſſeſſ. eatur, §. 5. J. de obl. ex qvaſi contract.

qvinq; aureos daturum. Imp. in Instit. (a) loqvitur. Item (b) *qui alium facturum promisit, videtur in ea esse causâ, ut non teneatur.* Mutuans sine dubio isthæc à Paulo, Ulpiano & JCtis aliis: qvorum Ille (c): *Inter stipulantem & promittentem negotium contrahitur. itaq; alius pro alio promittens, daturum facturumve eum, non obligatur.* Iste (d): *Nemo alienum factum promittendo obligatur.* forte hæc ex ratione, qvod promissio videatur extra potentiam promittentis, factiqve qvasi impossibilis, cujusmodi obligatio alias qvoqve nulla haberi solet (e). Intellige autem hæc, donec promissioni proprium factum absit: Si enim qvis alterum facturum qvid promittat ita, ut se id effecturum, vel expresè dicat, vel etiam propter facultatem in personam illam, tacitè id intelligatur dicere: sive etiam, qvod, nisi ab altero fiat, ipse pœnam à se præstandam promittat, aut alias bona interpretatione ex natura negotii factâ, id in promissione esse, qvod is se facturum, ut ab alio fiat, promiserit, colligatur, jam per dicta atqve alia juris loca (f), obligatio, qvoad proprium hoc promissi facti aut pœnæ, tenet. & recidit res qvidem in casum propositum, qvo promissio de se facta obligans demum esse adseritur.

(a) §. 3. de inut. stip. (b) §. 20. eod. (c) l. 83. de V.O. (d) l. 38. eod. (e) §. 1. & antepen. de inutil. stip. (f) add. l. 81. de V.O. l. 18. rat. rem hab.

XL. Qvando deniqve ad promissionem hanc reqviritur qvod sit facta *alicui, ei* aliqvid faciendū præstandūve: innuitur, eam suô tandem cum effectu obligatoriò processuram, qvò ad præstationem *ipsi personæ*, cui promissio facta est, faciendam, *non* etiam qvd *alii*: qvod tamen cum eô salis granô accipiendum est, ut *illi alicui* etiam præstari intelligatur, qvicqvid modò ei bono futurum, aut ejus intersit, ut præstetur; sive id illi ipsi, sive alii in manus detur, aut factum exhibeatur. imprimis vero ut etiam hoc nomine teneat, si qvid alicui promissum, ut personis sibi jure, itemqve insigni affectione conjunctis præstetur. Cæterùm ubi tandem nihil prorsus interest ejus cui promittitur, res videri potest in frivolam & nugatoriam abire agendi rationem, sollicitudinemqve vagam, & propositum ineptum, veluti si qvis Titio Germano se velit obligare, ut Mævio cuidam Gallo, qvem tamen nec ipse nec Titius forte novit, nec Titii qvicqvam intersit, ut promissum is accipiat, nummis ei detur, aut aliqvid officii præstetur. cùm ferè ita etiam natura comparatum est, ut qvisqve habeat curare potiùs qvæ

sua sunt, seqve attingunt; & qvandò alicui in alterius gratiam benefacere volumus, nosqve ad id promissis obstringere, uti intelligamus, id potius fieri in beneficii veritate, qvam juxta vanam ac frivolam hujus alicujus nos obligaturi phantasiam; qvippe cum hôc potiùs, qvam bonum eidem præstare, esset stultitiæ ejus indulgere. vel etiam, si mitius rem interpretenur, videri posset, qvando tale promittebatur & promissum acceptabatur, non fuisse rem seriò actam: prout in simili, contractus figuram habente negotio, ob adjectam conditionem impossibilem arguunt Jurisperiti (*a*). Res hæc à juris civilis auctoribus pluribus pervehitur; sed versis qvidem velis, ad latus alterum. Nempe sermonem hi applicant illi, qvi ex promissione alterius obligationem, ut illi qvandoq; loqvuntur, vel etiam jus, rem, actionem, ut itidem nonnunqvam, & fortè congruentius, idem efferunt, acqvirere satagit: statuentes non *posse qvenqvam alteri stipulari*, (not. sub stipulatione, Jurisprudentiæ nostræ freqvens esse, universalem conventionis naturam inculcare) aut qvàvis conventione *obligationem, actionem, jus acqvirere*; nisi id, ut alteri illi acqviratur, suâ qvoqve intersit, aut persona illa cui acqviritur, sibi sit conjuncta, & ita qvasi pro una cum ipsô, juris connexione, persona habeatur; cujusmodi sunt, qvæ familiæ, aut aliô simili jure nobis connectuntur, qvorumve negotia ex ipsorum mandatò vel qvasi, ipsis gerimus. Unde igitur & hunc casum connotant illi regulæ tanqvam exceptionem. *Alteri stipulari*; ingeminant JCtus & Imp. (*b*) *nemo potest; præterqvam si servus domino, filius patri stipuletur: inventæ sunt enim hujusmodi stipulationes vel obligationes ad hoc, ut unusqvisq; acqvirat sibi, qvod sua interest. Cæterum ut alii detur nihil interest mea:* stipulatoris. Addunt & hôc locô uterqve remedium, negotium ad proprietatem propriumve commodum acceptantis perducendi, ut certam is qvantitatem pœnæ nomine stipuletur à promittente, in casum non servati promissi, de præstatione alicui tertio facienda. *Planè* ajunt, *si qvis velit hoc facere*, puta alteri obligationem acqvirere, aut licet illi non acqvirat, promittentem tamē efficaciter obligare *pœnam stipulari conveniet:* comple, *sibi*, non eidem alteri (*c*): *ut nisi ita factum sit, ut comprehensum est, committatur pœnæ stipulatio*, h.e. incipiat stipulatò promissa pœna.

(*a*) §. 10. I. de inutil. stipul. l. 7. d. V. O. l. 31. de O. & A.

(*b*) l. 38 §. 17. de V. O. § 18. de inut. stip.

(*c*) per l. 42. d. rec. qui arbit.

pœna, deberi, *etiam ei cujus nihil interest*, putà promissum alteri præstitum esse aut non esse. *Pœnam enim, cum stipulatur qvis, non illud inspicitur, qvod intersit ejus, sed qvæ sit qvantitas in conditione stipulationis*. An fortè justitia hujus rei in eô consistat, qvod vel tacitè interesse possit, & præsumatur interesse, ubi tàm seriò rem stipulator agit, ut certi æstimet. promissum non factum; vel qvod hôc modô seriò admodùm in nexum ire promissor videatur, dum etiam pœnæ destinatione, certitudinem promissi, alterius fiduciæ ingerit; vel deniq;, qvod hoc modô certum sibi ipsi debitum, fidens in promisso seu obligatione demonstrare possit. De casu autem ubi qvis alteri stipuletur, qvod eidem fieri, sua interest; ita porrò loqvuntur iidem justi diribitores, locô circiter eôdem (a): *Sed si qvis stipuletur alii cum ejus interesset, placuit stipulationem valere obligationemq; teneri in specie hujusmodi.* exempla adferunt: si, qvi pupilli tutelam administrare cæperat, cedens administrationem contutori suo, ab eo rem pupilli salvam fore stipuletur; qvoniam interest stipulatoris, fieri qvod stipulatus est, cum obligatus futurus sit pupillo, si is malè res gesserit. Item si qvis procuratori suo dari stipulatus sit: sive creditori suo, qvod suà interest. sufficiant loci hi adducti vice plurium, sparsim per jus nostrum civile, eadem inferentium. Porrò verò, in respectu & cum applicatione ad qvalitatem illius alterius personæ, qvâ ea, vel conjuncta nobis est, vel alioqvin addicta. ferè ita nostri illi ratiocinantur; ut & necessitati simul & personarū conjunctioni, non parum velificentur, admittentes, ut *obligatio* rerum simul ac personarum, sive; ut in relatô procedam, *jus* omnis generis, dominium videl. possessio, actio, debiti cujusq; ex obligatione personali contracta exigendi (b), nobis acqviratur, imprimis autē domino ac parenti, in cujus potestate sunt, à filiô-familias ac servis variæ conditionis. nempe *cum & natura pater & filius eadem esse persona penè intelligantur* (c). & servi qvasi instrumentum animatum (d), imò pars corporis domini (e); *admonendi sumus acqviri nobis* illa qvæ dixi, *non solum per nosmetipsos, sed per eas qvoq; personas, qvæ in nostra potestate sunt, veluti per servos & filios nostros* (f). *Ast ei qvi juri tuo subjectus est, si stipulatus sis, tibi acqviris: qvia vox tua tanqvam filii sit, sicuti & filii vox tanqvam tua intelligitur, in bis rebus*

(a) §. 19. d. t. § 20. & seqq. d. l.

(b) § 3. & 4. I. per qvas pers. cuiq; acqv. t. 1 per qvas pers. nob. obl. acq. (c) l. fin. C. de impub. & al. substit. (d) Arist. 1. polit. (e) arg. l. 5. C. ad L. Jul. Maj.

(f) d. tit. I. per qvas pers. nob obl. acqvir.

qvæ tibi acqviri possunt (a). *Placet dominum servo dari stipulari posse*(b) Et vicissim: *sive autem domino sive sibi- sive impersonaliter servus stipuletur: domino acqvirit. idem juris est in liberis, qvi in potestate patris sunt. &c.* (c)Item(d): *Hi qvi sunt in aliena potestate, his in qvorũ sunt potestate habere licere stipulari possunt, ea ratione qva cætera qvoq; his possunt stipulari.* Ita de his juridici planè; nisi qvod in acqvisitione *facti* per conventionem, non nihil scrupulentur, non admittendum ferè judicantes, ut facti facultas, qvam sibi exercendam stipulatur servus, domino temerè acqviratur (e): fortè propter peculiarem hanc rationem, qvia promissor, ejus solius personam videatur respexisse. Ita & rentur (f): *qvod dicitur patrem filio utiliter stipulari, qvasi sibi ille stipularetur, hoc in his verum esse, qvæ juris sunt, qvæq; acqviri patri possunt. alioqvin si factum conferatur in personam filii: veluti, ut tenere ei vel ire agere liceat, inutilem fore stipulationem.* Extendunt verò deinde, qvâ fictam hanc identitatem personæ porrò largissimè illam rationem, qvandò servis etiam hereditariis concedunt hereditati tanqvam dominæ stipulari; qvæ modò non ut personalia personæ liberæ statim ut constituta sunt, inhærere necesse est (g). qvando deinde toties ab iis stabilitur jus illud atqve æqvitas transmittendarum actionum ex contractu ferè omnis generis, & simul etiam pluribus casib. ex aliis causis, ad contrahentium (h) successores atqve heredes: stabilito insuper jure cedendarum alienandarumqve actionum juriumqve (i) inter vivos. Imo notabilia sunt præterea illa legum indulta, qvibus insignis cujusdam necessitatis, utilitatis, aliusqve favorabilitatis ergò, receptum est, ut tutor curatorqve pupillo, minori, aliisqve sub cura constitutis personis (k): itemqve servus publicus & magistratus municipalis pupillo (l), procurator militis militi(m), actor municipii municipibus (n), paciscendo obligationem actionemqve possint acqvirere, & si qvi sunt casus alii similes. Cæteroqvin autem extra hosce expressè probatos casus, pluribus ab iisdem peritis probari semper ac declarari videas priorem Maximam: scil. Alteri per extraneum alterum nullam conventione obligationem aut actionem directò posse acqviri. *Si qvis*

(a) §.4. inf. de inutil. stip. (b) l.28.§.2.d. stip. servor. (c) §.1. & t. t. de stip. serv. (d) l.38 §.6. de V. O. (e) d.l.38.§ 6. de V O. §.2. de stipul. serv. (f) l.130. de V. O. (g) pr. I. de stipul. serv. junct. l 26. ff. eod. (h) l.38.§ 5. de V. O. §.1. I. d. perpet. & tempor. act. l. un. C. qvand. actor ab her. per mater. de successión. & passim ubiq;. (i) t. de hered. vel. act. vend. l.13.17.36 41.§ 1. de fidejuss. l. 3. 11. C. eod. l. 95. §.10. de solut. &c. (k) l.5 §.9. de pecun. const. l.2.4. C. qvando ex facti. tut. r.

(l) l.2.3.4. rem pupill. salv. for. l.1.§. exigere de magistr. conven. (m) d.l.26. de reb. cred. (n) d.l 5. §.9. de pecun. constit.

qvis alii, qvam ei, cujus juri subjectus sit, stipuletur: nihil agit. proponit Imp. (*a*). libet autem ulterius rem cum limitationibus suis de *extraneis* per textus legum paucis significare: Pauli JCti est considératum responsum (*b*): *Per liberam personam, qvæ neq; juri nostro subjecta est, neq; bona fide nobis servit, obligationem nullam acqvirere possumus.* rem sub generaliori proponens typo, de acqvisitione videl. rerum in universum, Justinianus addit (*c*): *Item nec per alienos servos, in qvibus neq; usumfructum habetis, neq; possessionem justam.* subjiciens, hoc illud esse, qvod dicatur: *per extraneam personam nihil acqviri posse.* Ubi tamen secundum qvandam divi Severi constitutionem (*d*). iterum excipere placuit casum, qvo *per liberam personam, veluti per procuratorem, non solum scientibus, sed & ignorantibus nobis possessio, & per hanc possessionem etiam dominium acqviri nobis posse admitti debeat.* Ipsa illa constitutio habet: *Per liberam personam ignorati qvoq; acqviri possessionem tam ratione utilitatis, qvam jurisprudentiâ receptum est:* qvib9, causâ simul hac possessionis prolatâ gemina sunt illa Dioclet. & Maxim. AA (*e*) *excepta possessionis causâ per liberã personã, qvæ alterig juri õ est subdita, nihil acqviri posse indubitati juris est.* astipulãtur his alii prundetes alibi (*f*): cum hac qvali limitatione, ut durante tamen re in statu, qvô procurator adhuc solus possidet, actio personalis domino citra procuratoris cessionem nondum plenè competat (*g*). In specie verò deinde obligationis per conventionem alteri acqvirendæ, ubi plurimum simpliciter negativè concludunt periri (*h*); extendunt iidẽ hoc etiam ad personas cõjunctas alias, præter eas, de qvibus diversum admitti superius adductum est: non item permittentes, qvod, sicuti servus domino, ita & libertus patrono dari stipulari posit (*k*); non sicut heredi in genere, ita & certæ personæ futuri heredis (*l*). Neqve deinde juvari volunt extraneum, ut hæc obligatio ei ab altero acqviratur, si adjectus fuerit personæ paciscentis, veluti siqvis stipuletur: mihi aut Titio sive mihi & Titio dare spondes? qvamvis facultas hôc ipsô debitori acqvisita intelligatur

(*a*) §. 4. I de inutil stip.
(*b*) l 126. §. 2. in med. de V. O.
(*c*) §. 5. I. per qvas pers. cuiq; acqv.
(*d*) l. 1. C. d. acqv. possess.
(*e*) l. 1. C. per qvas pers. nob. acqv

(*f*) *l. 49. §. 2. l. 43. §. 1. l. 42. §. 1. de acqv. poss. l. 20. in f. de acqv. rer. dom.* (*g*) *per d. l. 49. §. 2. de acqv. poss. l. 27. in f. de procur.* (*h*) *d. l. 1. per qvas pers. nob. acqvir. l. 5. §. 6. & seqq. de constit. pecun. l. 44. de condit. & demonst.* (*i*) *l. 126. §. 2. in med.* (*l*) *l. 137. §. 2. de V. O.*

tur, solvendo etiam alteri illi, sese liberare (a). ubi qvidem & hunc effectû tamen hęc adjectio habet, qvod si copulativè adjectus alter sit, saltem dimidium ipsi stipulatori debeatur [b]. siqvidem divisibilis res sit, & idonea ut adjecto qvoqve acqviri possit [c]; cæteroqvin totâ ipsi mansurâ. Cæterum isthæc omnia tamen fere cum tali aliqvô moderamine adseri notabile est, ut si qvidem præsente & consentiente alterô, ejus nomine qvid fuerit contractum; Itemqve si res ejus ad contractum interveniat v. g. mutuò aut aliô modô alteri detur, tum eidem utilis actio inde fere conqviratur. *Si procuratori præsentis fuerit cautum, ex stipulatu actionem utilem domino competere nemo ambigit.* Ita Ulpianus loqvitur (d) de casu præsentiæ domini. In casu vero rei domini intervenientis distinctissimè Justinianus: (e) *-per liberam personam, si pecunia alterius nomine fuerit numerata, - ei cujus nomine pecunia credita est, per hujusmodi numerationem - sancimus, & condictionem & hypothecariam actionem, vel pignus - eorum, qvæ procuratori data vel supposita sunt - ipso jure & sine aliqva cessione ad dominum contractus pervenire.* cui qvidem sanctioni, qvomodo præluserint JCti videre est alibi (f). Atqve hæc etiam declarata vis est promissionis, qvatenus personam, *cui* illa fit, atqve obligationē paritura est, respiciat, reliqva definitionis, si qva sunt, declaratione minus indigebunt.

(a) §. 4. I. de inutil. stip. (b) ibid. (c) per l. 5. commun. præd.

(d) l. 79. de V. O. add. l. 27. d. procur.

(e) l. 2. C. per qvas pers. nob acqv.

(f) l. 68. de procurat. l. 5. de præt. stip.

XLI. Si autem porrò nunc disqviratur; Utrum igitur oblatio promissiva sola, per omnia juxta memoratum hactenus modum instituta, & qvatenus qvidem non integram conventionem, sed partem ejus denotat, obligationem promittenti, jus sive autem potestatem exigendi ei cui fiat, affingat atqve pariat? Istud qvidem est, qvod necdum admittendum putem, donec nimirum in amplexum *fiduciariæ acceptionis* illa nondum justè pervenerit, haud magis atqve porrectâ manu, teneatur, qvi extendit eam, anteqvam ab eo cui porrigitur comprehensa ista fuerit: competente illi, donec id factum nondum fuerit, semper libertate, eam retrahendi, non minus atqve huic competit facultas, prehensionem recusandi, aut etiam postqvā ipsam præhendit, prænsam, qvantum ad se, remittēdi. Argumento certissimo est, qvod, cum aliàs plenæ conventionis, promissô simul atqve acceptatione justâ, constantis est, esse irretra-

tractabilem invitò alterò, prout ostensum qvoqve est supra (a), huic, meræ scil. promissioni, contra accidat; nempe qvod ad arbitrium promittentis revocationi sit obnoxia. juxta qvam naturæ æqvitatisqve peritis per plurima jurisprudentiæ capita observatur. Sub tit. de pollicitationibus; ubi etiam qvasi peculiari pollicitationis nomine, qvod *offerentis solius promissum* sit, hæc donatur (b); & pactô, ut conventioni ex duorum consensu, hâc naturâ opponitur: Ulpianus cuidam Charidemo respondet (c): *Ex epistola, qvam muneris edendi gratia absens qvis emisit, compelli eum ad editionem non posse.* Et iterum, in libro qvodam de curatore Reip. *Ex pollicitatione, qvi sine causa promisit, non erit obligatus, & ita multis constitutionibus & veteribus & novis continetur.* (d) Atqve iterum ~~alibi~~: *Toties locum habet diminutio pollicitationis in persona heredis qvoties non est ob honorem facta, &c.* Tametsi magis argumentum, qvod in protasi verba hic de *promissione solius offerentis* disertè fovent, & sine omni dubio, pariter in intentione si non prius proponentium saltē cōpilantium per subjecta exempla hæsit, amem; qvam ut diffitear, tum horum aliqva, tum cætera pleraq;, qvæ sub eodem titulô continentur, non tam simplicem ac uni-laterem promissionem præ se ferre, qvàm eam, qvæ qvomodocunqve in qvandam usqve conventionem perducta, nudam tamen, & civili lege reqvisitis firmamentis destituta sit: prout naturam facti per dictos textus collustranti, facilè potest liqvere, reperturo eò tendere auctores plerosqve istarum legum ipsos, ut ostendant exempla, qvibus promissio, citra reqvisita aliàs civili lege conventionibus solemnia, ex summâ tamen æqvitatis atqve congruitatis ratione, civilem comprobationem mereatur; veluti si ob honorem sibi decretum, vel decernendum; si propter incendium vel terræ motum, vel aliqvam ruinam, qvæ reipub. contigit Reipub. qvis promiserit; si opus promissum jam inchoarit promissor, &c. Fortè etiam per nomen pollicitationis periti simul possunt intendisse causâ liberalitatis, qvomodo & alibi intra legitimæ conventionis circum promissum liberale pollicitatio audit. Cæterùm, utut titulus ff. *de pollicitationibus*, nudæ necdùm acceptatæ, eoq; nec obligatoriæ promissionis exempla suggerat; ejus tamen generis aliqvid nervosè præbet Legatum, omnisq;

libe-

(a) n. 40. hoc cap.

(b) l. 3. de pollicit.

(c) l. 5. eod.

(d) l. 1. § 1. eod.

liberalis testamentaria dispositio; qvippe tota naturam donationis ac liberalis promissi hæc videtur habere, ejus tamen, qvod citra acceptationem justam consistat; cum & hereditaria isthæc, ne acceptari qvidem justè, nedum cum obligationis inducendæ effectu, possint, cumne sit qvidem aut citra turpitudinem agnosci possit viventis hereditas(a); taceo, qvod plurimum tacita, tecta atqve obsignata hæc maneant omnia, usqve post mortem disponentis, ejusvè qvi donationem in chartam pro-miserat. At receptissimi simul juris atqve æqvitatis esse constat; *ambulatoriam*, hoc est, mutabilem ac revocabilem *esse testantis voluntatem*, cumq; hac, hoc genus promissi, *usq; ad extremum vitæ exitum*, utut testato ac solemni instrumentô eadem concepta extet-*(b)*. Et elucet qvidem insigniter in hoc casu, vis acceptationis, qvam habet ad promissum confirmãdum: dum palàm est; qvamvis testamentariam liberalitatem, utcunqve jam extra potestatem revocandi dantis posita est, puta, ubi jam morte sublatus ille est, tamen non valere, antè, qvam à promissariô donatariôve principali, h.e. herede, acceptetur, hereditatis aditione, qvam vocant, & pro fundamento valoris testamentarii ponunt[c]. Præterea aliud indicium revocabilitatis non acceptatæ promissionis, præbet, (dico indicium prębet) species, qva aliis nostrô nomine qvædam agere, promittere mandamus, ubi sane, qvia omne mandatum, dum adhuc integra res est, revocare licet(*d*), licebit & intentatam ac jam dum ad mediatorem mandatarium translatam promissionem; hoc effectu, ut si alter nihilô minus nostrô nomine, tanqvam nostram aliqvam promissionem pergat explicare, illa nullius momenti aut efficaciæ possit esse. Vivum in hoc genere & aliqvantô ulterius extensum præbent exemplum JCti in filiô, qvi à patre jussus est servum manumittere, mutatâ postmodum, anteqvam id fieret patris voluntate: Ubi tanqvam ex Juliano rem adducunt hoc modo [*e*]: *si pater filio permiserit servum manumittere, -- ignorante autem filio id fieri vetuisset per nuncium; filium autem anteqvam id certior fieret, servum manumisisset; liber hic non fit. nam*, pergit ibi ratiocinari Consultus; *ut filiô manumittente servus ad libertatem perveniat, durare oportet patris voluntatem, nam si mutata fuerit, non erit verum, volente patre filium manumisisse.* Ex hisce expli-

(a) per l.62.§.1.de her.vend l.1.pro hered.

(*b*) *§.2.qvib.mod.testam.infirm.l.13.de adim.leg.l.32.§.3.de donat.*

(c) §.6.I.de hered.qval.et diff. junct. l.181.de R.I.l.9.de test.tut.

(d) §.9.I.mand.l.12.§.16.eod.

(e) l.4.pr.de manumis.vind.

plicandum erit ſimile reſponſum Pauli, utpote ex Juliano deductum, ſub tit. ff *qvi & à qvib. manumiſſ. liberi non fiunt* (a). Erit & eadem retractio promiſſionis commiſſæ, ſub retractione mandati, ſi anteqvam id expediatur, mors mandantis interveniat, eamqve etiam prius, cognoſcat mandatarius (b). Amplior in hiſce eſt Grotius dict. loco (c) cap. *de promiſſis*. Addas pro ratione, promiſſionem omnem vetam, (aliud autem dicendum de minis) fovere qvaſi benefactum, receptisſimæ autem juſtitiæ eſſe, invito h. e. non acceptanti, beneficium non dari (d). Breviter, id omninò ex hiſce & ſi qvæ ſunt ejusmodi alia, experientiâ ſimul aſtipulante, videtur licere arguere: promisſionem, ut firmo indat promittentem vinculo, ex qvo ſcil. teneri hic atq; ab eo qvid exigi posſit, opus habere, ut amplexum acceptationis ſubeat, ſive tandem veræ, ſive præſumptæ fidei hæc innitatur. Et adeò, ſi qvis efficacem, putà cum effectu pariendæ obligationis, promisſionem à nobis definitam deſideret, poſitioni noſtræ ſupra num. 41. datæ inſuper addi reqvirerem, ut illa propoſiti noſtri adſeveratio, qvæ promisſio eſt, *acceptata* ſit.

(a) l. 15. §. 1. (b) per d. l. 4. & l. 15. add. §. 10. I. mand. (c) n. 12. 15. 18. & ſeqq. (d) l. 69. de R. I. l. 19. de donat. add. l. 191. de R. I.

XLII. Ipſam vero deinde *acceptationẽ*, qvod attinet, hæc ut etiã naturâ ſui obligatoria ſit, pro fundamentô, cui innitatur, remotô qvidem, deſiderium, propinqvo autem, ac verò qvidem in obligandi effectum, habet *fidem*, per ea, qvæ de hâc ſuperius ſunt dicta; ubi tamen non multum eqvidem laborandum duxerim, intenſiorne an remisſior in acceptante fides lateat. qvippe, exſerto propoſito, ut per ſe in nexum decurrenti, apprehendendo, hæc qvalis qvalis videri poteſt ſufficere, qvæ ſola minus qvidem efficaciæ ad ligandum aliqvem habere potuiſſet. Unde adeò videri qvoqve poteſt id eſſe, qvod nunqvam temerè obligationem aut conventionem exinde audiamus redargui, qvod acceptator non ſatis firmam promiſſori fidem habuerit. Signa deinde qvibus fides, animiqve approbatio, in manifeſtatam acceptationem abeat, eadem planè erunt, qvæ propoſiti: etenim hactenus, ut intentio animi ex occultô protrahatur, utrinqve eadem videtur eſſe ratio. qvamvis, qvia acceptabilius eſt, bono aliqvô affici, qvam onerari, fortasſis proclivior hic,

qvam ibi, in assensum asseverandum interpretatio erit futura. Unde sine dubio & illud est, qvod in liberalibus promissis, sive inter vivos qvid offeratur, sive per dispositiones ultimæ voluntatis, non temerè qvisqvam habebitur, pro non acceptante, licet casu interveniéte, nihil dum de voluntate suâ ante significavit; qvin præsumetur acceptasse, adeòqve promissio vix non statim obligatoria habebitur. qvod ipsum eò videtur etiam facere, qvod communiter factâ solius *promissi* mentione, eidem obligationem debitumve verbis annectimus. *ex promisso* dicentes, *qvemq; obligari*; *promissum omne cadere in debitum.*

XLIII. Qvoad ordinem, qvô ipsa fides, ac propositum, aut etiam signa alterutrius sese antecedant aut subseqvantur, nihil interesse putes. modò si acceptationi conclusionem, sive consummationem actus relinqvas. Eqvidem cum propositum, ac fiducia, motus sint singulatim, ac diversim existentium liberorum animorum, in proclivi fieri est, ut modò hic, modò alter prior erumpat; jam non rogatus qvis aliqvid offerat, jam prius rogetur idem, rogatusqve promittat. simplicissima methodô videtur utrinqve conventio coire, ac duobus qvasi actibus constare; ubi prius promissor *oblatione* prodit, alter *acceptat*; qvemadmodum in insperatis solet accidere liberalitatibus. Imitari qvodammodò hanc qvoqve simplicitatem videri potest, si præcedat interrogatio, & subseqvatur responsio promissoria; prout olim in stipulationibus usu venit. cæterum hic omninò intelligere erit, qvasi rogationem præcedentem, ut qvoqve autumat Grotius (a), durare, & vim habere acceptationis; seu, ut potius videri hic possit dicendum, fiducialem intentionem per interrogationem significatam, continuari, cumqve promissione ac post eam factam intendi, & usqve in acceptationem acceptantemqve fiduci conformari. Nàq; aliàs acceptare propriè videmur posse, non promittendum, sed promissum, ut adeò vel hoc in casu, putà, qvo rogatio antecedit; promissio seqvitur, conventio reapse potiùs triplici videatur constare actu: *motione* videl. seu rogatione *promissione & acceptatione*, sive tacita hæc fingatur qvovis modo fieri, sive expresse facta sit. Qvibus actibus ex abundanti mos & promptitudo servandi, *asseverationis*, (ut desiderium

(a) d. cap. n. 14.

rium obtinendi postulationis) *ingeminationem* solet addere. Definires *acceptationem*, qvod assertio sit, qvâ creditor seu fiduciarius promissori, aut ei qvi fortè alius vicem ejus sustinet, significet, desiderare sese promissa, fidemqve habere assertioni ejus: vel qvod sit *consensus de accipiendo promisso promissori facta declaratio.* Nec vero dubites esse hanc, qvæ, promissionem amplexa, unâ cum illâ, & conventionem in perfectione sua constituat; & obligationem conventionalem progeneret.

XLIV. Non libet nunc pluribus indigare, si oratio intercedât, qvibus in specie verbis, utrinqve consensus sive declaratio sive coinsinuatio potissimum constare debeat, ut conventio naturaliter teneat. placent, qvæ tandem stipulatoriæ conventioni sufficere Romanæ jurisprudentiæ visa sunt: ut non attentâ aliqvâ solennitate verborum, *sensus & consonans intellectus ab utrâq; parte solùm desideretur, qvibuscunq; tandem verbis expressum sit* (a). Neqve etiam multis expiscari opus erit, momenta, qvibus combinatio utrinqve debeat fieri, an aliqvod, aut qvantum intervallum perpeti possint, rogatio, promissio, & rursus acceptatio; qvò non impediatur, ut in nexum ducantur animi. Id solummodò ex legibus, antiqvæ stipulationi datis, observare est, convenientissimum fore, ut qvam continentissimè sese mutuò isthæc excipiant (b); Scilicet, qvo magis hæc fiant in continenti, eo minùs periculi est, de mutatione proæreseos in aliqvo partium; eòqve liqvidior est præsumptio, de attinente utrinqve consensu; ejusdemqve in unam sententiam decursu. Tametsi non tanta interea videatur in momentorum continentiâ ponenda religio, ut planè omne aliqvantò laxius temporis intervallum excludatur. (loqvor in casu, ut conventio ex æqvo teneat) Pone enim qvod inter absentes, qvod per nuncium, qvod per epistolas, hinc inde animi declaratio facienda sit, ut fieri potest (c). qvibus utiqve casibus, temporis qvantitas, vix videtur rei concisæ adeò attemperari posse. Ut proinde in illo hic videri possit, acqviescendum esse, qvo pro continentibus habentur, cum promissione acceptatio; *si adseveratio propositi, citra frustrationem fidei ex promisso haustæ, habitæ, atqve acceptatæ, retractari non possit*; veluti si per epistolam aut nuncium legatumve qvis largiter promittat aut

(a) §. 1. I. de V. O. add. l. 10. C. de contrab. stipul.

(b) l. 1 §. 1. l. 137. de V. O. l. 12. de duob. reis stip. §. 11. de inut. stip.

(c) §. un. de obl. ex consens.

promittere faciat, alter fidat, & res suas ad hæc componere propo-nat aut incipiat. utiqve summæ videbitur æqvitatis res, proposi-tum hoc modô fide exceptum, in nexum esse translatum, utcunq; interea temporis, dum primùm ederetur illud, & postea acceptare-tur, domi pœnitentiam aut mutationem fuerit passum. Sanè hâc fide qvælibet inter gentes fœdera, & multa privatorum ab invicem absentium placita, sustineri, evincit mundana praxis.

XLV. Postremo ambigo, an non minoris cognoscendi dif-ficultatis sit, qvam attentionis: Promissioni simul atqve accepta-tioni accidere, ut non tantum singulæ ab uno consistant latere; sed etiam in unâ eâdemqve conventionis specie, mutuô simul atqve vi-cissitudinariò utrinqve effectu, puta pariendæ obligationis ac et-iam potestatis. Qvæ qvidem ipsa consideratio aliqvando Ulpia-num Jctum videtur adegisse (a), ut *contractum ultrò citroq; obligatio-nem* definiret; intẽtum dubio procul considerationi earum contra-ctus specierum, qvæ naturâ suâ istiusmodi existunt; veluti est *em-ptio, vẽditio, locatio, cõductio, societas*; etenim & hos dictæ positioni illo exempli locô subjungit. sive qvod non satis memor esset vel sui (b) dum aliàs plures conventionum species, & contractus & obligatio-nis titulo donasset, qvæ tamen ab una parte tantum essent obliga-toriæ; vel etiam illius Pauli (c): *Omnem obligationem pro contractu habendam* & qvæ seqvuntur; sive qvod geminam illam utrinqve trahendi ligandiqve vim καθ' ἐξοχὴν contractus nomine eô loci in-signire vellet, atqve exprimere studeret. Post omnia hæc, ad varias conventionum species distingvendas, harumqve vel omnes, vel sal-tem præcipuas pertractandas, tempus esset modò transire; Sed da-bunt fortassis isthæc in horum complementum, ut & hæc ipsa con-cinniora, alia aliqvandò otia. Nunc interea admirari licuerit in genere, *Conventionem, tamqvam causam obligationis, ac Naturæ singulare Miraculum.*

(a) *l. 19. de V.S.* (b) *l. 7. §. 1. 2. de pact. & passim alibi.* (c) *l. 20. de judic.*

CAP.

CAPUT VI.

DE Communione, tanqvam causa obligationis.

I. Causa qvædam, per qvam homines mutuò sibi obligantur communio qvoq; est.

II. Tùm, qvâ ejusdem essentiæ illi sunt ac sangvinis:

III. Qvô qvidem eò sibi obligantur strictius, qvò per illum sunt juncti proximiùs: naturali simul ac civili observantiâ hîc circà disponente.

IV. Adsimilatis huic, in similes effectus, conjunctionibus aliis, qvæ partim naturâ partim more cognationem imitantur.

V. Tum verò & communio qvævis socialis hominibus ad invicem nectendis parata est.

I.

COmmunio, qvæ nihil aliud videtur esse, qvàm plurium, rei alicujus, aut qvarundam rerum participatio, qvod communicantia inter, nexum soleat parere, vel tota hæc rerum machina testari potest. Scilicet qvamplurima in hâc, qvæ causam, materiam, formamq; finemq;, & cætera habent communia, connexionem qvandam inter sese, nexumq; partium ad invicem obtinent. qvæ eqvidem res per naturam rerum sese docebit, facilè ipsa. Neqve enim de istiusmodi universali nexu, aut, qvæ hunc pariat, omnimodâ communione, nobis nunc qvidem est pro-

positum agere; sed hoc solummodò dispicere: Utrùm qvid rerum hominibus inter ipsos commune sit, aut esse contingat, cujq causà communionis, ipsi in mutuò ad invicem nexu constituantur ac consistant? Non libet autem scrupulosè indagare, an sint hujusmodi hujus efficaciæ res, numerò plures, qvandoqvidem pro monstrandâ isthac communisve res sufficere potest, par aliqvod talium rerū admisisse, qvod etiam qvasi ultro sese videatur huic fini offerre, & qvasi cum nisu qvodam in officiosam hanc communionem universum etiam humanum genus collocatum reddere. *eadem* nempe & radice sive materiâ, & formâ *essentia* ac deinde *idem socialiter participandum bonum*.

II. Qvod par hominibus essentia sit, nemo ambigit, qvi novit (a) ex eôdem divinô anhelitu, potissimam sui partem, animam videl. rationalem, pulcherrimum illud atq; pretiosissimum divinę munificentiæ donum, homines obtinere acceptum omnes; & præterea sagvinem corporiq; materiam, ex unâ stirpe eosdem extrahere omnes; imò, qvem sensus ac multa experientia doceat, hanc talem, qvam in se spectat, formam, ferre eosdem omnes. Jam vero natura universa, etiam in partibus homine vilioribus, loqvitur, hôc modò paria sibi similiaq; gaudere sibi paribus ac similibus, & ad mutuam conservationem, tanqvam peculiari, per hanc communionem instinctu, & præ disparibus aliis, currere trahiq; vel saltem, donec in naturali suâ bonitate persistunt, qvasi obligatione qvâdā de non offendendo sese mutuò, teneri, per qvam non ita in mutuū exitium ruant, atq; illa, qvæ specie sibi sunt disparia. Unde sanè arguere est, paria potiori competentiâ congruere, nobilissimo creaturarum generi, ac isti qvidem, qvod præ omnibus & conservatione & mutuâ sustentatione dignum est. Certè utrumq, & communionem hanc essentialem, & vinculum qvod inde est obligationis, cùm sacra oracula notant sæpissime, tùm ipsa humana perspicacia observat facillimè. Illa, ubi toties hominem homini proximum, atqve hunc illi ut talem tanqvam semetipsum amandum (b) proponunt. Hæc ubi cognationem qvandam omnium hominum supponens, similiter propter hanc, hominem homini de non lædendo; imò ad benefaciendum obligatum asserit. Elegans est illud Florentini

(a) ex Gen. 2.

(b) Luc. 10. Matth. 22. v. 39. c. 5. 44. & seq. & p. 11.

tini

tini JCti (*a*); utrumq; & obligationem hanc, in ſpecie qvidem negativi actus, ſeu non lædendi, & fundamentum hujusdem conjungens hiſce: *cùm inter nos cognationem qvandam natura conſtituit, conſeqvens eſt, hominem homini inſidiari nefas eſſe.* Nec prætereundum, in ſpecie obligationis affirmativi actus, ſeu præſtandi, illud acutiſſimi Papiniani (*b*); qvô *beneficiô affici hominem intereſſe hominis* is autumat.

(*a*) l.3 d. J. & J

(*b*) l.7 de serv. export.

III. Qvin argumentum hujus ex communis ſangvinis conjunctione nexus, illa ejusdem propinqvior, qvam qvæ univerſi humani generis eſt, præbet conjunctio. Namq; etſi qvidem, & ex illâ officioſus erga homines hominum nexus, ſic ſatis & efficax eſt, & notabilis; elucet tamen magis ejusvis, magisq; fatendum eſt in arctum hunc coire, qvò ipſa unius ſangvinis participatio communi alicui fonti eſt colligiturq; propinqva magis. Unde vel imprimis videtur id eſſe, qvod magis, qvâ qvibuslibet extraneis, iis videamur obſtringi, qvi noſtræ ſunt nationis ac gentis; & magis, qvam his, iis qvi nobiscum ſunt unius familiæ, & ita porrò facto progreſſu, ſemper magis propinqvioribus, donec ad ſangvinem usq; conjunctiſſimum pervenitur, qvi cognatorum, fratrum, parentum, liberorumqve eſt; ubi tandem & arctiſſimum ex hac causâ vinculum deprehendere eſt, ardentiſſimus amor, favor mutuus, ac in omnem meliorem promotionē promptior benevolentia. Qvē verò ipſum hujus ſangvineæ conjunctionis præcipuum naturæ nexum, & benignitas legum minimè ſolet negligere, qvando non tantum de alimoniâ indigis parentibus, (videri poſſet hoc ob beneficium ab illis acceptum fieri) præſtenda, ſed & *de agnoſcendis & alendis liberis* illa ordinat (*c*). ubi ſanè inter fundamenta hujus ordinationis, qvæ natura habet, videri poteſt prævalere cognatio. qvando porro de non adimendis hiſce temerè bonorum ſucceſſionibus, (*d*) deq; ſimilibus aliis ſedulò eadem civilis lex diſponit. Niſi diſcurſu aberro, eidē huic baſi ex parte inſiſtere videri poteſt, divina illa (*e*) humanaqve multiplex promiſſio, de non matrimonio jungendis ſangvine nimiùm propinqvis. An ob finem, ut amplietur eò magis utiliſſimum amicitiæ bonum hominibus? imò ut ipſa hæc cognationis radix eò laxius per progeniem hominum jaciatur? cùm, qvæ inter

(*c*) t. de agnoſ. & al. lib.

(*d*) per mater. de bon. ſucceſſ. ex teſtam. paſſ.

(*e*) Lev, 18. & 20.

hasce sibi proximas personas, antè ex cognatione conjunctio est, & per ipsam radicem qvasi proxime succum communicat, & amicitiæ vinculum ita exindè habet connexum, ut auctius firmiusqve illud accessorio qvodam, similis generis nexu, reddi haut qveat. Sed noverit certissimè suæ hujus ordinationis fines DEUS; nos præceptum & causam ejus qvandam propinqvam; ab ipso Deo qvoq; nobis revelatam, imò sæpius inculcatam, toties repetito ad nuptiarum has prohibitiones, isthoc: *consangvinea enim est.*

(c) d.c.18. Levit.

IV. Nec tacitè videtur transmittendum, in similem officii nexum conspirare conjunctiones, qvæ vel naturâ, vel more sangvinis hanc communionem imitantur. Naturâ, veluti qvæ matrimonialis copula est, de cujus arctissima unitione, vel hoc ipsius divini ejusdē auctoris testatur (d): *& erunt duo in carne unâ.* & insuper hoc, qvo qvia *Deus conjunxit* conjugalem hanc copulam, homini inseparabilis eadem constituitur (d). Taceo hinc descendentem similem & conjunctionem & nexum per affinitatem, qvam circumspecta prudentum cautio, non malè *copulam* sive *duarum cognationum*, sive *viri & uxoris cognatorum* definit (e); asserens, propter hāc copulam qvidem, *qvædam jura inter affines qvoq; versari.* In qvibus juribus, tum horum civilis, tum divina legitima positio, etiam similem nuptiarum prohibitionem solet statuere (f). More autem qvæ consangvinitatis, & conjunctionem & officii rationem imitantur, per *adoptionem* est, agnatio cū suo, paterno ac filiali vinculo (g), cognatio ad sacrum fontem inter susceptorem & susceptum contracta, & si qvæsimilia sunt, qvæ nunc transeo.

(d) Gen. 3. Matth. 7. 1. Cor. 7.

(e) l. 4. §. 3 de gradib.

[f] d.c.18. Levit. 1. J. de Nupt.

[g] tit. de adopt.

V. Alterum aliqvod communionis genus, qvod itidem cuidam hominum mutuæ obligationi fundamentum sternere, & pro effectu hoc qvasi manifestò sese offerre dicebatur, participatio erat ejusdem alicujus socialis commodi sive ipsa qvædam hominum socialis conjunctio aut conversatio. Namq; vel ipsa hæc socialis communio potissimum in causa videtur esse, qvod etiam, qvi in familia, non dominus & servi, nec pater & librei, sed vel fraternitate tantum pares sunt, vel conservi communi sale communiq; tecto, commoditatibusq; domesticis & reliqvis utuntur, sibi invicē magis videātur obstringi, magis; cernātur amare sese, qvā paris cōditionis

ex-

extraneos. Similiterq; qvi unius reip. cives, qvi pariū sacrorū; qvi tribuli, aut alius alicujus societatis mēbra sunt: sive qvod sibi videatur, trahi sese ad auxilium mutuum per communitatis curandū commodum, sive qvod animi per mutuam fiduciam coeant, sive qvod alia qvædam magis occulta vis hujusmodi communioni sese immisceat, pro sociali hâc amicitiâ officiôq, constituendis, fovendisqve. Notabilis est atq; elegans illa Ciceronis collectio, (*a*), qvâ etiam universitatem hominum, stoicorum disciplinam laudās, qvasi in societatem, & per hanc societatem ad mutuum vocat officium, *latissime*, existimans, *patere rationem, qva societas hominum inter ipsos, & vitæ qvasi communitas contineatur.* qvibus mox subjungit & qvasi applicat dictum illum mutuæ obligationis effectum: *homines hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alius alii prodesse possint.* Plane affectus ipse misericordiæ, qvam alius in alium sentimus, sive ipsa erga homines humanitas hominibus naturâ indita, inq; probis omnibus vera talis elucens, indicio est, tacitâ qvadam naturæ lege ad officia ac benevolentiam mutuam nos erga invicem impelli; sive fundamētum lex illa positum habeat in priori illâ sangvinis, sive in hâc sociali communione. qvâ divinô beneficiô, communi fruimur & luce & aurâ. Sed hæc qvidem omnia, qvantum ad ultronea hujus ex societate mutuæ obligationis indicia, tum licebit clarè deprehendere, donec non particulares qvædam inimicitiæ, æmulationes, aut aliæ affectuum turbæ forte intercedunt, qvæ animos ab svavi hoc sociali vinculô in diversa trahant.

(*a*) 1. *Offic.*

CAPUT VII.

De boni præcellentia, tanqvam causa obligationis.

I. *Bona præcellentia, ad observantiam qvandam sui subobligatos reddere homines, facile in concessis est.*

II. *Uti contra judicio hominum in minus liqvidis, qvæ sint illa observanda bona, & qvænam aliis sint præferenda.*

 III. In-

III. In veritate autem rei, etiam qvælibet cujusq; modò verè bona, ipsi possessori qvandam conciliant observantiam; modò non conjunctâ in eodem subjecto malignitate nimis illa deformata extent.

IV. In comparatione verò, bona animi, & præ omnibus id qvod constituti Imperii, est reliqva præcellere, & ad sui venerationem pertrahere videntur.

V. Debitum hujus obligationis erit: Diligentior cujusq; cautio, ne bonis eximiis prævalens à sese lædatur; Ejusdemq; observantia honoratior, qvæ etiam ad subsidia facultatum sese potest extendere.

VI. Facit ad peculiarem conformationem, tum prærogativæ hujus, tum respondentis ei debiti, personarum ad invicem conjunctio, imprimis socialis connexio.

VII. Monstrum Hobbianum, jus in cupiditate ac potentia ponens, in scenam protractum.

I.

QVod imperfectiora, virtuteq; bonisq; aliis minus pollentia, composita ad ea, qvæ virtute aliisq; pulcherrimis bonis prævalent, propter ipsam talem utrinq; persistentem conditionẽ, his subobligentur, & aliqvô modo subdita reddantur, universa itidem potest testari natura. Liceret hic producere cœlum cum suis astris, compositum ad hæc inferiora; Elementa valentiora, animalia generosiora, similiaqve alia præexsurgentia, composita ad illa, qvæ minus valent, abjectiora sunt, minusq; pulchris qvalitatibus prædita apparent; sed forsitan extranea esset sedulitas hæc indaginis in his; ubi effectę, propositum est, qværere, qvi naturæ rationali, & imprimis homini, per hujusmodi, istarum conditionum præsentiam, ac ad invicem compositionem, agnascantur aut adhæreant. Forsan nemo unqvam debet dubitare, Deum ter Opt. Max. licet non essent etiam causæ aliæ, vel ob id solum, qvod unus creaturas omnes infinitâ, cum omnipotentiâ, sanctitate præcellat, si cum his conjungatur, imò qvia his junctus consistit: (qvippe omnia is est in omnibus atq; est ipse in qvo vivunt, moventur ac sunt omnia) eundem justissimè his omnibus præesse ac imperare, & vicissim

cissim has illi, ad obseqvium obligari, ac parere debere. Id qvod vel Philosopho gentili, si verum Deum, ut nos, novisset, stultum fuisset visum, dubitare, ineptum ac ridiculum existimanti (a), si cum Jove, partitis imperiis, qvisqvam imperare velit, aut Deo alicui inter homines conversanti leges scribere; cum ipse hic foret lex, ipsi soli competeret imperium in universos: adde & ex adverso, universis his competeret, huic subjici & ad obseqvium obligari. Intra humana obseqvia ac imperia, qvando versatur (a) idem ille Philosophus πολιτικότατος, inqvirens, qvibusnam, tum in civili, tum in domestica conversatione atqve consociatione, isthæc per naturæ justitiam conveniant; per familiam qvidem, ab eâ parte dominium herile collocat, ubi prudentia præcellit. ab altera verò, ubi stupiditas animi hanc abesse facit, servilem subjectionẽ: parenti, ut per ætatẽ prudentiori, itemq; marito, ut sexu præstantiori ac perfectiori, potestatem in liberos, in uxorem concedit, atq; vicissim hisce subjectionem atqve obseqvium imponit. Simili verò & ratione, per statum civilem optimum, idem optimo aut optimis, in eos, qvi virtute inferiores incedunt, tanqvam per arctissimam naturæ legem, imperium, his obseqviũ asserit. In confesso est, & qvotidianus cum ratione dictitat usus, ubicunqve concurrere contingat egregium virtute virum, cum aliqvo, qvi qvalitatibus est inferior, itemqve nobilem cum ignobili, civili potentiâ gaudentem cum plebejô, imò divitem cum egenô, aut qvovis aliô insigni bonô præminentem, cum eô, qvi isthoc caret; siqvidem cætera sunt pares, illos hosce anteire, hosce illis, tanqvam tacitâ qvadam in præeminentiâ boni, ejusdemqve carentiâ sese fundante lége, solere cedere primasqve, tanqvam ex debito, concedere. Forsan in thesi sic satis manifestæ, ex his inducitur, veritatis esse, qvod propositum hic demonstrare est: nempe si conjuncti consistant, virtute bonisqve aliis, imprimis honestis, sive honoratis præditi, cum iis, qvi hisce pollent minus; illos *prærogativâ* qvadam *juris*, potestatis, autoritatisve prævalere, hos illis ejusdem præcellentiæ ergò, usqveqvò obnoxios esse *obligatosq;*. (Commodum erit ad hanc caulum utrumqve legitimum effectum promiscuè, ac pariter etiam, producere in medium) Ast in hypothesi, ac ubi qværere incipias: Qvænam igitur bona, vel

(a) 3. pol. c. 9.

(a) lib. 1. & 3. pol. imprimis

vel simpliciter natura sua honorata sint, ac honorandos præstent, qvi ea obtinent; vel etiam qvæ collata cum aliis, possessores suos, super alios, licet & hi suis non destituantur bonis, ut honoratiores tamen, extollant, hosdemq; id ipsos suspiciendos, ac primas iisdem concedendum obligent? hic est, ubi hominum judicia variant, ut & forsan, de ipso genere juris, debitiq;, ex hac præeminentiæ causa datiq;, competentium.

II. Sanè reperies, qvi *& genus & proavos, & qva non fecerit ipse* qvilibet, vix eidem sua putant; qvibus *forma bonum fragile est*, nec proinde magnæ æstimationis; qvibus *robur*, aut si qvæ sunt reliqvę *corporis dotes*, minimè in iis putatur, ex qvibus qvis dignationẽ qvandam mereatur; Si Modestino credimus (a), qvi philosophantur, ut rari sunt, ita *divitias* pro nihilo ducunt, in tantum, ut *ne qvidem propriè de substantia qveant loqvi*, & qvæ magis eodem in loco de iliis hic existimat, nedum, ut, secundum ipsum, hinc aliqvid prærogativæ sibi tribuant. Imò videas maleferiatos, qvi *sapientiam*, qvi *virtutem, probitatemq;* ipsam, contemptui habent; nec hujusmodi ergò, alicui multum deberi posse putent à qvoqvã, ita inqvã de bonis singulis hominũ, earundemq; æstimatione variant, judicia hominum: magis divaricatura, ubi comparatio instituenda venit cuiq; bonorum qvæ ipse possidet, cum iis, qvæ alii, & si de paritate aut prærogativa dignationis, horum nomine discriminatio est facienda. Egregia est observatio Philosophi in civilibus (b), ubi de ratione ac fundamento dignationis agit, ex qvo, tum Majestas, tum reliqvi in repub. honores honorataq; munera, per communitatem civium ex merito distribuenda sint. nempe notat hic, in hácce Maximã: *æqvalibus æqvalia, inæqvalibus inæqvalia esse tribuẽda*; ut multùm forte, ac perspicuum naturæ principium, facile consentire omnes; cæterùm, ubi jam ad discrimen faciendum perveniatur, qvænam sint illæ ἀξίαι, bonaq;, ex qvibus æqvales aut inæqvales aliqvi sint, aut alii aliis comparari, aut etiam præferri, atqve postponi debeant; hic qvidem luctam obire inter sese judicia hominum maximam, aliis nobilitatem generis, aliis divitias, aliis virtutem, in prærogativam dignationis advocantibus; aliis deniq; solam libertatem pro eo habentibus, qvod omnibus æqvalia possit ac debeat tri-

(a) l. 6. § 7. de excusat.

(b) lib. 3. polit. c. 8.

tribuere. Sanè qvoam Philosophus hic contentioně circa civilia munera, cumqve honore potestates distribuendas notat, eâ qvidem per omnem humanam conversationem observare licet, freqventare nimis; cùm, ne dicam singuli · ferè hominum, saltem singula genera hominum, plurimùm, ut videtur, seducti affectu proprii amoris, sua præferunt aliorum bonis, aut saltem non in eô dignationis gradu, tum aliena, tum sua collocant, hæc ferè semper extollentes, illis depressiùs, si ex meritò omnia æstimanda forent, incedendum, existimantes. Ita nihil communius videre est in vita, qvam qvod oriundi ex stemmate nobili, utut etiam parum vel nihil propriæ nobilitatis ipsi habeant, despiciant præ se suoqve ordine, qvoscunqve alius ordinis homines; parum reputantes facere, ut ad sui ordinis dignationem qvisqvam qveat evectus videri, virtutene, an eruditione, an bonis fortunæ, præditus cumulatusqve sit, aut etiam ipsos præpolleat. Similiter cernere est, homines opulentos valdè, & in his præcipuè, penè solis nummis colligendis addictam mercatoriam qvandam gentem, qvosvis non æqvè pecuniosos, licet aliis egregiis bonis horum aliqvi fulgeant, in minus potenti conditione collocare, atqve est sua. Pariter literatos, multarumqve rerum peritos, super minus eruditos, sibi præsumere. Militares animos parvi æstimare præ sese, qvaliscunqve honestæ togatæ vitæ asseclas. Neqve vero tantùm ita hic variare videas, qvi forte ipsi jam, ratione sui, qvod habent boni, præferri aut efferri volunt; sed & alios, qvorum non interest, de aliis, aut de differentia dignitatis bonorum, communiter judicantes ac disputantes. Qvam utiqve rem attingit illa veterum Philosophorum discrepantia, circa determinationem ejus, qvod summum & maximè honorabile in vita bonum æstimandum sit (*a*).

(*a*) *Aristot. 1. Eth. cap. 8.*

III. Impossibile est, cum tanta opinionum diversitate, imò contrarietate, à parte omnium veritatem hic posse stare simpliciter. Qvia autem, ubi prorsus etiam nihil fundamenti subest, opinari, penitus mente captorum potius, qvam rationalium hominum est: forsan putares, omnes illos, qvi alicujus, tanqvã boni causâ, vel sese vel alios efferunt, licet in aliqvô, maximè forte, ubi in comparatione versantur, ad limen veri hallucinentur, non tamen

ſimpliciter ab omni veritate penitus aberrare. Sanè qvicunqve non delirat, aut affectibus abreptus, mentis patitur ἔκϛασιν; in bonis vitæ humanæ computabit, qvam honeſtiſſimô genere prognatum eſſe; corporis egregiis dotibus, veluti, robore, agilitate, pulchritudine, pollere; virtutibus ingenii ac morum, veluti, ſapientiâ, prudentiâ, ſcientiâ ac experientia multarum rerum, arte, fortitudine, temperantiâ, juſtitiâ, ac reliqvis ejusmodi, præditum eſſe; bonis fortunæ, qvæ ferè dicuntur, abundare qvamplurimis, veluti divitiis, honoratis muneribus, amicis veris, ac etiam honoratis. Poſitô igitur, qvod hæc & hujusmodi verè bona ſint, utiqve videntur non poſſe non ornare eum, cui inſunt aut adjacent: & per conſeqvens ſubjecto, ſingula pro ſuo dignationis modo, aliqvam obſervantiam conciliare penes alios, hosdemq; qvaſi occulta qvadam vi huc debiti obſtrictos reddere. Græcis bonum dicebatur, τὸ καλὸν, qvod & *bonum*, & ſimul *pulchrum*, ipſis denotabat; id qvod indicio erat, omne vere bonum ipſis in pulchris, vel ſaltem in iis, qvæ à pulchris non aliena eſſent, cenſeri. qvæ autem pulchra ſunt, imô dicā ſimpliciùs, qvæcunq; verè bona ſunt, naturâ ſuâ, qvatenus talia, laudē, admirationem, obſervantiam admerentur. Teſtatur id communis hominum ſedulitas, qvæ propter virtutem, aptitudinem, imò externam ſolummodò pulchritudinem, bruta qvoqve animantia, lapillos qvoqve ac gemmas, & cæterea ejusmodi ſolet obſervare ac colere; non ita obſervatura, ſi qvalitatibus iſtis illæ res deſtituerentur. Tantum igitur abeſt, ut videatur homini aliqva cultura non deberi, ob qvodvis verè, qvod iſte obtinet ſibi, bonum; utpote qvi pulcherrimus ac optimus creaturarum, vel ob hoc ſolum, qvod homo eſt, qvod animam geſtat, particulam divinæ auræ, rationalem, ac multi-potentem, qvod os ſublime tenet, cœlumqve tueri juſſus, & ad ſidera tollere vultus, ſuam qvandam obſervantiam, ſaltem apud hominem, qvi propter hoc ipſum & ipſe ſibi placet, mereri videatur. nedum, ut pulchrum iſthuc humanum ſyſthema, aliis adhuc verè bonis exornatum contemptui haberi debeat. Sanè ſi qvid judicio hominum cordatorum tribuendum eſt. virtus, eruditio, ars, nobilitas, & omnis reliqvus bonorum chorus, æſtimationem, & qvi iis præditi ſunt, ſuam inde aliqvam dignationem

nem obtinent, ac obſervantiam; imò cernas in maximâ fortunâ poſitos, maximôqve honoratiſſimorum bonorum cumulô inveſtitos, principes etiam ac terrarum dominos, ſiqvidem bonæ atqve ingenuæ indolis ſunt, ob talia in pretio habere, qvi iis ſunt prædit[i]. Concluſio itaqve ad hæc eſto, hominem qvemlibet, ob qvodlibet, qvod fortè verè bonum obtinet, qvandam ſui obſervantiam mereri, & ad hanc qvaſi ſibi obligatos tenere qvoslibet, idqve eò magis (qvod porro videtur ultro ſeqvi) qvô perfectius atqve præſtantius, vel ſpecie vel cumulo idipſum bonum eſt. Qvæ tamen tota res unam hanc inſignem videtur limitationem poſcere, ut ne idem ſubjectum, in qvo illud qvodlibet bonum reſidet, aliis malignitatibus ſit defædatum nimis; fortè etiam eò usqve, ut illud bonum non ſit, niſi inſtrumen malitiæ, ad effectus malignos; eòqve per hoc ipſum ſuperveniens accidens, qvaſi in malum ipſum converſum: qvomodo ſanè Diabolum nemo ſanæ mentis venerabilem judicabit, ob id, qvod is maximâ agilitate, potentiâ, perſpicacitate, aliisqve concreatis ſibi donis præditus ſit: ſiqvidem modo juxtà calleat, extremam ejus ac ſummè abominandam malignitatem, qvâ qvicqvid ejusmodi potentiarum habet, id in deſtructionem omnis boni convertere, ſemper qvaſi in procinctu, cumqve pernicioſô niſu, paratus ſtat. Ita non merebitur favorem hominum caſtorum pulchritudo meretricis; juſtorum, ſolertia injuſti procuratoris aut judicis; ſubditorum æqvi amantium, technica cautio tyranni.

IV. Et hæc fortaſſis, qvæ relata ſunt hactenus, minus habent offendiculi, donec extra comparationem diverſorum bonorum ad invicem conſiſtas; nec diſqvirere inſtituas, qvodnam præ alterô, aut etiam, qvid in ſpecie dignationis qvodlibet mereatur. Cæterum ubi comparare, & iſthæc diſqvirere ac determinare inſtitues, niſi multum auguriô fallor, res penè judiciis hominum inextricabilis eſt; certè continuatæ contentionis: idqve qvà comparationem, eò magis, qvò viciniora, etiam judicioſis, ac extra partem poſitis, aliqva habentur. ubi non tantum totô die exurgere ac cadere, ſed & immortales præcedentiarum, qvas dicimus, lites, foveri videas. qvibus nunc qvidem, ne me immiſceam, amore pacis detineor; relinqvens liberum, qvantum qvisqve deferre velit judi-

(a) lib 1. Eth. c. 7. & seq.

cio Ariſtotelis (a), qvô bona animi, hujusdemqve virtutem, corporis fortunæqve bonis anteponit: ſine dubio illis qvoqve majorem dignationem atqve obſervantiam con ceſſurus, qvi his prævalent: intelligo donec cætera ſunt paria per naturam, neqve etiam receptô more diverſum ſit introductum, qvô ipsô, fortasſis ad naturæ qvoqve tolerantiam, poterit obtinere, ut ſpinaſtrum teneatur venerari cedrus. Imprimis autem attendendum exiſtimem, num in qva imperii ſuperioritate, alter præ altero ſit conſtitutus, qvam eqvidem ſacratam divinâ ſanctione præeminentiam(b); omni huic ſubjectorum qvalitati, utcunqve per ſe multùm qvoq; venerabili, cum ſubmisſione tamen venerandam exponerem; jusqve jubendi, exigendiqve venerationem ac obſeqvium, illi; obligationem autem parendi ac honorandi, huic præcipuè imponerem.

V. Qvod autem attinet ipſam *meriti debitiq;* determinationem, qvæ aut qvatenus illa cuiqve horum bonorum ſpeciei, ſive ſimpliciter, ſive poſtqvam de præcellentiâ evictum eſt, præcipuè competentia ſint, hanc multis facere, nimia varietas, ut operoſam nimis, nunc qvoqve vetat. Modò qvæ tanqvã generalia magis univerſo generi, non videntur prætereunda: 1. qvà obligationem omittendi ſeu negativi actus, qvodlibet verè bonum, qvo qvisqvam non nimiũ malitiâ juxta diffluens, præditus eſt, eò facere, ut perſonã eò magis inviolabilem præſtet, cunctosq; eò magis qvaſi reſtrictos teneat, ne lædant hanc, aut injuriâ afficiant, contemptui aut ludibrio habeant, id ſanè & meretur bonum ipſum, qvod hic in perſonæ ornatu eſt, naturâ ſuâ inviolabile; & facile nobis dictitat ratio; qvæ etiam cruda magis ingenia eò ſolet adigere, ne ſubjectisſimas ſibi aliàs perſonas, æqvè crudè, prudentes aliisqve dotibus naturæ artisqve præditos, temerè exagitent, atqve ſtupidos inertesqve, ſimilis aliàs conditionis. 2. qvoad obligationem faciendi, videri poteſt, aliqvó modô ſingularis ac diverſæ naturæ debitum ex hac cauſa eſſe, ab eô, qvod communiter ex pleriſqve reliqvis obligationis cauſis, cuiqve competens eſt. nimirum, qvia de natura boni, qvod cuiqve adhæret, eſt, eſſe honorabile ſive obſervabile, aut certè eſſe aliqvod rem obſervabilem contingens, juxtà qvam colliges ex diſcurſibus Ariſtotelicis, ubi ille (c) id qvod ſummum in vita bonum

(c) c. 12. & 8. lib. 1. Eth.

eſt,

eft, honorabile esse demonstrat, & alibi ad hujus profectionem ac complementum, spectare reliqva bona omnia, qvæ modo aliqvid momenti in vita habeant. Hinc igitur qvod hujꝰ cujusq; boni ergò, primario possessori ab alteris deberi potest, videtur pro mensura dignationis cujusqve, honor, obseqvium, observatio, facilitas, esse, ita tamen, ut secundariò, ac in modum lautioris subsidii, aliæ præstationes, à debito hoc honorato non videantur excludendæ esse: qvin ex ipso hoc dignationis merito fore, si egregiis virtute viris, aut ex illustri stemmate oriundis, aut aliis præcellentiæ generibus præditis, eximia magis stipendia, victusqve exhibeatur lautior; si in omni convictu, humanâqve conversatione, dignioribus bonis clarescentibus digniora, elegantioribus elegantiora, præbeantur atqve concedantur. Qvæcunqve autem horum istis debentur, ipsi videntur jus facultatemqve justam habere, cum congruente modestia sibi vindicandi.

VI. Facere autem ad formam hujus, juris obligationis, debitiq;, qvò scil. purè ista in actum constituantur, non parùm ipsa personarum ad invicem conjunctio, sive compositio videtur. Namqve, etsi qvodlibet bonitate præstans, homines, sive præsens id ipsis sit, sive absens, modo cognitum, vi dignitatis suæ, qvasi naturaliter ad sui admirationem æstimationemqve videatur pertrahere; minimum obligatos tenere qvoslibet, ne vituperiis id incessent: an propter justum tribuendum conditori, qvi vult glorificari in operibus suis? Augeri tamen ipsa hæc videtur obligatio, magisqve protendi, & ad certùm alium atqve alium modum redigi, imò sæpius ex conditionali qvasi pura reddi, ubi personis honorandis, (circa has enim nunc consideratione hâc potissimum versamur) coràm ventum est. Qvomodò per hujusce omninò obligationis pulsum, protrudi dixeris illos actus, qvibus vultus ac nomina honestorum, honoratiorumqve salutare solemus: qvibus in congressibus consessibusqve locum honoratiorem alii aliis, tanqvam ex merito dignitatis concedimus: qvibus Deum, qvod ipsum Optimum Maximum, maximâ veneratione dignum, semper nobis novimus præsentem, pii semper reveremur, non planè similia facturi, ubi isti homines honorati, locorum intervallis à nobis remoti sunt. Simili-

milter & alia, hujus causæ ergò, digniori cuiqve præstanda, ferè ac præsentes, alium solent sortiri modum, atqve habent erga absentes; nisi qvatenus etiam hic qvædam qvasi per media personarum conjunctio cõpingatur, veluti per epistolas, nuncios, mediatoresq alios. Imprimis autem, ad aliqvam qvasi singularem notam per transire hæc obligatio jusqve honorarium solet, ubi præterea personæ aliqvo peculiari societatis vinculo sunt connexæ, ubi natur. simul cum legibus ac moribus pro definiendo honorario hoc debito solent laborare. imò & partem illorũ bonum, qvæ qvid eò conferre possunt, imperio, in qvantum hoc societati cõgruit, destinare, veluti prudentiam, patientiam, aut alia qvæ hujus valoris æstimatione habent.

VII. §.1. Anteqvam hæc linqvam, non possum, qvin miraculi ac novitatis ergo Monstrum aliqvod horrendum ingens, in scenam hic producã, natum qvidem illud non ita pridem cuidam Thomæ Hobbio, Nobili Anglo, in suis *Elementis Philosophicis de Cive* genti suæ, imò Dominis, infelicis præsagii partum. Obstentum autem illud, qvod nunc qvidem tango, qvodqve præcipuum ex reliqvis ejus secundinæ est, (sunt enim plura, sed staturæ humilioris) *jus in cupiditate ac potentia positum est*; qvò videl. qvicunqve in statu nescio qvô naturali, potentior est, secundum suam cupiditatem ju absolutè imperandi ac statuendi habet in eos omnes, qvi se sunt impotentiores, qvosqve vi cogere ac superare valet: *jure* qvodam *belli omnium in omnes*. Lineamenta hæc ipse Plastes huic suo fœtui ita ponit (*a*): *Intelligitur, in statu hominum naturali, potentiam certam & irresistibilem, JUS conferre regendi imperandiq; in eos, qvi resistere non possunt.* adeô (hem tibi colorem bestiæ speciosum) *ut omnipotentiæ, ab eâ causâ, omnium rerum agendarum jus essentialiter & immediatè adhæreat.* Qvæ istorum genuina sit mens, nempe, ex conceptu usqve, monstrosa, qvæ jus in potentia ponit, id porrò hinc inde multis, inter cætera autem etiam his declarat, ubi cap, 8. 10. ait: *Eodem modô acqviritur jus in animalia ratione carentia, qvo in personas hominum, nimirum viribus & potentiis naturalibus, siqvidem enim in statu naturali, propter bellum omnium in omnes, subjugare vel etiam occidere homines, cuiq; LICITUM sit, qvoties id suo bono conducere videbitur.*

(*a*) cap. 1. nũ. 14. in fin.

§ 2

§.2. Forsan expedit statumina pedum qvibus basi suæ in fixum consistat, nudare ac avellere, & monstrum per se ruet. horum autem potissimum videntur duo esse, figmentum nempe, de statu hominum, nescio qva conditione, naturali, & judicium erroneum de dignatione potentiæ naturalis pro effectu juris ac potestatis. Scilicet fingit primùm hic Philosophaster admodum novitius (Aristoteles enim, & si qvi sunt reliqvi ex antiqvo, imò omni ante se ævò, veræ sapientiæ studiosi huic flocci sunt) dico, fingit hic statum qvendam hominum naturalem, pejoribus, qvam beluinis, relictum cupiditatibus, eidemqve nescio qvodnam ex utopia protractum monstrum juris affingit. Libet autem hic prius intueri veritatem qvam figmenta. Si rem igitur ut in se est, & hominem ut per naturam existit, intueri incipias; deprehendes, hominem cum corpore singularis præ aliis rebus naturalibus τυμμετρίας, & animâ, partim appetentis partim rationalis facultatis enasci, & esse qvidem hôc modò hominem, si omnem ejus potentiam junctim consideres, aptum natum, ut agere possit, ad bòni ordinis, & sui aliorumqve conservationem, & etiam ad sui aliorumqve perniciem, rerumqve perturbationem plurium. Deinde verò, & si appetentem hominis facultatē respicias; observabis, per hanc ipsum qvidē inclinare solere potissimum ad sui conservationem ac commodū, etiam sæpius cum aliorum incommdò ac pernicie; non tamen etiam semper, aut omnē omniū; licet soli illi facultati relictum fingas; nisi magis brutalem huic, qvam brutis appetitū affingas. Cæteru, utut per hæc sibi naturalia, homo ambiguæ sit potentiæ; destinatæqve magis appetitionis ad emolumentum proprium, conjunctum qvandoqve cum detrimento alterius; nondum tamen hisce tota natura naturalisqve potentia hominis absolvitur. qvin potius præcipuum ejus naturale, in qvô ipsum esse suum specificum habet, est rationalis sive anima sive potentia ejus: per qvam inter cætera ipse homo docetur, qvid honestum ac decens; nec docetur tantum, sed etiam jubetur, impellitur, ac trahitur eadem sectari, verbo lumen legemqve naturæ, huic parti habet divinitus inscripta, per qvæ & docetur, qvid cuiqve suum sit, & mandatur id ipsum cuiqve tribuere, præcipiturqve hone te vivere ac neminem læde-

lædere. qvæ ipsa præcepta, nifallor, illi in statu hoc naturali *JUS* sunt.

§.3. Ast amabò, qvæ hic fabricatur *Elementa Philosophica* Hobbius? Ille, nisi parasangas aberro, ex iis, qvæ homini connascuntur, solam carpit appetitionem, & cum eâ qvidem conditione, qvâ in pessimis pessimè sese habere potest, aut etiam solet; atqve in hac qvalitate, somniat ille, constare hominum statum naturalem, in qvo jus ac licitum sit, qvod cuilibet pessimo nebuloni ac naturæ monstro sua potest designare monstrosa cupiditas, modo cum potentia ac naturali vi aut aptitudine conjuncta hæc est, idipsum exeqvendi. Atqve hujusmodi qvidem phantasiæ Novus Philosophus indulgens, non animadvertit, (ita autem solet sopor phantasmata dirigere) se id statum hominum naturalem dicere, qvod est non secundum, sed præter humanam naturam, cujus alias est, appetitu uti, non omnivagô, sed, si non directô penitus, saltem aliqvô modô temperarô tractove, rationis ac naturæ lege; imò id, qvod est præter naturam beluinam: cum etiam immanissimæ bestiæ, non temerè appetitione utantur, qva in propriam speciem promiscuè, pro suo etiam commodo, forte ut ventriculum satient, sæviant; utcunq; potentiâ valeret omnis robustus leo aut lupus devorandi catulos, aut etiam aliàs imbecilliores sui generis bestias. Non itidem recordatur Hobbius, qvando his excludendis incubat, eorum, qvibus ipse rectam rationem non minus partem naturæ humanæ, ac qvamlibet aliam facultatem, vel affectum animi, esse dicit; can-
(a) c.2.n.1.inf demqve naturæ legem (*a*): (qvamvis vel hic etiam loci, turpiter cõfundat omnia, suis rectæ rationi affictis definitionibus) in naturæ autem legibus fundamentalibus refert: *Qværendam esse pacem ubi*
(b) cap.2. art. 2. *haberi potest, ubi non potest qværenda esse belli auxilia* (*b*): (cogita casũ, si qvis incidat in homines ingeniô mitiores, aut saltem impoten-
(c) cap.3. art. 9. tiores, qvam ut lædere eum aut possint aut velint) Item: *Ut unusqvisq; se cæteris commodum præstet* (*c*): *Ne qvis vel factis, vel verbis, vel*
(d) art. 12. *vultu, vel risu alteri ostendat, si illum vel odisse, vel contemnere* (*d*). *ut be-*
(e) art. 8. & 10. *neficium qvis rependat, ut veniam petenti indulgeat* (*e*). Horum inqvam & similium rectæ rationis dictaminum, qvæ utiqve non jus belli omnium in omnes spirant, ubi veritate rei agitur, memor est

Hob-

Hobbius, ubi verò suis somniis indulget, minimè omnium. aliàs non comprehensurus hæc in natura humana, aut statu naturali hominum, ac simul inde exclusurus.

§.4. Nescio, an aliqvid refugii hic velit qværere Hobbius in distinctione status hominum, qvô vel extra sociale aut mutuæ pactionis vinculum constituti illi sunt, vel intra istud. Namqve coalitæ ac imprimis mutuæ pactioni initæ societati, ille tandem pacem humanam omnem, jurisqve illius belli omnium in omnes cessationem tribuit! &an forte illam rectæ rationis legem ductumqve hominibus, in hoc statu constitutis, non etiam in illo, naturalem esse, cupiat? Sed jam cuperem edoceri, an multi sint istorum hominum, qui post primum virum mundo immissum, extra societatem nati sint, & qvot putet Hobbius istorum hominum in orbe extitisse, qvi, ut ipse fingi cupit (*a*), *è terris fungorum more exorti ac adulti sint, sine omni unius ad alterum obligatione*: an vero hi stryges & Chymeræ sint? deinde annon putet societates alia qvoqve posse principia habere, atqve pacta; & utrum ex genere causarum eas constituentium excludi velit, ipsam & nativitatem ab invicem, & cognationem? Et porrò si pacto demum socialis pax reddatur hominibus cum aliis, qvamdiu putet in societatibus enatis ac adolescentibus, jus belli in omnia istius societatis membra esse, & has contra illos? Ulterius, an leges illæ naturæ pacificæ, qvas longo ordine recenset, ac testimoniis divinis confirmat, imò divinas ipsas esse demonstratum cupit (*b*), una cum fundamento suo, rectâ Ratione, post initas pactiones hominibꝰ demũ infundãtur? Et deniq; an putet, pactionis legem, qvam homines ipsi sibi consensu suô constituunt, cupiditatibus hominum refrenandis, jurisqve belli omnium in omnes, qvod in his fundat, abolendo, magis virium habere, atqve immutabilis Dei ac naturæ lex mentibus humanis pro hoc effectu inscripta? an vero non, ubi potentiæ exuberantiam cupiditati subdas, æqvè facile perrumpantur pacta socialia, resulterq; illud qvalecunqve jus belli omnium in omnes, atqve ubi pacta talia inita non sunt? Et si qvidem pacta huc aliqvid faciant, an non ipsa hæc, vim hanc suam continendi hominum manus à violentiâ, aut etiam porrigendi ad præstanda debita promissaqve, ex ipsa lege

(*a*) cap. 8. art. 1

(*b*) cap. 3. & 4.

naturæ habeant, qva pacta servanda esse hominum menti dictitatur atqve sancitur? Nisi cautè hujusmodi triciis pes colossi unus, qvi cum cupiditate status naturalis, *juri*, eidemq; belli & imperandi omnium in omnes, suffixus ab Hobbio est, eximatur, nescio, an ab uno latere is contractus ruinam illi minitetur.

§. 5. Qvod alterum attinet pedunculum, (pedem autem non esse, spectator non mirabitur, qvia monstrum est, qvod producitur) is nomen habet *potentiæ:* qvæ qvidem potentia (intelligit e. prævalentiam viriū qvæ naturalis aut facti alicui est citra concessionem legis alicujus) *certa ac irresistibilis* Hobbio *jus confert regendi imperandiq; in eos, qvi resistere non possunt*, homines homini subjicit, ut brutorum instar huic subjugari, atqve si ita alicui potenti sibi conducere visum est, mactari pro lubitu qveant. qvia autem sustinere *πόδιον* hocce molem monstri non videbatur, statumen erat addendum *omnipotentiæ*, cui citra controversiam subjecta sunt omnia, & cui adhæret jus in omnia. Non libet hic multis enumerare, qvæ aptum natum sit, ab hac parte edere monstrosa, monstrum per se aspectu horridum; qvomodo fætore hujus, qvicunqve hominum, alterum qvendam hominem offendens, qvi cum peculiarem non contraxit societatem, jus habeat, si modo viribus & prævaleat, eum omnibus bonis spoliandi, imo occidendi: fiatqve tali homicidæ injuria, si à suis ad suppliciū propter tale facinus trahatur; qvod injuriæ possit incusare nulla gens potentior, qvod invadat impotentiorem, utcunqve erga sese innocentissimam: qvod qvæ Deus & natura cuiq; genti aut homini ut sua adsignavit, cuivis potentiori jus sit sibi rapere, huic adimere. breviter, qvod *vis ac jus*, qvæ omnium hominum judiciô, ut distincta ac contraria habentur, potenti res sint unius massæ. Nolim etiam iterum qvæstionibus agere, ac expiscari, num pacta, jus, si essentialiter potentiæ id adhæret, inde ipsum avellere qveant? & utrum qvid obstet, qvin æqve facile vinculum pactionis socialis, potentia cum malitia perrumpat, atq; aliud qvodvis naturalis aut divinæ legis? Nisi fallor hic Hobbio potentes patriotæ dudum rebus ipsis ac factis responderunt, nil obstare; verbis insuper ingeminantes, etiam hoc in casu *JUS* cum potentia est. Hujusmodi, inqvam qværere, aut isthæc commemo-

memorare, nunc non libet. Sed leviter modò detectâ tactâqve tibiâ, si qva est, cui fulcitur hispida moles, eam ruinosam è longinqvò spectandam relinqvere.

§. 6. Per naturam rei, & ea qvæ in præcedentibus fuere adducta, largiri tenemur Hobbio: Potentiam, modò non nimiâ sit malignitate fœdata, in bonis esse, & iis dixerim per se honorabilibus, & ubi in societatem, qvæ imperio indiget coitio ac complacitatio fit, ejus esse conditionis, ut ipsius qvoqve debeat haberi ratio. Cæterum nunqvid in statu hominum, qvalem Hobbius fingit, qvô separatim extra qvandam consociationem, aut citra in societatem factam consensionem illi existunt, præter admirationem aut comem observantiam virium prævalentia mercatur, aut qvicqvam, præter isthanc observantiæ prærogativam, juris, præpotenti in imbecilliorem tribuat, imperandi nempe, proqve arbitrio de eo statuendi, ad exitium usq; in qvodvis propriũ commodũ eundẽ persequendi; id velim robustioribus argumentis probari, atqve factum est; idqve citra vim naturæ ac naturali rationi illatam. Namqve qvod omnipotentiam divinam attinet, huic velim, ut junctam Hobbius relinqvat immensam Dei bonitatem, & porrò beneficium creationis, causasqve omnimodi divini juris in homines, reliqvas, de qvibus mox (a). imprimis autem ut arctissimam Dei omnipotentis cum creaturis conjunctionem, & multimodam socialem respectum Deum inter ac homines, neutiqvam extra oculos ponat; minimeqve concipiat Deum hominesqve ita separatos, atqve suos è terra fungorum more exortos, sine omni unius ad alterũ obligatione aut respectu, homines. Qvando verò comparationem instituit, potentiæ hominum hominibus prævalentis, ad eam, qvâ iidem brutis prævalent; & si qvidem juris inde paritatem cupit arguere; tunc svadeo, ut similem illi legi hominibus in bruta dicta: *terror vester sit super omnia animalia terræ: & dedi ea vobis in cibum sicut gramina campi*; hominibus in hominem sancitam proferat, aut si hoc non potest, ab exemplo ac comparatione hàc abstineat.

(a) cap. seq.

§. 7. Sunt sanè plurima hujus generis monstrosa in istis Thomæ Hobbii Elementis Philosophicis de Cive, ut appellat, saniori antiqvitati inaudita, certé nunqvam probata, veluti: *homi-*

nem non esse τὸ ζῶον πολιτικὸν; *matrem, non patrem habere primum jus potestatis in liberos*, per primam occupationem; & qvæ sunt similia; qvæ ego nunc otio supervacuo ac lusui tyronum ἐκ τοῦ περιπάτου relinqvo. Ego qvidem, qvia causam juris atqve obligationis qvandam aliam, aut saltem alió modó conformandam hæc elementa videbantur velle parturire, atqve in natura rerum eam subsistere deprehenderem, non potui, qvin calamum calamo Hobbiano reponerem, qvem etiam per nomen Hobbii in præcedentibus dictum velim; Virum enim ipsum, propter ingenii vim facile veneror, nec prorsus persvasum habeo, serió isthæc ab eo esse prolata; sed forsan in modum singularem Satyræ, qvâ cum multâ cautione ac tegmine perstringere is cupierit defectus hodierni humani moris.

CAPUT VIII.

De occupatione, ac lege arbitrii, tamqvam causis obligationis.

I. Obligatio rerum, qvæ etiam modis distincta datur;

II. Occupatione, causisq; jura in rem constituentibus reliqvis, contrahitur.

III. Lex, qvam ut causam gignendæ obligationis, reliqvis ejus generis in facto causis, parallelam, recensent periti,

IV. Videtur accipienda ea aliqva, qvæ est jussius permissi arbitrii.

V. Eorum, qvi multi per omnem vitam in alios potestatis præeminentiâ pollent.

VI. Utcunq; & ipsa hæc arbitrii lex, in causis obligatoriis reliqvis sese fundet; per peculiarem tamen sui rationem, ut peculiaris obligationis causa, possit haberi.

I.

QVando de essentia obligationis, ac τοῦ obligatum alicui esse, est, jure sive etiam juris qvâdam necessitate alicui adstrictum esse, ad aliqvid ei faciendum (*a*): facere au-

(*a*) *l. 3. de O. & A.*

autem qvid alicui non affirmativè tantum accipiatur, sed etiam negativè, pro pati ac nõ facere (*a*). qvãdo deinde nihil magis jure obligatum alligatumqve nobis dici potest, qvam qvod ita adstrictum nobis nostræqve potentiæ jure est; ut invitis abstrahi ac aufferri neutiqvam possit; utiqve *res, bonaq;*, qvæ isthôc modô nobis solent obstricta eodem; itemq; isthoc modò ad faciendum nobis nostræq; potestati alligata solent esse; (veluti sunt res nostræ, aut qvę alii juri in re, qvod dicitur, nostro subjectæ sunt.) rectè & secundum veritatem, qvæ in re est, nobis qvoqve obligata esse dicentur. obligationis qvidem voce generaliter sumptâ, secùs ac fit à JCto Paulo (*b*), personarum præstandi necessitatem tantum respiciente. Qvin ulterius ipsa hæc rerum obligatio suis non caret differentiis; qvibus alia strictior, minus vero stricta alia est; plenioris atqve amplioris effectus alia, alia minus ampla existit. Ita pro pleniori effectu utiqve nobis obligatæ sunt res nostræ, in qvibus plenam, qvam dicunt, potestatem habemus; utpote cum de necessitate perpessionis hujus sit, citrà, qvod à qvoqvã impediri jure possimus, ut à nobis ex teneãtur, servẽtur, vindicẽtur, variò atqve arbitrariò modò usurpẽtur, alienentur, &c. Ast ad minus amplam facultatem illa nobis obligata res est, qvę forte tantùm usumfructum, tantùm servitutem qvandam, veluti iter, aqvæhaustum, debet, qvam tantùm in securitatem crediti qvis retinendi jus habet. Deinde verò & strictioris vinculi illa iterũ obligatio realis est, qvæ est rei propriæ, dominiove nostro subjectæ, aut etiam ejus, qvæ ad facultatem qvandam nostram aliam, nexum habet perpetuum: veluti sunt prædia prædiis servire obnoxia. Minus autem firmi ligaminis videri potest rei pignoratitia obligatio (*c*); aut etiam, qvæ ad usumfructum, similemqve personalem servitutem, qvæqve ad gratuitum precariumqve usum alicui saltem rem obnoxiam reddit. cùm hæc brevioris plerumqve durationis, & qvandoqve ad merum domini rei arbitrium dissolubilis sit; Ista cum interitu personæ, cui qvid tale à re debetur, tollatur; Illa itidem ad facultatem ac voluntatem solvendi debiti perimatur. qvæ qvidem sunt manifesti juris omnia. Pro conseqventi nexus hujusmodi realis, obiter notari potest qvædam, qvæ semper eam comitatur, obligatio personalis, si non alia, saltem

(*b*) per l. 121. 102. de R. I.

(*b*) d. l. 3. de O. & A.

(*c*) t. qvæ res pign. obl.

(a) lib 1. Eth. c 7. & seq.

cio Aristotelis (a), qvô bona animi, hujusdemqve virtutem, corporis fortunæqve bonis anteponit: sine dubio illis qvoqve majorem dignationem atqve observantiam con cessurus, qvi his prævalent: intelligo donec cætera sunt paria per naturam, neqve etiam receptô more diversum sit introductum, qvô ipsô, fortassis ad naturæ qvoqve tolerantiam, poterit obtinere, ut spinastrum teneatur venerari cedrus. Imprimis autem attendendum existimem, num in qva imperii superioritate, alter præ altero sit constitutus, qvam eqvidem sacratam divinâ sanctione præeminentiam (b); omni huic subjectorum qvalitati, utcunqve per se multùm qvoq; venerabili, cum submissione tamen venerandam exponerem; jusqve jubendi, exigendiqve venerationem ac obseqvium, illi; obligationem autem parendi ac honorandi, huic præcipuè imponerem.

V. Qvod autem attinet ipsam *meriti debitiq;* determinationem, qvæ aut qvatenus illa cuiqve horum bonorum speciei, sive simpliciter, sive postqvam de præcellentiâ evictum est, præcipuè competentia sint, hanc multis facere, nimia varietas, ut operosam nimis, nunc qvoqve vetat. Modò qvæ tanqvā generalia magis universo generi, non videntur prætereunda: 1. qvâ obligationem omittendi seu negativi actus, qvodlibet verè bonum, qvo qvisqvam non nimiū malitiâ juxta diffluens, præditus est, eò facere, ut personâ eò magis inviolabilem præstet, cunctosq; eò magis qvasi restrictos teneat, ne lædant hanc, aut injuriâ afficiant, contemptui aut ludibrio habeant, id sanè & meretur bonum ipsum, qvod hic in personæ ornatu est, naturâ suâ inviolabile; & facile nobis dictitat ratio; qvæ etiam cruda magis ingenia eò solet adigere, ne subjectissimas sibi aliàs personas, æqvè crudè, prudentes aliisqve dotibus naturæ artisqve præditos, temerè exagitent, atqve stupidos inertesqve, similis aliàs conditionis. 2. qvoad obligationem faciendi, videri potest, aliqvô modô singularis ac diversæ naturæ debitum ex hac causa esse, ab eô, qvod communiter ex plerisqve reliqvis obligationis causis, cuiqve competens est. nimirum, qvia de natura boni, qvod cuiqve adhæret, est, esse honorabile sive observabile, aut certè esse aliqvod rem observabilem contingens, juxtà qvam colliges ex discursibus Aristotelicis, ubi ille (c) id qvod summum in vita bonum est,

(c) c. 12. & 8. lib. 1. Eth.

eſt, honorabile eſſe demonſtrat, & alibi ad hujus profectionem ac complementum, ſpectare reliqva bona omnia, qvæ modo aliqvid momenti in vita habeant. Hinc igitur qvod huj9 cujusq; boni ergò, primario poſſeſſori ab alteris deberi poteſt, videtur pro menſura dignationis cujusqve, honor, obſeqvium, obſervatio, facilitas, eſſe, ita tamen, ut ſecundariò, ac in modum lautioris ſubſidii, aliæ præſtationes, à debito hoc honorato non videantur excludendæ eſſe: qvin ex ipſo hoc dignationis merito fore, ſi egregiis virtute viris, aut ex illuſtri ſtemmate oriundis, aut aliis præcellentiæ generibus præditis, eximia magis ſtipendia, victusqve exhibeatur lautior; ſi in omni convictu, humanâqve converſatione, dignioribus bonis clareſcentibus digniora, elegantioribus elegantiora, præbeantur atqve concedantur. Qvæcunqve autem horum iſtis debentur, ipſi videntur jus facultatemqve juſtam habere, cum congruente modeſtia ſibi vindicandi.

VI. Facere autem ad formam hujus, juris obligationis, debitiq;, qvò ſcil. purè iſta in actum conſtituantur, non parùm ipſa perſonarum ad invicem conjunctio, ſive compoſitio videtur. Namqve, etſi qvodlibet bonitate præſtans, homines, ſive præſens id ipſis ſit, ſive abſens, modo cognitum, vi dignitatis ſuæ, qvaſi naturaliter ad ſui admirationem æſtimationemqve videatur pertrahere; minimum obligatos tenere qvoslibet, ne vituperiis id inceſſent: an propter juſtum tribuendum conditori, qvi vult glorificari in operibus ſuis? Angeri tamen ipſa hæc videtur obligatio, magisqve protendi, & ad certùm alium atqve alium modum redigi, imò ſæpius ex conditionali qvaſi pura reddi, ubi perſonis honorandis, (circa has enim nunc conſideratione hâc potiſſimum verſamur) coràm ventum eſt. Qvomodò per hujusce omninò obligationis pulſum, protrudi dixeris illos actus, qvibus vultus ac nomina honeſtorum, honoratiorumqve ſalutare ſolemus: qvibus in congresſibus conſeſſibusqve locum honoratiorem alii aliis, tanqvam ex merito dignitatis concedimus: qvibus Deum, qvod ipſum Optimum Maximum, maximâ veneratione dignum, ſemper nobis novimus præſentem, pii ſemper reveremur, non planè ſimilia facturi, ubi iſti homines honorati, locorum intervallis à nobis remoti ſunt. Simili-

milter & alia, hujus causæ ergò, digniori cuiqve præstanda, ferè ad præsentes, alium solent sortiri modum, atqve habent erga absentes; nisi qvatenus etiam hic qvædam qvasi per media personarum conjunctio cõpingatur, veluti per epistolas, nuncios, mediatoresq; alios. Imprimis autem, ad aliqvam qvasi singularem notam pertransire hæc obligatio jusqve honorarium solet, ubi præterea personæ aliqvo peculiari societatis vinculo sunt connexæ, ubi natura simul cum legibus ac moribus pro definiendo honorario hoc debito solent laborare. imò & partem illorũ bonum, qvæ qvid eò conferre possunt, imperio, in qvantum hoc societati cõgruit, destinare, veluti prudentiam, patientiam, aut alia qvæ hujus valoris æstimationem habent.

VII. §.1. Anteqvam hæc linqvam, non possum, qvin miraculi ac novitatis ergo Monstrum aliqvod horrendum ingens, in scenam hic producã, natum qvidem illud non ita pridem cuidam Thomæ Hobbio, Nobili Anglo, in suis *Elementis Philosophicis de Cive*, genti suæ, imò Dominis, infelicis præsagii partum. Obstentum autem illud, qvod nunc qvidem tango, qvodqve præcipuum ex reliqvis ejus secundinæ est, (sunt enim plura, sed staturæ humilioris) *jus in cupiditate ac potentia positum est;* qvò videl. qvicunqve in statu, nescio qvô naturali, potentior est, secundum suam cupiditatem jus absolutè imperandi ac statuendi habet in eos omnes, qvi se sunt impotentiores, qvosqve vi cogere ac superare valet: *jure* qvodam *belli omnium in omnes*. Lineamenta hæc ipse Plastes huic suo fœtui ita ponit (a): *Intelligitur, in statu hominum naturali, potentiam certam & irresistibilem, JUS conferre regendi imperandiq; in eos, qvi resistere non possunt.* *adeò* (hem tibi colorem bestiæ speciosum) *ut omnipotentiæ, ab eâ causâ, omnium rerum agendarum jus essentialiter & immediatè adhæreat.* Qvæ istorum genuina sit mens, nempe, ex conceptu usqve, monstrosa, qvæ jus in potentia ponit, id porrò hinc inde multis, inter cætera autem etiam his declarat, ubi cap. 8. § 10. ait: *Eodem modò acqviritur jus in animalia ratione carentia, qvo in personas hominum, nimirum viribus & potentiis naturalibus. siqvidem enim in statu naturali, propter bellum omnium in omnes, subjugare vel etiam occidere homines, cuiq; LICITUM sit, qvoties id suo bono conducere videbitur.*

(a) *cap. 1. nũ. 14. in fin.*

§ 2.

§.2. Forsan expedit statumina pedum qvibus basi suæ in fixum consistat, nudare ac avellere, & monstrum per se ruet. horum autem potissimum videntur duo esse, figmentum nempe, de statu hominum, nescio qva conditione, naturali, & judicium erroneum de dignatione potentiæ naturalis pro effectû juris ac potestatis. Scilicet fingit primùm hic Philosophaster admodum novitius (Aristoteles enim, & si qvi sunt reliqvi ex antiqvo, imò omni ante se ævò, veræ sapientiæ studiosi huic flocci sunt) dico, fingit hic statum qvendam hominum naturalem, pejoribus, qvam beluinis, relictum cupiditatibus, eidemqve nescio qvodnam ex utopia protractum monstrum juris affingit. Libet autem hic prius intueri veritatem qvam figmenta. Si rem igitur ut in se est, & hominem ut per naturam existit, intueri incipias; deprehendes, hominem cum corpore singularis præ aliis rebus naturalibus συμμετρίας, & animâ, partim appetentis partim rationalis facultatis enasci, & esse qvidem hôc modò hominem, si omnem ejus potentiam junctim consideres, aptum natum, ut agere possit, ad boni ordinis, & sui aliorumqve conservationem, & etiam ad sui aliorumqve perniciem, rerumqve perturbationem plurium. Deinde verò, & si appetentem hominis facultatẽ respicias; observabis, per hanc ipsum qvidẽ inclinare solere potissimum ad sui conservationem ac commodũ, etiam sæpius cum aliorum incommodò ac pernicie; non tamen etiam semper, aut omnẽ omniũ; licet soli illi facultati relictum fingas; nisi magis brutalem huic, qvam brutis appetitũ affingas. Cæteru, utut per hæc sibi naturalia, homo ambiguæ sit potentiæ, destinatæqve magis appetitionis ad emolumentum proprium, conjunctũm qvandoqve cum detrimento alterius; nondum tamen hisce tota natura naturalisqve potentia hominis absolvitur, qvin potius præcipuum ejus naturale, in qvô ipsum esse suum specificum habet, est rationalis sive anima sive potentia ejus: per qvam inter cætera ipse homo docetur, qvid honestum ac decens; nec docetur tantum, sed etiam jubetur, impellitur, ac trahitur eadem sectari, verbo lumen legemqve naturæ, huic parti habet divinitus inscripta, per qvæ & docetur, qvid cuiqve suum sit, & mandatur id ipsum cuiqve tribuere, præcipiturqve hone te vivere ac neminem læde-

Hobbius, ubi verò ſuis ſomniis indulget, minimè omnium. aliàs non comprehenſurus hæc in natura humana, aut ſtatu naturali hominum, ac ſimul inde excluſurus.

§.4. Neſcio, an aliqvid refugii hic velit qværere Hobbius in diſtinctione ſtatus hominum, qvô vel extra ſociale aut mutuæ pactionis vinculum conſtituti illi ſunt, vel intra iſtud. Namqve coalitæ ac imprimis mutuæ pactioni initæ ſocietati, ille tandem pacem humanam omnem, jurisqve illius belli omnium in omnes ceſſationem tribuit! & an forte illam rectæ rationis legem ductumqve hominibus, in hoc ſtatu conſtitutis, non etiam in illo, naturalem eſſe, cupiat? Sed jam cuperem edoceri, an multi ſint iſtorum hominum, qui poſt primum virum mundo immiſſum, extra ſocietatem nati ſint, & qvot putet Hobbius iſtorum hominum in orbe extitiſſe, qvi, ut ipſe fingi cupit (a), *è terra fungorum more exorti ac adulti ſint, ſine omni unius ad alterum obligatione*: an vero hi ſtryges & Chymeræ ſint? deinde annon putet ſocietates alia qvoqve poſſe principia habere, atqve pacta; & utrum ex genere cauſarum eas conſtituentium excludi velit, ipſam & nativitatem ab invicem, & cognationem? Et porrò ſi pacto demum ſocialis pax reddatur hominibus cum aliis, qvamdiu putet in ſocietatibus enatis ac adoleſcentibus, jus belli in omnia iſtius ſocietatis membra eſſe, & has contra illos? Ulterius, an leges illæ naturæ pacificæ, qvas longo ordine recenſet, ac teſtimoniis divinis confirmat, imò divinas ipſas eſſe demonſtratum cupit (b), una cum fundamento ſuo, rectâ Ratione, poſt initas pactiones hominibꝰ demũ infundatur? Et deniq; an putet, pactionis legem, qvam homines ipſi ſibi conſenſu ſuô conſtituunt, cupiditatibus hominum refrenandis, jurique belli omnium in omnes, qvod in his fundat, abolendo, magis virium habere, atqve immutabilis Dei ac naturæ lex mentibus humanis pro hoc effectu inſcripta? an vero non, ubi potentiæ exuberantiam cupiditati ſubdas, æqvè facile perrumpantur pacta ſocialia, reſultetq; illud qvalecunqve jus belli omnium in omnes, atqve ubi pacta talia inita non ſunt? Et ſi qvidem pacta huc aliqvid faciant, an non ipſa hæc, vim hanc ſuam continendi hominum manus à violentiâ, aut etiam porrigendi ad præſtanda debita promiſſaqve, ex ipſa lege

(a) *cap. 8. art. 1*

(b) *cap. 3. & 4.*

naturæ habeant, qva pacta servanda esse hominum menti dictitatur atqve sancitur? Nisi cautè hujusmodi tricis pes colossi unus, qvi cum cupiditate status naturalis, *juri*, eidemq; belli & imperandi omnium in omnes, suffixus ab Hobbio est, eximatur, nescio, an ab uno latere is contractus ruinam illi minitetur.

§. 5. Qvod alterum attinet pedunculum, (pedem autem non esse, spectator non mirabitur, qvia monstrum est, qvod producitur) is nomen habet *potentiæ:* qvæ qvidem potentia (intelligite, prævalentiam viriū qvæ naturalis aut facti alicui est citra concessionem legis alicujus) *certa ac irresistibilis* Hobbio *jus confert regendi imperandiq; in eos, qvi resistere non possunt*, homines homini subjicit, ut brutorum instar huic subjugari, atqve si ita alicui potenti sibi conducere visum est, mactari pro lubitu qveant. qvia autem sustinere πόδιον hocce molem monstri non videbatur, statumen erat addendum *omnipotentiæ*, cui citra controversiam subjecta sunt omnia, & cui adhæret jus in omnia. Non libet hic multis enumerare, qvæ aptum natum sit, ab hac parte edere monstrosa, monstrum per se aspectu horridum; qvomodo fætore hujus, qvicunqve hominum, alterum qvendam hominem offendens, qvi cum peculiarem non contraxit societatem, jus habeat, si modo viribus & prævaleat, eum omnibus bonis spoliandi, imo occidendi: fiatqve tali homicidæ injuria, si à suis ad suppliciū propter tale facinus trahatur; qvod injuriæ possit incusare nulla gens potentior, qvod invadat impotentiorem, utcunqve erga sese innocentissimam: qvod qvæ Deus & natura cuiq; genti aut homini ut sua adsignavit, cuivis potentiori jus sit sibi rapere, huic adimere. breviter, qvod *vis ac jus*, qvæ omnium hominum judiciô, ut distincta ac contraria habentur, potenti res sint unius massæ. Nolim etiam iterum qvæstionibus agere, ac expiscari, num pacta, jus, si essentialiter potentiæ id adhæret, inde ipsum avellere qveant? & utrum qvid obstet, qvin æqve facile vinculum pactionis socialis, potentia cum malitia perrumpat, atq; aliud qvodvis naturalis aut divinæ legis? Nisi fallor hic Hobbio potentes patriotæ dudum rebus ipsis ac factis responderunt, nil obstare; verbis insuper ingeminantes, etiam hoc in casu *JUS* cum potentia est. Hujusmodi, inqvam qværere, aut isthæc commemo-

memorare, nunc non libet. Sed leviter modò detectâ tactâqve tibiâ, si qva est, cui fulcitur hispida moles; eam ruinosam è longinqvò spectandam relinqvere.

§. 6. Per naturam rei, & ea qvæ in præcedentibus fuere adducta, largiri tenemur Hobbio: Potentiam, modò non nimiâ sit malignitate fœdata, in bonis esse, & iis dixerim per se honorabilibus, & ubi in societatem, qvæ imperio indiget coitio ac complacitatio fit, ejus esse conditionis, ut ipsius qvoqve debeat haberi ratio. Cæterum nunqvid in statu hominum, qvalem Hobbius fingit, qvô separatim extra qvandam consociationem, aut citra in societatem factam consensionem illi existunt, præter admirationem aut comem observantiam virium prævalentia mereatur, aut qvicqvam, præter isthanc observantiæ prærogativam, juris, præpotenti in imbecilliorem tribuat, imperandi nempe, proqve arbitrio de eo statuendi, ad exitium usq; in qvodvis propriũ commodũ eundẽ perseqvendi; id velim robustioribus argumentis probari, atqve factum est; idqve citra vim naturæ ac naturali rationi illatam. Namqve qvod omnipotentiam divinam attinet, huic velim, ut junctam Hobbius relinqvat immensam Dei bonitatem, & porrò beneficium creationis, causasqve omnimodi divini juris in homines, reliqvas, de qvibus mox (a). imprimis autem ut arctissimam Dei omnipotentis cum creaturis conjunctionem, & multimodam socialem respectum Deum inter ac homines, neutiqvam extra oculos ponat; minimeqve concipiat Deum hominesqve ita separatos, atqve suos è terra fungorum more exortos, sine omni unius ad alterũ obligatione aut respectu, homines. Qvando verò comparationem instituit, potentiæ hominum hominibus prævalentis, ad eam, qvâ iidem brutis prævalent; & si qvidem juris inde paritatem cupit arguere; tunc svadeo, ut similem illi legi hominibus in bruta dictæ: *terror vester sit super omnia animalia terræ: & dedi ea vobis in cibum sicut gramina campi*; hominibus in hominem sancitam proferat, aut si hoc non potest, ab exemplo ac comparatione hâc abstineat.

(a) *cap. seq.*

§. 7. Sunt sanè plurima hujus generis monstrosa in istis Thomæ Hobbii Elementis Philosophicis de Cive, ut appellat, saniori antiqvitati inaudita, certè nunqvam probata, veluti: *hominem*

autem qvid alicui non affirmativè tantum accipiatur, sed etiam negativè, pro pati ac nō facere (a). qvādo deinde nihil magis jure obligatum alligatumqve nobis dici potest, qvam qvod ita adstrictum nobis nostræqve potentiæ jure est; ut invitis abstrahi ac aufferri neutiqvam possit; utiqve *res, bonaq;*, qvæ isthóc modô nobis solent obstricta eodem; itemq; isthoc modô ad faciendum nobis nostræq; potestati alligata solent esse; (veluti sunt res nostræ, aut qvę alii juri in re, qvod dicitur, nostro subjectæ sunt.) rectè & secundum veritatem, qvæ in re est, nobis qvoqve obligata esse dicentur. obligationis qvidem voce generaliter sumptâ, secùs ac fit à JCto Paulo (b), personarum præstandi necessitatem tantum respiciente. Qvin ulterius ipsa hæc rerum obligatio suis non caret differentiis; qvib9 alia strictior, minus vero stricta alia est; plenioris atqve amplioris effectus alia, alia minus ampla existit. Ita pro pleniori effectu utiqve nobis obligatæ sunt res nostræ, in qvibus plenam, qvam dicunt, potestatem habemus; utpote cum de necessitate perpessionis hujus sit, citrà, qvod à qvoqvā impediri jure possimus, ut à nobis eæ teneātur, servētur, vinditētur, variò atqve arbitrariò modô usurpētur, alienentur, &c. Ast ad minus amplam facultatem illa nobis obligata res est, qvę fortè tantùm usumfructum, tantùm servitutem qvandam, veluti iter, aqvæhaustum, debèt, qvam tantùm in securitatem crediti qvis retinendi jus habet. Deinde verò & strictioris vinculi illa iterū obligatio realis est, qvæ est rei propriæ, dominiove nostro subjectæ, aut etiam ejus, qvæ ad facultatem qvandam nostram aliam, nexum habet perpetuum: veluti sunt prædia prædiis servire obnoxia. Minus autem firmi ligaminis videri potest rei pignoratitia obligatio (c); aut etiam, qvæ ad usumfructum, similemqve personalem servitutem, qvæqve ad gratuitum precariumqve usum alicui saltem rem obnoxiam reddit. cùm hæc brevioris plerumqve durationis, & qvandoqve ad merum domini rei arbitrium dissolubilis sit; Ista cum interitu personæ, cui qvid tale à re debetur, tollatur; Illa itidem ad facultatem ac voluntatem solvendi debiti perimatur. qvæ qvidem sunt manifesti juris omnia. Pro consequenti nexus hujusmodi realis, obiter notari potest qvædam, qvæ semper eam comitatur, obligatio personalis, si non alia, saltem

(b) per l. 121. 102. de R. I.

(b) d. l. 3. de O. & A.

(c) t. qvæ res pign. obl. t.

III. Septimò,eòqve ultimò locò,in causis constituendæ obligationis,forsitan retulerit qvis *Legem arbitrii*, qvam liceat appellare. Multotres,observare est,Jurisperitos mentionem facere *legis* tanqvam causæ,constitutivæ sive potestatis alicujus, sive obligationis (*a*): idqve tanqvam specie diversæ,à reliqvis horum effectuū causis. Ut exemplum adducam in specie obligationis[in potestate autem res adhuc occurrit freqventius (*b*)] *Obligamur* ait Modestinus JCtus (*c*) *aut re,aut verbis,aut simul utroq;,aut cōsensu,aut lege,aut jure honorariò,aut necessitate,aut peccatò*.nō nūc examino, qvā benè aut malè,hæc membra omnia disponantur; tantum observo, *legem, jus necessitatem*, tanqvam causas obligationis , reliqvis ejus generis qvasi specie contradistingvi : ipsa autem hæc ad unum caput , *juris* videl. posse referri. Videamus autem qvomodo auctor compositionis illius hæc describat; *Lege*, inqvit (*d*), *obligamur* , *cum obtemperantes legibus,aliqvid secundum præceptum legis facimus*. Ita minꝰ clarè ad rem propositam definiendam ; concinniùs autem in his (*e*): *jure honorariô obligamur ex his;qvæ edictô perpetuô, vel Magistratu fieri præcipiuntur,vel fieri probibentur*. Et porrò idem effectu dicens : *Necessitate obligantur*;qvibus *non licet aliud facere,qvam qvod præceptū est. qvod evenit in necessario berede*. Alibi (*f*) ex Paulo, *obligatio introducta lege novâ*,tanqvam causâ,aliis,ab hac diversis,ejusdē causis interponitur.

(*a*) Ulp. l. 19. §. 1. & 15. t. ff. de cōdict. ex leg. & t. de success. tutel. leg. vid. l. 130. de V. S. l. 1. de petit. hered. &c. (*b*) d. text. vid. num. ult. cap. 15. lib. 2. (*c*) l. 52. pr. de O. & A. (*d*) d. l. §. 5. (*e*) §. 6. (*f*) l. un. de condict. ex leg.

IV. Res est,opinor, qvæ alicui videri possit minus congrua : jus seu legem qvasi parallelam reliqvis in facto rerum consistentibus obligationum causis constituere ; & idem jus seu legem, qvasi generalem,primam atqve masculam causam statuere, omnis in universum obligationis,[ut supra faciendum demonstravimus (*g*)] eandemqve concurrentem semper cum causa qvadam in facto alia. An,qværeret qvis,saltem contingit aliqvando,ut merâ lege, citra concurrentem aut suppositam causam facti, obligatio qvædam gignatur,aut potestas? Forsan haud ostendi potest,dari aliqvā hominis obligationem per naturæ qvandam legem,qvæ non juxtà, aliqvô modô suffulta sit,qvâdam ante memoratarum facti causarum. Et si hoc,(qvod qvidem erit,donec diversum ostendatur) suspicio est, nec obligationum,ex humana aut positiva lege,aliqvā esse,

(*g*) lib. 1. c. 4. in fin. & per l. h. tot. lib. 2. c. 1. num. 5. lib. 3. c. 1. n. 6.

minâ captivum redimere; aut illud: caprâ Jovi sacrificare non ove: qvalia etiam, præterea dicit ille, *sunt, qvæ circa singularia qvævis in civitate constituuntur, veluti Brasidæ sacra facere, & plebiscita qvæcunq; fere alia.* Ex nostra civili positione, nescio an innumera hujusmodi possint depromi, veluti, tot testibus, talibus adhibitis solemnitatibus testamenta oportere condi; tantam necessariò liberis relinqvi bonorum legitimam; donationem tantæ summæ debere insinuari actis; conjuges inter vivos sibi haud debere donare posse cum effectu; & reliqva, qvæ Modestino, ante allegato locô, *secundum præcepta legum, qvibus obligamur, facimus*; qvæ facere aut non facere obligamur, *qvia jure* (civili) *fieri aut non fieri præcipiuntur*; qvæ, *qvia præcepta sunt, ex necessitate obligationis non licet aliter facere.* Notari velim, circa hæc, & omnia huc generis relata, illud Aristotelis, qvô hujusmodi ordinationē arbitrariā, circa *singularia* dicit esse occupatā, intelligens per ista singularia, ut passim is facit, hæc facta aliqva, aut etiam horum circumstantias. fieri enim poterit, uti aliqvod justum officii, per se jam ante naturæ lege sancitum sit, veluti, aliqvid bonorum liberis testamento esse relinqvendum; qvoad circumstantias autem qvanti, modi relinqvendi, ac similes, veluti ut qvarta vel tertia legitimæ; ut titulo institutionis relinqvatur, civilis arbitrariæ legis sit. Porrò vero imprimis audiri velim Modestinum, accensenti legitimis obligationibus, qvæ ex *Magistratuum præceptis ac prohibitionibus* sunt: qvæ sanè multis modis ex hisce, tanqvam ex legibus, secundum arbitrium datis, qvoad pleraqve saltem singularia, solent esse. Et deniqve ad ipsum hoc ex arbitrio legum obligatoriarum genus, non dubitarem referre pleraqve parentum, maritorum, dominorum, aliarumqve, qvæ qvalecunqve arbitrarium imperium in alios habent, personarum jussa, de iis videl. rebus, aut rerum singularibus, qvæ ipsorum libertati definiendi, naturali ac publicâ lege sunt relicta. Patet, patere latissimè, id qvod lex arbitrii meretur dici, & per conseqvens illā, qvæ inde per momenta potest numerô infinities nasci, obligationem.

VI. Tantummodo id videtur nondum satis edictum: An igitur isthæc lex arbitrii, prorsus citra omne in natura datum aliud, obblgationem (potestatemqve) pariat, hominibusqve, qvibus fer-

tur, affingat? an vero saltem in aliqvo talium, ex genere anteriùs relatorum, etiam hæc sese fundet? Sed dicendum est, etiam hic posteriùs esse verum. Namqve si respiciamus, unde qvævis hujusmodi arbitrii lex proficiscatur, aut unde vim illam trahat, qvod ei cui fertur, obligationis necessitatem (jusve agendi) possit gignere; omninò apparet, ab aliqvâ conditionis preeminentiâ, eâ imprimis, qvæ legitima potestas imperandi ac liberè disponendi est, isthanc prodire: neqve enim, qvi non à tali potestate exit jussus, vim obligandi habebit; qvi etiam, nisi per risum, jussus dici non meretur. jam vero isthæc qvæcunqve legitimè imperandi alii in alium competens potestas, utiqve, una cum jure diviniore, qvod & istam sancit, aliqvid memoratarum facti causarum simul substratum habebit. prout facile apparet, si modò contueamur personas, qvæ sint, qvibus competat, juxta qvoddam suum arbitrium, alios jubere eosdemqve imperando obligare; post Deum videl. ipsum Magistratum civilē, parentem, dominum, maritum, ac similes; & si porrò animadvertamus, omnes eos mediante vel naturali prærogativâ, vel egregiô beneficiô, vel conventione, causisqve ejusmodi pariter aliis ad istum dignationis gradum esse provectos. breviter qvia lex arbitrii cum obligante sua vi, sese fundat, in jure, privilegiô seu præcipuè competente potestate imperandi; potestas autem hæc imperandi in aliqva aut aliqvibus simul, dictarum facti causarum; utiqve lex arbitrii, & cum hac ipsa qvæ exinde est obligatio sese simul fundat in iisdem causis. Id qvòd etiam communiter pellucet hominibus, qvi adhortantes aliqvos, ut istiusmodi arbitrariis jussibus seu legibus pareant, pro fundamento rationis ponunt: qvia Deus, qvia magistratus, qvia pater est, qvi jussit: sæpius ulterius progressi, etiā ipsas causas primas exprimendo, obseqvere dicentes: qvo tot habes beneficia: qvi tantæ sanctitatis ac potentiæ tibi dominus: cui lege pactisqve communionis subjectus es, inqve talibus ad parendum obligatus. Veruntamen, utut hæc ita sese habeant; qvia interea non caret suâ specialitate hic modus gignendæ obligationis, in eô imprimis, qvod lex hæc arbitrii, mediante demū cōpetētiâ potestatis, sive auctoritatis jubendi, ex jure perpetuô, & istis in factô causis, vim suam obligandi mutuatam exserat; cum qvæ præ-

ter.

ter hanc enascuntur obligationes, qvasi immediatè ex lege perpetuâ, ac istis datis, v. g. conventione, delictô, contractæ prodeant; tanqvam specialem aliqvam obligandi causam, imitatione jurisperitorum, reliqvis hanc libuit adnumerare. Videnturqve adeò, juxta legem perpetuam, qvæ universalis omnium est, in *datis* per naturam, omnis obligationis, (potestatisqve legitimæ) *causæ* hæ, sacrô numerô, septem: *Beneficium*, *Delictum*, *Conventio*, *Communio*, *Boni præcellentia*, *Occupatio*, & *Lex arbitrii*. Admirabile divinissimæ sapientiæ opus, qvo universam multitudinem hominum, imò creaturarum, corpore ac spiritu aliàs multùm distinctam ac separatim existentem, pro conservanda, in suam gloriam suorumq; cōmodū, justa συμμετρία hujus pulchri universi, mirabiliter invisibili hoc obligationis, qvam dicimus, ligamine nectit. Cupio autem edoceri, num qvæ mirandi hujus vinculi, per naturam rerum, præter septem illa data, dentur causæ plures!

CAP. IX.

De intensione obligationis, per incrementum, & concurrentiam causarum obligandi.

I. Intenditur, omnis obligatio, per sua cujusq; causæ incrementum.

II. Maxime autem, ubi plures fortè obligandi causæ, ad unum nexum constituendum concurrunt, consistuntq;. Qvam rem exemplis facile illustrat, & domestica,

III. Et civilis œconomia;

IV. Et conjunctio, cum Deo,

V. Hominibusq;, hominum.

I.

DE singularum obligandi causarum incremento, in effectum fortioris & ad ampliora nexus, qvia ex iis, qvæ ad singulas tractata sunt latiùs, constare potest, non est, qvod multis hic addere opus sit. Qvi n. naturâ cujusqve causæ probè habet perspectam, de ejus ἀκμῇ qvam ex circumstantiis nancifcitur, facile qvoqve judicabit: Nullô negotiô conspecturus, obligationem magis magisqve intendi, & qvà debitum, ampliorem, qvà vinculum, strictiorem & arctiorem evadere, qvò liberior, & ci-

tra omnem ullius injuriam fuit rei personæve occupatio, specificatio; qvò re majus, formâ splendidius, majori animi libertate, magis indigenti &c. fuit exhibitum beneficium; qvò excellentiori gaudet dignatione, cui conjunctus qvis compositusqve sistitur; qvo lex arbitrii ex pleniore potestate proficiscitur; qvò cognatio socialisqve conjunctio vicinior, magisqve ad idem commune concurrens; qvò conventio magis seria ac deliberata, à personis, ad actum conveniendi aptis, ac omni exceptione majoribus, fuit celebrata; qvò deniqve malignitas commissi flagitii gravior tetrior atqve aversabilior est. Addere igitur denuò de hoc, ex hisce causis, obligationis incremento qvicqvam, modò videri potest in supervacaneis esse. Resqve præterea breviorem qvoqve desiderare expeditionem, qvoad harum causarum concurrentiam, & qvod inde seqvi potest, obligationis augmentum, ante oculos ponendum.

II. Observare igitur, naturam rerum ac negotiorum intuenti, de causis illis obligationis hactenus comemoratis, est, præterqvam, qvod singulares singulæ obligationis species producere aptæ natæ sint, fieri sæpissimè, ut plures earum concurrant ad aliqvem unum obligationis nexum, eundemqve adeò magis magisqve & firmum reddant constrictumqve, & debitô amplum. Qvomodo primo, necesse est, ut, qvæ inter homines est, cognationis & humanitatis ratio, cum reliqvis omnibus istis causis, ubi superveniunt, concurrat; similiter freqvens, ut cum reliqvis reliqvæ; efficaciâ, qvam docet & usus & ratio, qva fortius plura ligari vincula, cogimur credere, qvam unum. Sanè, fieri potest res per exempla liqvidissima. stricta ista ac multa *obligatio filiorum erga parentes*, reverentiæ atqve obseqvii his præstandi, causam primam qvidem habere videtur (præter jus, qvod qvidem omnibus obligatoriis facti causis commune esse sæpius dictum est) ingens *beneficium*, qvo esse & vivere, & sæpe etiam benè vivere, ab his illi habent. Attamen non parum hunc nexum augeri deprehendas, tùm ab arctè conjūctô sangvine, tùm imprimis, à præeminentiâ boni, qva pater præ filio pollet; donec, præterqvam qvod ætate, etiam experientiâ, prudentiâ, aliisqve virtutibus ac bonis eum præcedit, intellige in ætate hujus pupillari, imprimis. Et qvod hæc posterior causa, priorem illam in nectendo

ctendo

ctendâ filiali obligatione haud parum qvidem juvet, indicium habet manifestum: Qvod filii, licet semper qvidem eôdem modò patris beneficiarii sint; ubi tamen accrescentes, paulatim patri sapientiâ, virtute, robore, bonis etiam fortunæ, aut reliqvis exæqvantur, eoqve eminentiam qvæ in patre horum erat, suâ conditione, qvasi paulatim ipsi confutant, deprimunt, ac de statu dimovent; jam non eôdem modô, ad omnem arbitrarium obseqvium parenti ita strictè amplius obligati putentur (si qvidem naturale jus spectes,) atqve erant, ubi impuberes atqve pusilli & corpore & prudnntia & bonis reliqvis adhuc degebant. qvod & Philosophus observat (*a*): dum paterni imperii vigorem, & per hunc, vigorem officii filialis, ex justo naturæ, potissimum in eo fundat, qvod ætate, prudentiâ, & reliqvis pro competentia imperii reqvisitis, filium pater antecellat qvod & civilis prudentia plurimum discutere consvrvit: qvando non similem matri atqve patri in liberos potestatem tribuit (*b*); nec hanc ipsam huic cum pari vi, æqvè diuturnam in filios atqve in filias (*c*): qvando & majorem consulendi facultatem, plusq; juris matri in filias qvam in filios permittit (*d*): qvorum qvidem omnium ratio, non tam in beneficio aut statu parentali est; ex hoc enim utriqve parenti, in utriusqve sexus liberos, æqvale foret jus tribuendum; sed in dicta dignationum præcellentia sese ut fundet, necesse est. Conjugalis societas conventione constat, & qvâ hoc fundamentum, dubites, an non obligatio mutua sit utrinqve similis: At dominatus marito, & subjectio fœminæ, jure est injuncta; eoqve hujus obligationi augmentum additum non leviusculum, absqve dubio fundante sese lege hâc in comparatione sexus atqve qvalitatum utriusq;, qvâ majoris perfectionis masculus communiter deprehenditur fæmellâ esse, qvæ in respectu ad marem, etiam *vas debile* Apostolo audit. Unde & propter hanc causam etsi contraria conjugum reperiatur conditio esse, ea scil. qvâ forte fœmina virtute præcellat marem, nisi obstaret exempli scandalum, contra morem communem fortassis argueres, qvod si qva deprehendatur Abigail in domo Nabal, ei injuriam videri fieri, si non juxta maritum ad proximum imperii domestici gradum admissa, virum comiter magis vereri qvam metuere habeat. Severius, istud herile, qvod

(*a*) *lib. 1. polit.*

(*b*) *§. 10. d. ad opt. 1. de patr potest.* (*c*) *pr. I. de exhered. lib. N. 115. c. 3. §. 11* (*d*) *l. 1. & 2. C. de nupt.*

modô legitimô constituta, & à bonô beneficè exercita, crimine maximô majestatis fuerit impetita. In commercialibus negotiis, obligationem constituentibus privatorum erga privatos, qvòd cōventio ipsa, promissione & aliqvô qvasi intentatô beneficiô, qvod est fides habita, obliget, constat, re hac suò locô (a) demonstrata uberius. Majus autem robur utiqve nanciscitur eadem ex contractu obligatio, constringendi promissorem, ubi ab altera parte etiam res qvædam, fuit in commoditatem alteri exhibita traditave, veluti per speciem mutui, commodati, locati, venditi, contractuum innominatorum; do, facio, ut des aut facias &c. qvam ubi in simplicibus conventionis terminis negotium perdurat: dum inde actio & omnimoda præstandi necessitas oritur civili jure, hinc non item (b). Amplior porro & majoris solicitudinis est obligatio, pro custodienda re alterius, ex contractu accepta, reddendaqve, ubi amplius concurrit ad conventionem beneficium; ut declarant in commodatô, pignore, depositô, locatô & similibus juris auctores (c). Ulterius, beneficium magis videtur nos obligare probo benefactori, aut etiā ei, cui jam antè ex aliis causis ad facienda cōmoda obstricti eramus. Strictior longè atq; vehemētioris nexus evadit obligatio ex delicto, qvod in magistratum, parentem, dominum, sangvinem cognatum, civem, liberum, beneficiarium, committitur, qvam qvod in æqvalem, inferiorem, extraneum, servum &c. prout multis edocet distinctio pœnarum, per capita juris, qvæ de delictis & pœnis agunt, occurrens plurima. Qvod hæredes testamentarii tam strictè ad explendam defuncti voluntatem teneantur, ad legata scilicet ac libertātes datas exsolvendā; qvod nil qvicqvam eorum, qvæ jussi sunt, qveant omittere, imò æs alienum defuncti omne teneantur exsolvere, prout hæc pluribus de successionibus jura docent, ex duplici illo videtur concurrente vinculo esse, qvò & beneficiô à defuncto honorati sunt, rei liberaliter in eos collatæ; & qvò adeundô hæreditatem, tacitâ conventione & consensu, [qvasi contractum jura appellant (d)] sese obligasse censentur, ad ea, sine qvibus hæreditatem habere non poterant.

(a) cap. 5. hoc lib.

(b) l. 7. de pact.

(c) l. 5. cōmod. t. I. qvib. mod. re contr. obl. t. de locat.

(d) § 5 I. de obl. qvæ ex qſ contr.

IV. Attentionem hìc meretur, qvi fiat, qvod adeò intensissimâ obligatione *Domino Deo nostro* simus obstricti, qva *cum tenemur*

dili-

diligere ex totô corde nostrô, ex totâ animâ nostrâ ex totis viribus nostris! Qva timorem domini, omni qvod timeri potest, debemus anteponere, & nunqvam non ad ejus venerationem gloriam & obseqvium parati stare! videlicet pro hac intensione omnes illæ supra commemoratæ obligandi potestatisqve tribuendæ, causæ in agmen procedunt, & qvidem omnes cum latitudine, ac incrementô maximô. Ita nempe, si qva ex *specificatione*, & rei per formam occupatione potest prodire obligatio, Deus est, qvi nobis hanc, in qva sumus ac consistimus, speciem dedit, & qvidem ita dedit, ut non ex alienâ materia nos fecerit, nec adeò aliqvid, qvasi simultanei juris aut competentiæ nostri, causâ materiæ, alteri cuiqvam permittere habeat; Sed simpliciter ex suâ, & eâ, qvam qvâ animam, ex propriô spiritu efflavit; qvâ corpus similiter à nullo sumpserat, sed ex nihilo creaverat, nec ulli hactenus in dominium concesserat; unô verbo, Deus est, qvi nos ex nihilo divino suo verbo ac aurâ specificavit, creavit, cōdidit. qvi igitur vel hinc solùm strictissimâ proprietatis obligatione ejus non esse possemus? Si v. & acceptum *beneficiū* obligat beneficiarium benefactori, qvis effari poterit beneficii magnitudinem, qvo à Deo affecti sumus, & qvotidiè adhuc afficimur; utpote qvi nobis prę omnibus in corpore creaturis, hocce tam pulchrum dedit esse, qvò scil. ad maginem suæ pulchritudinis ac perfectionis proximè omnium accedimus; qvi nos conservat, omnesqve creaturas nostro servitio destinavit; imò ut sine fine in æternum beatos faceret, ita dilexit, ut unigenitum filium suum in carnem & mortem pro nobis daret; qvi spiritum suum sanctum immittit, & nulla omittit nobis suggerere media, ut isti immēsæ beatitudini servemur? Si porro inferior, verà virtute ac *bonitate eminētiori* consistens, honorem, obseqvium, atqve observantiam illi debet; cui magis isthæc deberi à nobis possunt, qvam Domino Deo nostro, qvem infinitudo potentiæ ac bonitatis nobis anteponit, cui tamen sumus conjunctissimi; utpote in qvo vivimus, movemur ac sumus. Ponis *legem arbitrii*, superioris & cum potestate super nos constituti, nos obligare: ecce omnis naturæ lex, multaqve Divinis oraculis expresse prolata nobis sanctio, lex arbitrii Dei, summæ supereminentis potestatis omnium, est. *Cognationem societatemq́*; Si respi-

respicias, qvæ nobis cum Deo nostro intercedit: en socii & cognatissimi etiam Deo sumus; qvi singuli pars politiæ universalis naturæ rationalis sumus, cuius Deus solus est caput; qvi in animâ nostrâ participes, imo pars sumus Divini spiritus; qvi in corpore & anima qvibus cõstamus, cognatum habemus, & fratrem, Dei unigenitum filiũ, qvi cum Patre & Sanctò Spiritu unus est. *Conventiones* qvoq; & pacta inviolabilia Deus nobiscum iniit: qvibus promisit ipse omnibus, qvi crederent in se & filium ejus, nec operam darent peccatis, vitam æternam. Cujus pacti hodie ex Christi institutô, vel expressi sponsores vicissim existimus & nos in baptismo. Si deniqve ad obligationem *ex delicto* respectamus, hem inutiles servi, decem pondo millibus tanto domino nostro noxa simus. Qvis igitur hæc omnia obligationis constituendæ fundamenta, & causas concurrere, easqve singulas specie intensissimas, spectans, non plenè ac planè, conscientia sua convictus, dixerit, per omnimodam justitiam, obligationis debitiqve nostri esse: *Dominum Deum nostrum diligere ex totô corde nostrô, ex totâ animâ nostrâ, ex totis viribus nostris.* Et vicissim potestatem Divinam in nos esse summè absolutissimam. Præceptumqve adeò hoc in Lege præcipuum & maximum esse, idemq; subnixũ septem illis immotæ justitiæ columnis primis: Summè debemus atqve obligati sumus illi, qvi virtute ac bonitate maximus, qvi conditor, qvi benefactor noster summus, qvi legislator arbitrii absolutissimi, qvi conjunctissimus nobis Spiritu & sangvine, qvî cum irrevocabile inivimus fædus, cui ex delictis nostris infinito plus debemus, qvam in æternum solvere possimus.

V. Ex hâc vero intensissimâ, de Dei amore ac illi debitô, lege ac obligatione, ni fallor, judicium qvoqve fiet longè optimum, de vigore alterius, illi maximè paris legis, qvâ *proximum tenemur diligere sicut nos ipsos*; per proximum intelligendo hominem qvemcunqve. siqvidem animô percipimus, Deum esse, cujus ille, qvisqvis est, creatura, ad suam ipsius imaginem facta, filius, servus, cognatus, socius, beneficiarius sit, æqvè ac sumus nos: Deum esse qvi nobis eum cognatum & socium dedit: qvi pro suô arbitriô, divinissimâ justissimâqve voluntate, eum æqvè ac nos ab omni injuriâ, lege immunem reddidit, & insuper beneficiô afficiendum sancivit:

Nostrumqve proinde esse, non ut alienum, sed ut cognatum, socium, fratrem, conservum, qvemlibet habere hominem, & [illegible] per obligationem eandem, qvâ Deo obstricti sumus, hunc qvoqve, qvi alliqvis Dei & noster est, pari amore, *ac nosmetipsos diligere.*

CAPUT X.

De solutione obligationis.

I. Solutio obligationis, & in genere & propriè loqvendo, est ejusdem dissolutio ac sublatio.

II. In specie verò, debiti præstatio; impropriè autem etiam debiti nomine satisfactio alia est.

III. Modi solvendi obligationis (ipsô jure) sunt: persolutio seu præstatio debiti: cui adsimilatur compensatio; confusio; oblatio, corporis debiti casualis interitus;

IV. Remissio, obligationis consensu contractæ, per Consensum;

V. Stipulatione contractæ, per Acceptilationem.

VI. Omnis, per Novationem.

VII. Modi alii qvibus ope exceptionis tollitur obligatio.

I.

Dictum est de contrahendâ contractaqve obligatione per suas causas; paucis subjicere convenit, de ejus dissolutione, hujusdemqve modis. *Solutio obligationis* qvæ dicitur, in genere, & propriè loqvendo, nihil aliud videbitur esse, qvam ipsa obligationis, qvæ erat constituta nexaqve, dissolutio, sublatioqve, & obligati ab eâ liberatio. unde & alibi hoc caput proponentes juris antecessores, titulis ipsis ferè præscribunt, acturos sese, *qvibus modis tollatur obligatio* (a). Item *de solutionibus & liberationibus* (b). imò *verbum liberationis* asserunt *eandem vim habere, qvam solutionis.* Et vicissim (d): *solutionis verbum pertinere ad omnem liberationem qvoqvô modô factam: magisq; ad substantiam obligationis referri, qvam ad nummorum solutionem.* sæpè etiam *dissolutionem* obligationis videas dici (e).

II. Cæterum, præter generalem hunc, atqve proprium sensum, accipitur vox solutionis etiam impropriè seu extensive, deinde & in specie, de certo obligationis solvendæ modo. *impropriè seu exten-*

(a) t. ult. I. lib. 3. add. l. 35. de R.I. (b) t. 3. lib. 46. ff. (d) l. 54. de solut. & lib. (e) l. 35. de R.I. c. 1. X. de R.I.

extensivè admittitur qvandoqve ex magnâ & idoneâ causâ, ut, ubi solutio decreta est, locô ejus, cautio, qvæ eadem dicitur satisfactio, admittatur (*a*). *In specie* autem accipitur pro reali debiti præstatione; sive id ipsum qvod debetur, sive consentiente creditore, aliud pro aliô solvatur(*b*): naturaliter factam solutionē hanc dicunt (*c*). utrumqve autem hoc membrum, nimirum ipsius rei debitę præstationem, & satisfactionem aliam, Ulpianus sub solutionis verbô etiam collocat (*d*): qvando de priore, *solvere nos*, ait, *dicere eum qvi fecit qvod facere promisit*, intellige, vel nummos, sive pecuniam, aut factum promissum, (muta in genus) *debitum*, præstitit, utut fortè etiam in hoc sensu, de pecuniæ enumeratione solutionis vox usurpetur (*e*) communius. de posteriore vero idem præmittit: *solutionis verbo satisfactionem qvoq; omnem accipiendam placere.* cui simile est ejusdem (*f*). *satisfactio pro solutione est:* qvibus verò cautè Imperator addit (*g*) substituitqve: *consentiente creditore*; qvod nimirum illô invitô alia qvam rei in specie debitæ præstatio, in locum solutionis non cedat (*h*). qvia videl. interesse potest creditoris, ipsum qvod debetur in specie sibi solvi. per satisfactionem autem eam, qvæ æqvipolleat verè debiti solutioni, intellexerim hic cū Imp. potius rei alius pro aliâ solutione; non negaturus tamen interea satisfactionem interdum qvoqvé latiùs acceptam, comprehendere etiam posse fidejussoriam aut pignoratitiam cautionem, aut simile (*i*) etiam; si accedat creditoris consensus; in effectum alicujus solvendæ transponendæqve obligationis, v.g. pignoratitiæ (*k*).

III. *Modi* autem, qvibus civiliter firma obligatio solvatur, jure civili adnotantur aliqvot: cum distinctione, qvâ alia *ipsò jure*, qvod vocant, (hoc est penitus ita, ut nec actio, nec si post solutum foret, tanqvam ante debiti retentio locum haberet,) tollitur; alia ita infirmatur, ut *ope exceptionis* petitio, qvæ adhuc aliqva jure tenet, elidi possit. Prioris generis est primò, ipsa, de qva modo dixi, *rei debitæ præstatio*, qvæ & κατ' ἐξοχὴν, ac in specie solutio dici meretur. qvâ de porrò nihil addo; præterqvam qvod huic modo, dissolvendæ obligationis, adsimilanda videatur, tum *compensatio* tum *confusio* qvæ dicitur. qvippe utraqve rei, qvæ debebatur, qvasi præstationem qvandam videtur referre, & acceptionem. illa solutio-

(a) per l.3.§.4 de re jud. l.1. qvi satisd. cog add. l.52. de solut. (b) pr. I. qvib. mod. toll. obl. (c) l.49. de solut. (d) l.176. de V.S. (e) per d. pr. I. qvib. mod. obl. toll. & l.49. de sol. l.114. de V.S. (f) l.52. de sol (g) d. pr. I. qvib. m. toll. obl. (h) per l.21.§. 2. de pecun. const. (i) per d.l.1 qvi satis. cog. l.3.§.4 de re jud. (k) per l.9.§.3. de pign. act.

nem qvasi anticipatam monstrando, hæc alterutri rem debitam, ita adjiciendo, ut debiti obligatio non compareat amplius. Et de *compensatione*, qvam *debiti & crediti inter se contributionem* Modestinus definit (*a*), nostri adserunt, eam, *si constat, pecuniam invicem deberi, ipso jure pro solutione haberi oportere, ex eo tempore, ex qvo ab utraq; parte debetur, utiq; qvoad concurrentes qvantitates* (*b*): indeqve porrò inferunt, compensati *nec usuras deberi* amplius (*c*); & *si qvis compensare potens solverit, condicere eum posse, qvasi indebitô solutô* (*d*); modo debitum sit liqvidum (*e*), & res compensabilis, puta qvantitas, seu pecunia. de speciebus enim res non ita fit expedita. unde, & qvia præterea ratio fidei, de certo rei corpore reddendô, qvid singularitatis videatur inferre, id forsitan est, qvod possessionem alienam perperam occupantibus, compensatio non detur (*f*). nec adeò depositi nec commodati (*g*). *Confusio* deinde, est ubi debitor creditori, aut contra creditor debitori succedit: Ubi qvidem facile liqvet, qvia qvoad jura debiti creditiq; concurrentia, una eadéq; persona, qvæ debebat & cui debebatur, modò sit, eam sibi ipsi ad factam conventionem obligari non posse. *confusionem obligationum* JCti dicunt (*h*). Præterea imitatur ipsam realem debiti solutionem, ipso qvoqve jure liberans debitorem à periculô, usuris ac similibus oneribus, *oblatio rei debitæ*, ejusdemqve, si non acceptetur, in publico depositio & consignatio (*i*). Alter autem modus solvendæ obligationis, qvi inter præstationem seu acceptionem, & remissionem medius est, & ipso jure penitus tollit obligationem, *corporis debiti casualis interitus est* (*k*). dummodo ante moram debitoris is accidat (*l*).

(a) l.1.ff.de compens. (b) l.4.C.eod. add. l.fin.eod.l.4.qvi.pot.in pign.l.18.pr. de pignor.act. (c) d.l.4.C.h. (d) l.10.§.1.ff.h.l.5.§.pen. de impens. in res dot. (e) d.l.ult.§.1.C.h.add.l.30.de condict.indeb. (f) l.14.inf.C.h. (g) d.l.14.§.1. in f.§.30.I.h.l.ult.C.commod.l.6.C.de R.V. (h) l.95.§.2.de solut.add.l.1.§. 18, ad L.falcid.l.71.de fidejussor. (i) l.9.de solut.l.19.C.de usurp. (k) l.107.de solut.l.23.de V.O. (l) l.5.de reb.credit.

IV. Oppositus autem qvidam præstationi, seu acceptioni debiti, obligationis solvendi modus, penitus autem & ipse interimens obligationem, *Remissio* debiti est, facta ab eo cui debetur, sive

qvi

qvi jus debitum illud sibi exigendi habet; neqve enim qvicqvam convenenitiꝰ, cùm jus hoc, sive actio in bonis est creditoris, cum etiam rem, qvam qvisqve occupatam possessamqve habet, liberè abjicere ac dimittere potest; qvin idem ab eòdem hòc jure sese abdicare; rem nondum acqvisitam pro derelicto statuere; & per hoc nexum obligationis ei, à qvo peti poterat, & præstari sibi debebat, penitùs laxare ac diremptũ relinqvere possit. Nec videtur dubitãdũ qvin omne prorsus debitum ex qvacunqve causâ contractum, hoc modô voluntate & consensu debitoris possit remitti. Consuluisse tamen hujus generis dissolutioni, ut ipsi constitioni obligationis, ut consensu deliberatô, sufficiente, & negotio pari, constaret, rectiùs civilis videtur velle observãtia, regulam sive effingendò, sive ex naturæ congruitate acceptandô hãc: *Ferè qvibuscunq; modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur* (a). contentam sub alia etiam generaliori, qvæ habet: *Nihil tam naturale esse qvam eô genere qvidq; dissolvi, qvo colligatum est* (b). Qvæ & alibi (c), ad causas, qvæ obligationis sunt, jus & factum, accomodatur, & ubi ad jus, ita sonat: *omnia qvæ jure contrahuntur, contrariô jure pereunt.* Ubi ad factum, cum generaliori verborum figura, ita: *omnis res per qvascunq; causas nascitur per easdem dissolvitur.* Possent hisce regulis, qvà aliàs, qvà specimen obligationis, de qva hic agimus; multa exempla & declarationes, per omnes obligationum constituendarũ causas, modosq; subjici: ostendiqve, etiam ex jure cousultorum placitis, qvomodo per occupationem acqvisita realis obligatio, per derelictionem dispereat, & hoc secundum modum ipsum occupandi aut possidendi, ubi ita ipsis ferè eadem regula sonat: *ut nulla possessio acqviri nisi animô & corpore potest; ita nulla amittitur, nisi in qva utrumq; in contrarium actum* (d). & porrò, qvomodo læsio criminalis, per restitutionem ablati, similemqve facti passionem eluatur, perqve hanc obligatio in remissum cadat. sed qvia hinc deproperare propositum, & non ejus utilitatis res à peritis inventa est, ut peculiari digestione, per hæc omnia latiùs ipsi sese diffunderent, cum illis me qvoqve nunc restrictum velim, qvoad modum seu causam, obligationis dissolvendæ, potissimum eam, qvæ per voluntatem, seu consensum remissio est. Ubi qvidem operante prædictâ regulâ, casus obliga-

(a) l 153. de R. I. (b) l 35. de R. I. (c) l. 100. eod. c. 1. X. eod.

(d) l. 153. de R. I.

tionis ipsô jure periturae, ſere reſultant hujusmodi, à JCtis adnotati: videlicet primô: *Eæ obligationes, qvæ conſenſu ſolo contrahuntur*, ſive per ſpeciem pactorum, qvæ dicuntur, ſive per ſpeciem contractuum conſenſualium omnis generis, *contraria voluntate* ſeu diſſenſu *diſſolvuntur* (a).

V. Deinde *verborum obligatiò*, ſi non rei debitæ præſtatione, qvæ communis omnis obligationis efficax ſolvendi modus eſt, ſaltem *verbis tollitur*(b). *Acceptilationem* appellant Juris ſtudioſi: deſcribuntqve *liberationem per interrogationem & ad eam reſponſionem* congruam, hoc eſt, ſtipulationem (c); fortè hoc modô factam: *qvod ego tibi promiſi, habesne acceptum?* ſive *acceptáne facis decem?* alterô reſpondente, *habeo*, ſeu *facio* (d). verbis autem permittunt eam conſtare poſſe omnis generis, modo illa congruant ſenſu (e) & effectu dicunt, imaginariam hanc eſſe ſolutionem (f), aptam tollere penitùs, & ipſo jure, obligationem verbis contractam, & totam & qvoad partem (g): & eſſe qvandam ſolutionem civiliter, ſeu *jure civili* adornatam (h): qvæ tamen, qvatenus pactum continet, utiqve juris gentium qvoqve rectè dicatur (i). Et verò notabile eſt; cum hic civiliter efficax penitùs tollendæ obligationis modus, vi prioris dictæ regulæ, non pertinebat, niſi ad eas obligationes, qvæ verbis erant contractæ, ſcil. ut ait JCtus(k), *Acceptum fieri non poteſt, niſi qvod verbis colligatum eſt, acceptilatio enim verborum obligationem tollit, qvia & ipſa verbis fit. neq; enim poteſt verbis tolli, qvod non verbis contractum eſt*. eoqve, ſi qva, in aliunde debitis acceptilatio interveniebat, vim pacti ſolummodò habebat (l). inqvam, notabile hic eſt, Romanos inventore qvodam Gallô Aqviiô, modum excogitaſſe, qvomodo omnis generis debita, in obligationem ex verbis, ſeu ſtipulatu, transferrent; qvi erat, ut creditor debitum qvalecunqve, à debitore verbis ſtipularetur, alter ſponderet atqve ſic demum debitor viciſſim ſtipularetur, haberetne creditor à ſe promiſſum acceptum? creditor autem acceptum faceret(m). figmentum qvidem ſvave magis qvam neceſſarium; utile tamen, ob vim ſolennitatum, patientium animorum advertentiam.

(a) l. fin. I. q. ib mod. toll. obl. l. 80. in f de ſolut.
(b) d. l. 80. & l. 35. de R. I.
(c) per l. 1. 6. 7. & t. t. de acceptil.
(d) d. l. 6. & 7.
(e) §. 1. I. h. l. l. 18. in f. de acceptil.

(g) d. §. 1. (h) d. §. 1. in f l. 9. 13. 14. 17. de acceptil. (i) l. pen. de ſolut. (k) l. 8. §. ult. h. (l) d. l. 8. §. 3. h. (l) l. 19. h. (m) l. 18. de accept. §. 2. I. qvib. mod. toll. obl.

VII, No-

VI. Notabilis eſt, ab hac ſtricta obſervantia, de tollenda ex ſtipulatu, & per hunc, ex alio contractu obligatione, per ſolennem acceptilátionem, digreſſio, in modo qvodam itidem civili; qvi hic tertiò locò *Novatio* peculiaribus titulis in codicibus juris civilis celebratur; deſcripta : *prioris debiti ad aliam obligationem vel civilem vel naturalem transfuſio atq; translatio, hoc eſt, cum ex præcedenti cauſa ita nova conſtituatur, ut prior perimatur.* Nimirum ſtipulatio hic qvidem pro nova conſtituendâ obligatione congruit, at ut prior, ſtipulatione, acceptilante tollatur, haud exigi videas; qvin tota peremptio prioris obligationis, ex eo arguitur, ſi modo *conſtet*, & (ut poſtea exigi cœpit) *expreſſũ ſit de interveniente animo novandi* inter contrahentes, novâ vel perſonâ; vel aliò aliqvô novô, in poſteriorem contractum inductô; plura autem de hac ipſi poſſunt docere textus juris *(a)*.

VII. Porrò verò, modos qvod attinet, qvibus vinculum obligationis non qvidem penitùs annihilatur, aut ipſo jure, qvod ajunt, tollitur, qvia vel ex civili, vel ex naturali jure aliqva ligaminis tenia ſuperat; ſed infirmatur tamen ita, atqve corroditur, ut invitꝰ debitor, licet in judiciũ, adjuvante in hoc autoritate publicâ jurediciali, non tamen ad ſolutionem, per id trahi ſtringiqve poſſit: eò, qvod paratam habeat lege ſibi exhibitam qvaſi novaculam, qvâ, qvod ſupereſt priſtini ligamenti, ſaltem in conſpectu judicis poteſt penitùs diſſectum reddere: *exceptionem* videlicet, clypium reorum, contra tela adverſus ſeſe agentium paratum: In hujusmodi dico modis actibusvè tollendarum, infirmandarumvè obligationum ſunt, qvi & dictam exceptionem gignunt; *pactum de non petendo*, qvod dicitur *(b)*; qvo ipſò obligationi vinculũ æqvitatis eſt demptum: *jus jurandum*, qvô, deferente creditore, eòqve vel ipsô principali, vel ſaltem procuratore ejus, ſpeciale mandatum ad hoc habente, debitor poſſeſſorqve rei, Deò in teſtem ac vindicem mendacii provocatô, aſſeruit, aut jurato aſſerere paratus ſtetit (ſi forte remiſſum eſſet,) ſe nihil debere, remve, qvæ petebatur, ſuam eſſe, vel ſaltem non petitoris *(c)*: Inde *ſententia* ſeu *res judicata*, qvam jam ante, ut

(a) §.2. lib. 46 ff. t. 42. lib. 8. C. §. 3. I. qvib. mod. toll. obl. *(b)* §. 3. I. de except. l. 7. §. 5. 13. l. 28. §. 2. de pact. l. 3. §. 15. ad exhib.

(c) §. 4. I. de exc. l. 2. 5. 9. 11. 17. de jurejur.

ut legem veritatis, de non debendo eô, qvod denuò petitur, pro se reus evicit *(a)*. Atqve duo hi posteriores casus sunt, qvibus civili robore cassa relinqvitur obligatio, utut de naturali ligamine adhuc qvid supereſt. Iterum autem naturali firmitate, vinculum ligandi privatum, oſtendere nititur exceptio *non numeratæ pecuniæ*, ejus qvam fortè actor nititur probare, deberi; qvia confesſionem habet, fortè literarum, ac ſi numerata fuerit acceptaqve, mutui aut reſtitutoriò titulô aliò *(b)*: Parem cauſatur infirmitatem obligationi *Metus, dolus, itemq; error* contractui interveniens *(c)*. & qvæ ſunt hujusmodi in exceptionem proponenda alia. Sed ſufficiat modo, paucis etiam eſſe adumbratum, qvomodo fiat obligationis ſolutio. Eſſent hujusmodi qvidem, ut ſupra qvoqve fuit indicatum *(d)*. plures circa univerſitatem obligationum, adnotandæ affectiones, pluresqve eorundem diſtinctiones, ſiqvidem omnia hujus vinculi ejusqve oppoſiti generaliora accidentia, qvisqvam plenius vellet exhibere, veluti, qvomodò ceſſione actionis, delegatione debiti, itemqve ſucceſſione, conſtitutô &c. de perſona in perſonam, & activè & paſſivè illud transferatur: qvomodo pura ſit, vel conditionalis, vel in tempus, obligatio, & qvæ ſunt ejusmodi alia. Verum, qvando nunc qvidem hiſce qvidam qvaliscunqve deſideratur terminus, eſto is, ſoluta obligatio.

(a)§.1.I.de except.l.3.12.& ſeqq.& tt.de except.rei jud.(b)§.2.I.de except. t.t.C.de non numer.pecun.(c)§.1.I.de except.t.de dol.mal.& met.cauſ. excep. &c.(d)lib.3.cap.1.in fin.

SOLI DEO GLORIA.

OR-

ORDO CAPITUM,

LIBRI PRIMI DE POTENTIA & LEGE,

LIBRI SECUNDI DE POTESTATE,

LIBRI TERTII.
DE OBLIGATIONE.

Errata;

In dedicat. per aliq. exempl. exnixè *pro enixè. In praefat.* tractationes *pro-nis. pag.128.lin.2.* impropria *pro in propria. p.140.6.* Pauliana *pro publiciana. p.269.21.* libertate *pro liberalitate. p.303.25.* pullis *pro pupillis. p.320. pen.* recta *pro rectè. p.296.12.* Majores *pro minores, p.372.12. post tradere omissum (c). lin.8. ibid. post acqviri (g). lin. 23. post superveniat (i). ad qvae signa intermedia reliqva sunt mutanda. alia cautus lector emendabit ipse.*

F I N I S.

